
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0001-5



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0002-0



E. 6. 469
2
Dbl. Ci 4194 (2)

Script. Rem. in octavo N. 105.

II 2 b. 20
2.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0004-1

Genehmigt:
Amt für Volksbildung
Halberstadt:
Lesekommission

P. VIRGILIVS MARO

VARIETATE LECTIONIS
ET
PERPETVA ADNOTATIONE
ILLVSTRATVS
A
CHR. GOTTL. HEYNE

EDITIO TERTIA
NOVIS CVRIS EMENDATA ET AVCTA



VOLVMEN SECVNDVM
AENEIDIS LIBRI I—IV

LIPSIAE
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

L 57,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0008-4

Nondum me poenitet consilii, aut instituti et moris, quem in interpretando poeta ante hos XV annos sequutus sum: non quidem vt omnes aut multos poetas simili commentario instructos esse velim; verum vt *vno aliquo exemplo in poetarum principe proposito accuratae interpretationis notionem et rationem* assequi et imbibere possint ii, quibus institutio bona et docta non contigit; quam eandem illi etiam ad alios poetas et scriptores, adhibito nonnullo iudicii acumine, transferant. Aeneidis autem laudibus cum toties aures perstrepere sentiant, nec tamen, quidnam illud sit, quod carminis huius dignitatem et praestantiam constituat, diligenter satis expositum videant: subsistit enim plerumque intra exclamandi verba et locos communes aestheticos, quos vocamus, omnis illa commendatio: eos habere volui diligentiorem praeceptionem de ratione carminis, orationis

poeticae, cuius praecipuus auctor Virgilius est, natura, inprimisque de poetae doctrina, qua ille tantam sui admirationem inter populares obtinuit. Qua de re ex prioris editionis praefatione apponere iuuat ea, quae ad rem facere videbantur:

* * *

Inter Virgiliani carminis dotes praecipuas *doctrinam poetae* et *sermonis poetici praestantiam* me habere, ex iis, quae passim a me dicta sunt, intelligitur. Vt eas paullo accuratius declararem, quandoquidem Virgilius is auctor est, in quo iuuenilis aetas exquisitioris doctrinae initia imbibere solet, praeter caetera boni interpretis officia, propositum mihi in Commentariis meis esse, iam in praefatione ad priorem Tomum professus sum. Quam operam iis maxime praestare volui, qui non in eo acquiescendum sibi esse putant, vt vniuerse sibi dictum audiant, magnum ac doctum esse poetam; in quo tamen ingenii illa vis ac doctrinae copia orationisque pulcritudo posita sit, non assequantur. Accidit mihi ipsi saepius, quod et aliis euenire solet, vt hunc vel illum locum siue audirem siue ipse bene sentirem esse sublimem, magnificum,

diuinum; dictionem praeclaram, poeticam; vt tamen nec intelligerem, nec, si intelligerem, declarare possem, *qua* tandem *in re* pulcritudo illa, dignitas, et maiestas Virgiliani carminis spectanda esset. Habebam sensum aliquem praeclarae alicuius pulcritudinis, sed obscurum, iudiciumque mentis confusum et turbidum, quod nec mihi expedire possem, multo minus aliis, nisi vt exclamarem, pulcrum locum esse! Neque aliter rem se habere vidi in vernaculorum poetarum lectione; intellexi enim difficile multis esse, diserte satis exponere, quae tandem in iis, quae pulcre et praeclare conscripta mirarentur, pulcritudinis causſae essent; rerumne inuentio, an tractatio, an enuntiatio, laudis summam contineret, et, quando oratio tam laudabilis esset, qua tandem re praeclara illa orationis virtus spectanda vel declaranda videretur. Potest enim aliquis verborum sensus tenere perbene; potest poetarum lectione esse tritissimus, in libris quoque, qui de sensu pulcritudinis agunt, versatissimus; sac critica quoque opera esse exercitatum; tamen is non parum forte haereat, si ab eo postuletur, vt rerum a poeta expositarum claras notiones expositionisque virtutes, tractationis artificium,

orationis ornatum, aliis perſpicue et plane declaret. Hoc illud eſt, quod plerumque in ſummis criticis animaduertas, vt in detegendo vlcere in verbis latente et in medela inuenienda miram ſagacitatem adhibeant, argumenti tamen tractationem locorumque difficiliorum ſententias parum ipſi aſſequantur; quid? quod haud raro ne ſuarum quidem emendationum aut interpretationem commodam afferre aut rationem idoneam reddere poſſunt.

Difficultatem hanc ſenſi obiectam maxime tum, cum *poeticam orationem ad ſolutam reuocare* vellem. Mox tamen *in hoc ipſo rerum cardinem verſari* vidi, ſi quis poetici ſermonis vim et naturam, copiam, ornatum percipere velit, vt tum demum profeciſſe aliquid ad eam rem ſibi videri debeat, vbi easdem res ac ſententias communi ſermone exponere et poetico habitu et ornatu nudatas animorum ſenſibus exhibere in promtu fuerit; ita enim in ſenſum oculosque incurrere, qua doctrina, ingenio, orationis vi, a poeta eaedem exornatae et commendatae ſint. Non niſi in praeſtantioribus vel difficilioribus locis, nec ſemper nec vbique, hoc eſſe faciendum, per ſe intelligitur.

Vt itaque ornatissimam poetae orationem declararem et explicarem; id vero breuiter facere, consilium et ingenium meum suadebant; nulla mihi ratio visa est commodior, quam vt, versu indicato, *sententiam soluta oratione*, sed *verbis propriis*, subiicerem, iisque dilectu, positu, et iunctura ita temperatis, vt poetici ornatus semina et causas continerent; vnde adeo adolescens, semel monitus, comparatis poetae verbis, facile assequi possit, qualis poetici phantasmatis ratio et natura per se sit, qualisque amplificatio et exornatio poetae arte accesserit, vnde color poeticus, sententiae dignitas vel sublimitas, orationis dignitas et ornatus, petitus sit; quid in ipsis verbis, verborum dilectu, structura, collocatione, grauitate, pondere, ornatu, copia, exquisitiore aliqua flexione, aut toto orationis habitu, cultu, elegantia et dignitate, immutato et inuerso vulgari ordine, poetae artem et iudicium commendare debeat.

Pleraque *verbo* tantum monui; sed vt verbum illud rei et consilio meoque sensui satis consentaneum reperirem et exputarem, etsi illud nunc, cum a me appositum est, satis obuium, et vulgare forte, videri potest, saepe tamen intentiore cogitatione et cura opus fuit,

quam ad multas e copioſioribus notis conſcribendas. Alia mihi monenda fuere, cum interpretum aliquem et virum doctum in hoc vel illo loco et verbo haeſiſſe viderem; nam faciebat ea res probabile, fieri poſſe, vt etiam alius ad eundem ſcopulum offenderet, etſi meo ſenſu locus nihil difficultatis habere viſus erat; ſed monui verbo, plerumque nulla alia re, quam vera interpretatione ſubiecta; quae ſi cui otioſa vel leuis viſa fuerit, antequam de eius inutilitate pronuntiet, alios velim interpretes et commentatores euoluendos ſibi eſſe putet.

Caeterum operae meae etſi tumultuariae fere et, interiectis temporum et officiorum interuallis, deſultoriae, cum poſt priorem Tomum vulgatum, per plures annos ſepoſitum poetam moxque repetitum, per menſium ſaepe plurium decurſum, aliae curae manibus excuterent: ratio fere haec fuit, vt *primum* particulam aliquam poetae ad meum ſenſum interpretarer, quaeque monitu neceſſaria viderentur, adſcriberem, *tum* Interpretes conſulerem primum veteres tum recentiores. Quam vellem omnes, ſaltem plures, a me potuiſſe inſpici, aliorumque copiis meam penum locupletari! Non dubito, et ex vetere

lectione etiam memoria teneo, in sexcentis libris doctorum virorum Virgiliana loca illustrari vel obscurari. Poterunt post me alii aliunde opes nouas congerere, aut ex aliorum accuratiore doctrina operam meam emendare; etsi super Virgilio multa dicere facile est, at, pauca recte dicere, satis difficile. Ego quidem cum non possem euoluere omnes, sumsi in manus optimum, saltem doctissimum, Cerdam, cuius tamen copia et eruditio non raro plus molestiae quam fructus boni habere solet, tum Germanum Valentem Guellium inspexi, et e recentioribus Trappium et Wartonum. Pierii, Heinsii, et Burmanni copiae ad lectionis varietatem et veritatem spectant; ad interpretationem parum inde profeceris. Servium accurate comparaui, tum Ruhnkenii, doctissimi et humanissimi viri, monitu excitatus Iulium Pomponium Sabinum, qui veterum Grammaticorum fragmenta, e pleniore quoque Seruio, nonnulla seruauit. E Donati grammaticis et rhetoricis argutiis potest forte alius, qui otio abundat, pauca adhuc legere, quae vtilitatem habeant; etiam ex diligente comparatione Anthologiae Latinae. Omnino velim mihi aliquem dari, qui a Silii Italici, Valerii Flacci, Statii et Lucani, Auso-

niique et Claudiani lectione recens ſtudium ſuum ad Virgilium conuertat! non vt ille loca ſimilia et parallela inani ac vana ambitione congerat; verum Poetae illi, quos ad Virgilium ſe compoſuiſſe totos manifeſtum eſt, dum non modo in carminum ratione et ordine, verum in ipſa quoque elocutione, in ſingulis verſibus ac verbis, exprimere eum laborant, ſaepe interpretationem locorum Virgilianorum ſuppeditant. Mihi acquieſcendum fuit in iis, quae ex priſtina lectione memoria retineret, aut quae paſſim in excutiendis locis vel interpretibus occurrerent.

Vt tandem *poetae artem ac doctrinam* declararem, cum ingenii et iudicii, quo ille celebratur, laus ea in re inprimis emineat; vanum enim eſt, quod multos iudicare audias, poetam omnia ingenio, nihil arti, debuiſſe; inueſtiganda eſſe putaui, quae eſſent vel inventa a poeta vel aliunde, maxime e Graecis, translata, cum in toto argumento et materia ſingulisque eius partibus, tum in rerum verborumque ornamentis. Quae res cum non ſemper nota aliqua commode comprehendi poſſet, ſed in disputationem paullo longiorem excurreret, praeſtare putaui, vt in *Excurſus poſt ſingulos libros inſertos* talia reiicerem.

Quae mihi propoſita fuerint, ingenue expoſui. Nollem me tam longe abeſſe ab eo, quod ſequutus ſum. Sed mihi ſatis eſt, exemplum poetici cultus ornatusque declarandi omninoque poetae interpretandi propoſuiſſe, quod nec minus ad poetarum, etiam recentiorum, lectionem rite inſtituendam vtilitatem habere poſſit. Scr. in alma Georgia Auguſta d. XXII Aprilis CIↃIↃCCLXXI.

* * *

Quae in noua hac editione acceſſerint, ambitioſo recenſu annumerare vel appendere nihil attinet. Sufficit pauca monere: Cum in priore editione verba recenſionis Burmannianae exprimi curaſſem, in quibus etſi multa caſu ac ſocordia operarum mutata, nonnulla etiam deprauata, deprehendebam, tamen aliquid nouare nolebam: nunc emendatiorem lectionem in multis locis exhibui; id quoque curaui, vt orthographia ſemel recepta ſibi conſtaret; quamquam ea in re ſummam ſubtilitatem ſequi nec volui nec potui: ſi enim ratio et analogia erat ſeruanda, innumera fuerant mutanda; tum vero Romani in ſcribendi rationem conſtantem ac perpetuam non magis conſenſerunt quam noſtrates, aut vlla

alia natio; nec minutiis his aut meum aut aliorum ingenium onerare volui, inprimis cum mihi longe alia essent in hac opera proposita. Caeterum ex iis, quae, iam antea in superiore editione a me proposita, nunc in poetae contextum recepi, pleraque iam erant acumine critico V. C. Brunckii probata in noua recensione Virgilii superiore anno edita; nisi quod mihi multo pauciora licere putaui. Ea igitur, quae non ita ad liquidum perducta esse videbam, vt quouis pignore contendere possem, ita scriptum fuisse a poeta, aut, vbi manifesta quidem esset corruptela, emendandi tamen ratio haud vna, intacta relinquere aequius esse censebam. Reieci haec in Variantem Lectionem, cui accessere cum alia, in praef. Vol. I commemorata, tum editionum Aldinarum et Iuntinae vtilissima comparatio, lectio cod. Erfurt., inprimisque virorum doctorum animadversiones et coniectationes, publice priuatimque ad me missae: ex hoc genere primo loco *Io. Schraderi* schedae mss. commemorandae mihi sunt, quae cum V. C. *van Santen* officiosa cura ad me peruenissent, iis ita vtendum esse iudicaui, vt, quae subtili viri doctissimi acumine haud indigna essent, a me apponerentur. Communicauit alia mecum *Iacobus*

Bryant, Britannus eruditissimus. Nihil horum, quod quidem vtilitatem aliquam ad poetam habere visum erat, interuersum a me aut dissimulatum est. Cum autem omnis haec opera in eorum gratiam suscepta esset, qui exemplum aliquod seu criticae rationis seu interpretationis diligentius factae ante oculos positum habere cupiunt, interposui nunc saepius, quam antea factum erat, iudicium meum, saltem verbo. Eodem consilio innumeris locis non emendaui modo, verum auxi quoque et locupletaui interpretationem subiectam, non modo vt nihil esset quod obscurum ac difficile videri posset iis, qui vulgari more verba poetae in transcursu legunt, verum multo magis vt erigerem et assuefacerem animos acutiorum ad animaduertenda innumera, quae modo in dictione modo in sententiis et rerum expositione aut praeclara sunt, aut reprehensionem admittunt. Volebam enim in hac omnis animorum intentionis remissione et hoc seuerioris studii bonarum litterarum neglectu, quo verendum est ne intra haud multos annos obsolescant omnes hae litterulae Romanae ac Graecae, extaret saltem exemplar aliquod, quo de meliore et fructuosiore veteres poetas legendi et interpretandi ratione

constaret iis, quibus bona institutio haud contigisset. Nec minus constanter institutum meum retinui in poetae doctrina declaranda, quod illud cum voluptatis tum vtilitatis fructum habere vsu expertus eram incredibilem: itaque Excursus non modo veteres passim retractaui, verum nouos quoque aliquot attexui. Quo quidem illud effectum putaui, vt hac poetae summi enarratione magna omnis melioris litteraturae liberaliorisque institutionis pars contineretur, vereque adeo dici posset, perlecto rite poeta principe ad omnem elegantiorem doctrinam aliquantum te profeciſſe. Scr. M. Iulio CIↃ IↃCCLXXXVI.



DISQVISITIO I

DE CARMINE EPICO VIRGILIANO

De *carmine epico* vniuerſe multa disputare, cum tot habeamus libros, in quibus copioſe et accurate de eo praeceptum eſt, et cum pauci ſint, quibus expediat, vt in praeceptis diu detineantur, inutile eſſe arbitror. Neque etiam talis disputatio vllam ad adoleſcentum animos habere poteſt vim aut afferre vtilitatem, niſi vno iam vel altero carmine epico perlecto diligenter, et docte enarrato; ne nunc illud moneam, praeceptis iſtis et disputationibus omnino plus promitti quam praeſtari. Pleraque enim, quae vtilitatem habent, talia ſunt, vt ab ingenio libera-

liore, vbi vnus vel alter poeta perlectus fuerit, vel, nemine monente, facile animaduertantur; vanis autem et inanibus subtilitatibus et argutiis aetas illa melius caret. Tum vtilitas, quam praestant, intra iudicium de aliorum ingeniorum monumentis qualecunque ferendum subsistit; vt ii vero, qui ingenii sui vires ipsi experturi sunt, ex illis praeceptionibus paullo plus quam ex vno vel altero bono exemplo proficiant, expectari non potest. Eos tamen, qui adolescentibus poetas interpretantur, librorum illorum doctrina imbutos esse velim quam maxime; nam ita demum, vbi ipsi virorum doctorum disputationes accurate cognouerint et animo teneant, in promtu habebunt, in singulis rebus et cauſſis monere commode et cum fructu enarrare ea, quae adolescentum ingenia alere, iudicia acuere, elegantiae et virtutis sensum aut instillare aut excitare animis possint. Omnino enim praecipiendi hisce de rebus vtiliter et cum fructu ad adolescentum animos genus est vnum et fortasse solum, vt non vniuerso de genere multa subtiliter disputentur, verum vt in ipsa interpretatione poetae in singulis locis, rebus, personis ac sententiis ea moneantur salubriter ac breuissimis, quae ex re praesenti et oculis subiecta claritatem suam habent et veritatem. Adolescens quidem, qui tam beatus fuerit, vt Homerum et Virgilium interpretis alicuius opera in hunc, quem dixi, modum insti-

tuta enarratum audierit, disputationes illas *aesthe-ticas* (quidni enim hoc nomine vtamur, cum rei designandae vocabulum aliud idoneum non suppetat?) forte non sine fructu aliquo posthaec cognoscet; sed initio a tali lectione facto si quis ad poetas cognoscendos pergere voluerit, an is ex subtili illa disputatione ad intelligendos et iudicandos poetas multum profeciſſe se intellecturus sit, admodum dubito, nec, cui illud contigisset, quemquam vidi. Sed, vt peruersis hominum nostrorum studiis occurratur, si modo occurri potest, satis haec dicta esse arbitror.

I. Quae hic a me exponenda sunt, pauca quidem et summatim, ad Virgilianum carmen sunt referenda. Ad huius rationem intelligendam satis est tenere, *carmen epicum* vniuerse nihil aliud esse, quam *narrationem omnibus numeris absolutam ac perfectam*, seu *narrationis genus praestantissimum et iis virtutibus, quae huic generi inesse possunt, cumulatum; carminisque* adeo *epici naturam positam esse in rei magnae et arduae, magno cum animo et consilio susceptae et gestae, narratione ad admirationem efficiendam instituta.* Eiusmodi enim narratio praestantissima est ex toto hoc rerum genere. *Admiratione* animis iniecta quaeritur hic ea, quae omni carmini proposita est, sed in alio genere ab aliis caussis proficiscitur, *delectatio;* quae vtique, si ingenuo et liberali animo digna

esse debet, a rerum honestate et vtilitate seiuncta esse nequit, et tanto exquisitior, generosior, et plenior est, quo maiora virtutis adhortamenta et incitamenta cum hac ipsa voluptate animis se insinuant; vt adeo, si quis carmini epico magnum aliquod ac praeclarum virtutis et vitae, inprimis publicae, praeceptum subiectum esse debere dixerit, ad rerum vtique veritatem dixisse ille videatur; sed poetae epico talis vtilitas ad philosophicas rationes exacta non ita proposita esse potest, vt poeticas rationes inde petat aut metiatur; *vt rerum narratarum admiratione animi afficiantur*, hoc summum est quod ille sequitur *). Ipsa autem rerum animorumque nostrorum natura ita fert, vt, quod a virtute et vtilitate publica vacat, ad animos nostros admiratione impellendos vim satis magnam habere nequeat. Non igitur vlla ratione euenire potest, vt bonum carmen epicum contineat nihil, quod ad publicam et ciuilem vtilitatem valere possit. Contra vero magna et ardua consilia, excelsi et magnifici animorum sensus, virtus vltra vulgarem mortalitatis modulum et morem animosa et fortis,

*) Hactenus bene veteres, etiam Grammatici. Auctor Vitae Homeri (seu potius de virtutibus Homeri cum dictionis, tum sententiarum ac rerum): καὶ τὸ μὲν ὅλον παρ' αὐτῷ διήγησις τῶν πραγμάτων παράδοξος καὶ μυθώδης κατεσκεύασται, ὑπὲρ τὰ πληρᾶν ἀγωνίας καὶ θαύματος τὰς ἐντυγχάνοντας, καὶ ἐκπληκτικὴν τὴν ἀπρόασιν καθιστάναι. Gale Mythogr. p. 280, vel in Homer. Erneſt. p. 153.

nullis aduerſis caſibus et periculorum terroribus infracta mens, ſalus ciuium et imperii maieſtas vel parta vel ſeruata ac defenſa, haec eadem illa ſunt, quibus maxime hominum animis admiratio iniici poteſt, quae adeo inprimis epico carmini idoneam materiam ſuppeditant. Coniuncta itaque cum eadem illa admiratione eſt vtilitatis ratio, de qua non minus multa ſunt disputata, quatenus poetae epico propoſita eſſe debeat. Narret ille magna, grandia, praeclara; vtilitas proficiſcitur ex hoc ipſo, quod magnos ſenſus et affectus, magnum animi robur, factis actisque expreſſum videmus.

II. Admiratio itaque, neceſſe non eſt, vt a rerum et naturae miraculis petatur; ſed, quod facile vnusquisque intelligit, *admiratione* animos noſtros afficiunt omnino *res a magna animi virtute* profectae; non quidem, qualem praecepta philoſophiae informauerint; ſed vim dicimus animi inſignem in excogitandis conſiliis, vel in iis exſequendis prudentiam, in laboribus perferendis conſtantiam, in adeundis periculis audaciam; etiamſi illa a gloriae et laudis ſtudio, aut ab ira, odio, vindictae cupiditate profecta fuerit aut ad immania et ſaeua facta eruperit *). Conuenit

*) Etiam prauos mores ferre carminis epici naturam, ab eodem vetere Grammatico, quem paullo ante excitaui, pronuntiatum, etſi alio forte ſenſu: poetam neceſſe eſt (ſenſus requirit τοῦτον γὰρ δεῖ, nam παρόντα δὲ corruptum

itaque omnino, vt a magno viro, magna ingenii vi, magnis corporis viribus, magnis animi motibus et affectibus, inter magnas difficultates, casus et pericula, magnis praesidiis et auxiliis, magnis de cauſſis ſuſceptae et geſtae res ſint; atqui eaedem fere res etiam euentu clarae et inſignes magnique exempli eſſe ſolent, vt aut magni alicuius viri aut populi vel ciuitatis aut generis adeo humani fortunas in vtramque partem contineant. Magnitudinis adeo vim, notionem ac ſenſum, tamquam animam, omnia permeare, animare et mouere vides. Non difficilis eſt ad cognoſcendum in rhetoricis et poeticis locus de magnitudine; nec tamen omnis magnitudo epici carminis indoli eſt accommodata, ſed ea maxime, quae a ſenſibus et a phantaſmatibus proficiſcitur, quippe quae eadem ad animos mouendos et admiratione imbuendos inprimis valet; ſed haec quidem paſſim a viris doctis ſatis diſerte ſunt expoſita.

III. Iam natura ita fert, vt, qui *magnae et mirandae rei narrationem* inſtituit, eius magnitudine contactum et grauiter affectum animum ipſe habeat, motusque adeo animi ſui vultu, geſtu, inprimisque *oratione* prodat; laborabit mens, rerum ſpecie percuſſa, vt, quae ſentit, aliis impertiat, incidet in noua rerum phantaſmata, ad-

eſt) μιμεῖσθαι δ᾽ μόνον τὰ χρηστὰ ἤθη, ἀλλὰ καὶ τὰ φαῦλα· ἄνευ γὰρ τούτων παράδοξοι πράξεις δ᾽ συνίσαντας.

hibebit troporum, figurarum, grauium aut ornatorum verborum tamquam machinas ad efficiendum quod vult. Altera ex parte non minus in aperto eſt, vt admiratione tanto magis teneatur audientis animus, non modo rem geſtam, quae narratur, et actionem eo attemperatam eſſe debere, vt mirationem faciat; verum etiam *narrationis genus et rationem* ad admirationem efficiendam vel tuendam idoneam requiri. Qua de re plura monere nihil attinet. Quis enim non videt, orationis genus eſſe debere nec humile nec molle, ſed forte, acre, magnificum, ornatum, etſi pro argumenti diuerſa natura diuerſe attemperatum, et quae ſunt alia. Ab eadem hac cauſſa proficiſcitur illa neceſſitas, vt *carmine* inſtituenda ſit narratio; quandoquidem id genus orationis eſt praeſtantiſſimum (*perfectum* noſtri homines, hoc eſt ſuis numeris abſolutum, dicunt), idemque potentiſſimum ad tenendos et delectandos animos audientium, ad ſenſus magnos affectusque mouendos, rerumque mirabilium phantaſmata cum elicienda et conflanda tum exprimenda viuide et animanda. Nullum autem metrorum genus ad narrationem epicam virtutes habere tam multas et tam magnas, quam hexametrum, et ſenſus quemque ſuus docet, et multis virorum doctorum disputationibus eſt declaratum.

IV. A binis hisce tamquam principiis, vt et res narratae admirationem faciant et ipsa narratio animum admirationis voluptate delinitum teneat, repetenda sunt omnia, quibus carminis epici argumentum, personae epicae, facta, virtutes ac characteres, sententiae, oratio ac dictionis genus constituuntur; verbo *admiratione quaesita delectatio moderatur in hoc genere omnia.*

Potest autem accidere mentibus nostris admiratio rerum vel hominum modo cum molliore modo cum grauiore animorum impulsu; miramur enim alia attonitis similes, alia terrore perculsi, alia cum ira, odio, alia miseratione commoti; interdum magno cum animi aestu miratio est coniuncta, interdum cum leniore ac remissiore impetu, et cum molliore et suauiore animi affectu. Quo ipso sequitur, vt magna in hoc genere esse possit varietas pro argumenti natura diuersa, vtque inanis sit virorum doctorum opera, qui Homeri ac Virgilii exemplis omnem carminis epici naturam circumscribere voluerunt.

Eam admirationem rerum, quae cum terrore aut cum miseratione et grauiore omnino animi affectu mentem impellit, inprimis ad tenendos animos valere, magnamque delectationem habere, quis non videat et naturae humanae esse consentaneum intelligat? Res ex parte animaduersa in opinionem induxerat Marmontelium *), vt intra

*) *Poetique Françoise* T. II, p. 234 sqq.

tragicos affectus non minus epicum genus contineri, et idem argumentum in vtrumque vſum accommodari poſſe exiſtimaret. Sed dramate latius patere carmen epicum, hoc eſt, narrationem per cauſſas et conſilia expoſitam; et magnos affectus non niſi vnam eſſe ex pluribus admirationis mouendae cauſſis, ex ſuperioribus facile intelligitur. Ne illud moneam, epici carminis virtutes multas ex narrationis bonae indole et natura eſſe petendas, ad quam vtique cum caeteris et hoc ſpectat, vt tanto dulcior ſit omnis narratio, quanto magis illa animum terrore vel miſeratione exagitat; vt vero, quod vir elegantiſſimus arbitrabatur, ſutilis aliqua tragicarum actionum compages bonum epos efficiat, valde vereor. Alia res eſt, ſi quis profiteatur, ex epici carminis partibus bonas tragoedias fieri poſſe, de quo iam Ariſtoteles egit Poet. c. 23 et 26.

Illud interea negari nequit, cum id, quod admirationis maioris vim et cauſſam habet, ad animos noſtros mouendos tanto ſit potentius, *heroica argumenta* genus epici carminis nobiliſſimum conſtituere; inprimis ſi *ex heroicis temporibus* petitum fuerit, quibus *deorum interuentu* res aut geſtae ſunt aut geri creditae; etſi minus bene a Batteuſio et aliis tota epici carminis vis ab his deorum miniſteriis deduci coepit. Nec quicquam infelicius cedere poteſt, quam vbi deorum aut geniorum opera vti voluere poetae iis

in rebus exponendis, quas non nisi hominum consilio et manu gestas esse satis constabat.

V. Reliqua, quae de carmine epico praecipi solent, partim *ex narrationis bonae ratione ac praeceptis*, partim *ex poeticae orationis genio*, quatenus in vtroque summa perfectaque ratio quaeritur, repetita sunt et facile repeti possunt; v. c. quae de episodiis argute magis quam vere disputantur; et quae de vnitatis lege praecipiuntur. Vna debet esse actionis summa, si quidem summus in hoc admirationis iniiciendae genere effectus propositus est poetae; ne distrahatur audientis animus infringaturque adeo sensus affectusque vis et intentio, si ad plura auocetur. Neque in his animos generosiores diu detineri velim. Pleraque enim sunt talia, vt, nisi quis tardissimi sit ingenii, primo statim rerum obiectu ea percipiat. Quorsum enim operose multa conscribere aut commemorare, vt factum, quod argumentum epicum contineat, doceas esse debere vnum, et absolutum, et intra iustum temporis spatium comprehensum? quorsum de nectendo et dissoluendo nodo h. e. de difficultatibus aut motis, aut obiectis? de episodiorum affinitate et nexu cum epica narratione? Haec intelligere et assequi haud adeo difficile est *); difficultates

*) Exposita ea sunt a multis; praeferam tamen dicta a Sulzero in *Allgemeiner Theorie der schönen Künste* in voc. *Heldengedicht*; etsi nonnulla sunt, in quorum caus-

paullo maiores tunc nascuntur, si in rem praesentem deducendae sunt istae disputationes, vt appareat, qua ratione et arte in magno factorum numero argumentum carminis ita digeri et adornari possit, vt ad vnitatem deducatur res. Hoc ingenio poetae relinquitur; qui, si ad hoc satis ingenio valet, multo magis praeceptorum istorum copiosa expositione carebit.

Vt vero admiratio rei magnae animum tenere et delectatione perfundere possit, quis porro non videt, ea omnia a poeta curari et sagaciter prouideri debere, *quae ad illud consilium prodesse*, caueri debere ea, *quae obesse possint?* adeoque ante omnia lectoris animum *argumenti notione aliqua* esse imbuendum, vt nec tamen exsatietur; *in mediam rem esse rapiendum*, vt nec tamen rerum nouitas obscuritate laboret; cumque omnia ad sensus et phantasmata in carmine redeant, *rerum obiectarum praestigiis ita deliniendum et fallendum, vt* iam in alia rerum natura et ordine, alia cogitandi, sentiendi, et agendi via et ratione, aliis temporibus, inter alios homines, et extra se solitumque vitae tenorem constitutus, *in nihil incidat, quo* expergefactus quasi ex aureo somnio *sibi lusum fieri animaduertat;* id quod sine indignatione et poenitentia aliqua eius, qui ad se rediit, fieri

sis reddendis aliter sentiam. Multo minus ei adstipulabor in altero loco: *Aeneis.*

non potest. Hinc a viris doctis multa disputata sunt *de probabilitate poetica ac mythica et de verisimilitudine*, quam poeta sectari debet, qui non ipse vult sua acta rescindere. Omnino ad hanc *illusionem*, quam recentiores commode vocant, pleraque, quae de carmine epico cum vtilitate aliqua praecipi possunt, reuocare in promtu est; et ad hanc normam vel maxime reuocare soleo ea, quae de multis Virgilii locis a viris doctis disputata sunt.

VI. *Virgiliani* igitur *carminis*, nam ad hoc ea, quae dicenda habeo, reuocanda mihi sunt, dotes vt recte discernant ac perspiciant, ad id intendant animos adolescentes, auctor sum, *vt, quantum cum in toto argumento tum in singulis partibus insit ad mentes admiratione non sine voluptate tenendas, considerent.* Exponitur a poeta *Aeneae ex Troia capta profugi, post longos errores, in Latium aduentus, et condita ab eo in his locis Troianorum colonia nouaque parata sedes.* Debebant haec certo consilio esse suscepta; cum autem Troiano homini vix in animum venire posset, vt in terris longinquis et ignotis certum animo designatum locum quaereret, opportune adhibita sunt *fata a diis monstrata.* Quis autem non facile intelligat iam ab initio, rem esse magnam, arduam, et admirationis aliquantum habentem, quod profugus aliquis ex vrbe incensa et exul fatis ducen-

tibus in tam longinqua terra, in Latio, nouas ſedes ponit? Quis non in ſummis periculis ac discriminibus, in nauigatione et mox in Italia obiectis, inque malis aut fortiter toleratis aut animoſe depulſis, nouam admirationis efficiendae videat eſſe materiam? nec minus in ſingulis carminis partibus, in motibus et affectibus animi, in moribus, ſententiis? et eidem conſilio accommodatum eſſe orationis genus et colorem et ornamenta? In his ac ſimilibus diſertus eſſe poteſt facile vnusquisque carminis interpres.*) Voluptas autem aliter ex noſtro, aliter ex Romanorum ſenſu, quibus ille ſcribebat, eſt diiudicanda. Ipſe rerum narratarum nexus cum rebus Romanis, animis quidem reuocatis ad earum origines et ad gentis ſtirpes: altera ex parte ſubiecta tamquam fundus narratio Homerica, cui partem carminis

*) Egregius eſt ad animi mei ſententiam declarandam locus Baconis de augm. Scientt. lib. II, c. 13, p. 80. Opp. T. I non reprehendendus ille, ſi ad epicam poeſin reuocetur: „*Cum mundus ſenſibilis ſit anima rationali dignitate inferior, videtur poeſis haec humanae naturae largiri, quae hiſtoria denegat, atque animo vmbris rerum vtcunque ſatis facere, cum ſolida haberi non poſſint. Si quis enim rem acutius introſpiciat, firmum ex poeſi ſumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illuſtrem, ordinem magis perfectum, et varietatem magis pulcram, animae humanae complacere, quam in natura ipſa poſt lapſum reperire poſſit. Quapropter* etc.“ Dignus enim totus locus eſt qui perlegatur.

sui superstrueret, altera ex antiquitate Italiae petita: qua et is delectabatur, qui Graecas litteras didicerat, et is qui Italicis tenebatur: haec omnia, quantam voluptatem afferre Maronis popularibus certe saeculi Augustei debuere!

VII. *Rerum* quidem *inueniendarum* laudem Virgilius habet admodum diuersam ab Homero, nec tamen nullam aut contemnendam. Hic materiam nactus erat tantum non rudem; ille iam a multis tractatam. Homerus famam acceperat, quae res tamquam vere gestas cum fide narraret; easdem multorum poetarum ingeniis ornatas et variatas, tamquam materiem, in qua illi se exercuerant, Virgilius accipit, nouo more ac consilio tractandam, alia aetate, inter alios homines, hominumque sensus et iudicia diuersa. Alterum cum eo comparem, qui verae historiae exornationem suscipit, alterum cum Milesiae narrationis auctore. Scilicet Homerus id agebat, vt narrationem institueret rei ex sua opinione ac persuasione vere ita gestae, cuius magnitudine contactam et inflammatam habebat mentem; propius attingebat tempora heroica, ipsam rerum famam sequebatur, qualis ea in popularium ore ferebatur, cum ipse temporum decursus omnia in maius auxisset, et, vt in maiorum factis et prisci aeui rebus fieri solet, humana facta ad diuinam aliquam speciem ac dignitatem euexisset; deorum itaque ministeriis omnia exsequebatur, quoniam priscis homini-

bus hoc erat perſuaſum, humanis rebus gerendis intereſſe deos praeſentes multoque magis praeſentes adfuiſſe rebus geſtis patrum aetate, iniicere eos hominum animis bona vel praua conſilia, obiicere pericula ac discrimina, iraſci, dolere, metuere, ſperare; verſabatur ſub eodem caelo et adierat ea loca, in quibus res illae, a fama tam magnifice ornatae, fuerant geſtae; vtebatur ſermone, natura ſua poetico, hoc eſt, per philoſophorum ſubtilitatem, et rhetorum ac grammaticorum argutias, nondum fracto et attenuato, ſed qui multum adhuc retinebat ex antiqui ſermonis indole. Eſt autem omnium rudium linguarum ea indoles, vt res ad ſenſum reuocet, adeoque ſenſa animi et cogitata, etiam phyſicas et ethicas ſententias, per rerum naturas, proprietates, vices, vtilitates, propter ſimilitudinem aliquam translatas vel adumbratas, declaret; quibus omnibus poetica vis vel maxime ineſt. Haec ſi ad ſermonem priſcum Graecorum transferimus, non mirabimur eueniſſe, vt philoſophorum quoque antiquiorum opiniones vel praeceptiones, rudium ingeniorum impetu pronuntiatae, ſpeciem narrationis factorum et euentorum induerent. Ortus v. c. mundi ex chao per pugnam elementorum in perſonas et deos commutatorum ab iis erat enarratus. Succeſſit ecce Homerus, qui ea maxime ingenii ſollertia eſt vſus, vt videret, narrationes has poetarum ſuperiorum, quibus illi

philoſophicas doctrinas interpretabantur, omnino narrationum poeticarum loco inſeruire poſſe, ita vt, quae a poetis ante ſe, ex priſci ſermonis natura, expoſita eſſent ſymbolica rerum cogitatarum adumbratione, ea a ſe pro factis et fatis deorum narrarentur. Hac potiſſimum ratione doctrinam de diis poeticam et ſyſtema aliquod mythologicum condidiſſe; ſaltem poſteris reliquiſſe videtur Homerus; cumque ad epicam et dramaticam rerum expoſitionem egregie eſſet accommodatum, in poetarum inde patrimonium illud ceſſit *). Vt rem abſoluam verbo, Homerico ingenio obſtetricabantur et, vt ſine doctrina doctrinam, ſine arte artem habere videretur, efficiebant plurima, quae, ſi ab iſto aeuo diſceſſeris, omnibus poetis deeſſe neceſſe eſt. Virgilius itaque a libero iſto ingenii et mentis impetu et praecipite motu intercluſus, et tot enthuſiaſmi ſovendi, excitandi, et inflammandi adminiculis deſtitutus, priorum poetarum exemplis tamquam cancellis circumſcriptus, ingenio frenis iam tum ab Ariſtotele aliisque iniectis, ab arte neceſſe

*) Diligentius ab eo inde tempore (a. LXX) de his, quae ſummam veteris poetices et mythices continent, a me actum eſt in Commentatione *de origine et cauſſis fabularum Homericarum* 1777 (in *Nouis Commentariis Soc. Reg. Gotting.* T. VIII). Add. Proluſio de *cauſſis mythorum veterum phyſicis* 1764 (nunc recuſa in *Opuſcul.* To. I, p. 184) et de *Apollodoro et litt. myth.* Commentat. in *Not. ad Apollod.* To. III, p. 911 ſq.

habuit petere omnia. Alio ille aeuo, ab heroica aetate nimis remoto, inter diuerſiſſimas hominum, rerum, temporum, locorum ac caeli rationes, opus ſuum erat aggreſſus. Sine doctrinae et multae ac variae lectionis copiis, nulla iam tum ingenii laus erat. Fracto in hunc modum mentis impetu, tamen vel ſic magnum eius etiam in inueniendis rebus ingenium ex his agnoſcas: Primum vidit carmen epicum Homericum poſſe perfici et ornari; tum eius vix eſſe poſſe argumentum idoneum, niſi ex vltima antiquitate et aetate heroum petitum. Eſt enim a natura res ita comparata, vt priſcorum hominum, multo magis heroum, ipſa nomina, res geſtae et fata etiam per ſe non adeo memorabilia, animum humanum teneant et admiratione afficiant. Eſt porro illa aetate morum ac vitae ſimplicitas ea, quae poeticum ornatum ſublimesque rerum formas et ſententiarum grauitatem multo magis ſuppeditet, quam vita hominum elegantior; quando etiam ipſa facta corporum magis viribus et animorum impetu ac virtute gerebantur, quam conſiliorum ſagacitate, et artis vel ingenii ſubtilitate. Tandem gerendis tum rebus ipſi dii interfuiſſe credebantur. Ita deorum miniſteriis res explicare et ex toto cyclo mythico, quae vellet, depromere poterat. Italicis autem mythis in carmen admiſſis novam et Graecis incognitam ſuauitatem adie-

cit *). Tum vero praeclaro iudicio argumentum ex vetere cyclo epico delegit, necdum tractatum a claro aliquo poeta, nec tamen plane intactum, et Homerico aliisque carminibus quasi contiguum ac finitimum **). Ita enim consequutus est hoc, vt materiam haberet copiosam, nec rudem, sed poetica tractatione ab aliis iam subactam et ad epicam dignitatem ac vim accommodatam. Personas et characteres, mores ac facta iam aliunde nota, commendata, constituta ac definita, optauerit sibi poeta vnusquisque ***). Illud vero ad intelligendum procliue est, quam expedita ac facilis esse debeat copia ornamentorum et episodiorum in tali argumento tam late fuso et patente; quod ipsum Homerus aut vidit aut sensit, cum ex toto belli Troiani decursu vnum heroem, vnum factum, selegit, adeoque infinitis aliis rebus ex istius belli historia ad exornandum et amplificandum argumentum recte vti potuit. Hoc vno suo iudicio plurima praeclara carminis sui praesidia et vberrimos fructus tulit Maro. Non nouus et ignotus est lectoribus rerum priscarum notitia aliqua imbutis heros, cuius fata ille ex-

*) De hoc vid. Excurs. IV. V. VII. VIII ad lib. VII, tum plures alios ad libros seqq.

**) Vid. mox Disquis. II, et Excurs. I ad lib. II, Excurs. XVII ad c. l. et al. loc.

***) Eo spectant versus Horatiani in Ep. ad Pison. 131 sqq. *Rectius Iliacum c.*

ponit, nec Troianorum nomen ac fortuna tam obscura, quin ab initio statim miseratione afficiamur et virtutis admiratione. Deorum autem interuentus, Iunonis et Veneris irae et studia, ac partes iis tribuendae, egregie erant iam ab Homero definitae. Quando itaque primo statim Aeneidis ingressu Iunonis *memor ira, irarumque caussae, saeuique dolores* memorantur: odia Iunonia ex Homero statim succurrunt legenti et iam ab initio grauem de Aeneae fortuna sollicitudinem iniiciunt *).

VIII. Poetae sollertiam et acumen etiam in hoc spectari volo, quod non modo ex nobilissima antiquitatis parte, qualis rerum Troicarum est, verum etiam ex eo temporum articulo Aeneidis argumentum duxit, qui intra paucorum annorum decursum ingentem vim illustrium facinorum ac memorabilium casuum conuersionesque rerum mirabiles cum Graeciae et Asiae tum Italiae comprehendit. Nam excisо Ilio dici vix potest, quantopere vbique turbatum sit. Victi victoresque ad nouas sedes quaerendas per totum terrarum orbem dispersi vagabantur**), et versus occidentem maxime, qui tam parum adhuc Graecis notus erat, vt Circes insulam (Circeios Latii) pro extremis occidentis finibus habere, et ad haec

) Conf. Excurs. I ad lib. I.

**) Egregius est eam in rem Strabonis locus lib. I, p. 48 B, et lib. III, p. 150 A.

loca, tamquam incognita et rerum miraculis gignendis idonea, tot fabuloſe narrata referre poſſet Homerus. Primum tum a Graecis nauigatio vltra Siciliam frequentari coepit, cum ad illud tempus Phoenices illa maria tenerent, niſi quod e Creta aliisque forte inſulis paucae naues Siciliam adibant.

Errores iſti *heroum ab Ilio redeuntium* variis Graecorum *carminibus epicis*, Νόστοι ea inſcripta erant, materiam et argumentum praebuerant; quae ſi ad tempora noſtra peruenisſent, plura forte veſtigia in iis deprehenderemus, quibus Virgilius inſtiterat; quandoquidem in ſimili argumento cum iis verſabatur. Sed eaedem hiſtoriae ſeu fabulae de Achiuorum reditu magnae *tragoediarum Graecarum* parti materiam ſubiecerant, vt inprimis ex Euripide apparet, et multo magis ex tot deperditarum titulis intelligitur. Ex Graecorum autem tragoediis, inprimis Euripidis, omnino poetam plurimum profeciſſe ex iisque orationis ſuae dignitatem paſſim et maieſtatem, ſententiarum quoque acumen, granditatem, pondus, interdum tragico propius*), affectuumque grauitatem tragicam, vt in Amata,

*) Inprimis hoc in nouiſſimis Aeneidis libris animaduertere licet, maxime in orationibus, vt Iunonis lib. VII, 292 ſq. Turni IX, 128 ſq. Veneris et Iunonis X, 16 ſq. 62 ſq. Draucis et Turni XI, 336 ſq. 376 ſq. Iunonis ad Iuturnam XII, 139 ſq.

in Didone, in Pallante, in Niso et Euryalo, comparasse equidem suspicor. Magna earum pars a superioribus poetis latine iam erat reddita *); quae res poetae non parum adiumenti ad orationis cultum et copiam afferre debuit. Caeterum his aliisque inuentis emendauit vitia, quae argumento inerant eumque haud parum premebant. Loca Italiae, Siciliae, Africae, non erant ignota, vt Homeri aetate; adeoque nec fabulis, quae delectare possent, idonea; nisi in lectorum animis succurreret antiquitatis doctrina et amor; vt omnino poetica vis et delectatio, quam illa affert, plurimum mutuatur ex antiquitatis eruditae, inprimis mythicae, recordatione.

IX. Veniamus ad *dilectum in heroe*, quem sibi sumsit poeta, *factum*. Primum persona eius, genus, fortuna, nomen ac virtus, et olim vnumquemque liberaliter institutum, adeoque Homerica lectione imbutum, tenere debuit, et nunc tenet; qui casus eum in Italiam adduxerit, discere auemus; Troianorum autem e patria incensa profugorum fata lubenter cognoscimus. Longa nauigatio per mare ista aetate parum navibus frequentatum ad terras nondum humano cultu, quem aliquando accepturae erant, celebratas quidni locum faciat plurimis periculis ac difficultatibus, quibus Aeneae virtus in admira-

*) Conf. ad lib. II Excurs. I, pag. 276 sq.

tionem sui rapere poterat? Infestiae deae ira asperrima et ex altera parte tot deorum monitus expectationem faciunt magnam*). Quae omnia cum ad rerum magnitudinem, quae animum admiratione detineat, valeant, ad narrationis probabilitatem egregie quoque sunt comparata. Sed cum plura huius generis narrari possint, et in Notis et Excursibus passim notata sint, in dilectu tamen Aeneae magni poetae ingenium ac iudicium doctum et exquisitum nihil magis arguit, quam quod eum potissimum Carminis sui heroem circumspexit, qui in Italiam Troianorum coloniam deduxerat, nouum regnum in Latio constituerat, vnde Albae Longae adeoque etiam Romae origines repetebantur, quique adeo, etsi nec nobis ingratum esse potest, tanti imperii primas origi-

*) Singularis est *Marmontelii* censura in Virgilium *(Poetique Franç.* T. II, p. 237), soli superstitioni superstructum esse Aeneae in Italiam aduentum, adeoque nisi ad animos superstitione simili tactos vim nullam habere posse. Vt verbo rem absoluam: Ponamus Aeneam posthabitis deorum monitis in alia terra consedisse, apud Didonem sedem fixisse, quod vir acutissimus malebat; et cogitemus, quo animo illud laturi simus inter legendum vel audiendum. Aliud est *Batteuxii* acumen, qui narrationi de aduentu Aeneae et Troianorum in Italiam nihil inesse videt, quod humanitatis sensum attingat. Quid vero? alienum a te, si homo es, puttabis, an magnus et virtute clarus vir ex incensa patria profugus, e clade suorum superstes, post tot aerumnas, et casus fortiter toleratos, tandem ad tutam sedem delatus sit?

nes cognoscere, tamen Romanis, antiquitatis suae tantopere studiosis, vnus omnium maxime acceptus et commendatus esse debuit. Argute itaque et ingeniose in primis statim versibus poeta audientibus pollicetur narrationem rerum, a quibus origo Romae deducta esset: *genus vnde Latinum Albanique patres atque altae moenia Romae.* Quam magnifica haec promissio in fronte noui operis et ad animos expectatione erigendos idonea! De Aenea eiusque erroribus ac fatis omnes veteres annales Romanorum loquebantur, quod ex fragmentis passim a Sext. Aurelio Victore seruatis et ex Dionysio ac Festo satis colligi potest; attigerat quoque Troianas res Ennius in Annalibus, vt colligo v. c. ex fragm. pag. 6, eundemque Aeneam in nonnullis, quae interciderunt, Graecorum carminibus partes sustinuisse non obscuras, ex Lycophrone, qui antiquiora collegit, et ex imitatoribus seu exscriptoribus veterum intelligas, Quinto Calabro lib. XI. et ex Dictye. Cum autem omnino in Graecorum Romanorumque libris de Aenea tam multa narrata essent, paratas ornandi et amplificandi argumenti copias Maroni ad manum fuisse apparet. Quae eius felicitas cum vulgo parum nota et intellecta sit, paullo accuratius mox ea de re*), variis etiam deinceps Excursibus de singulis par-

*) Disquisit. II.

tibus *), agemus. Cum tandem poeta rerum ordine in Italiam deductus esset, noua rerum, hominum, et locorum genera ac nomina subnascebantur, contingebatque adeo, quod in votis ille habere debuit, vt praeter ea, quae a Graecis tractata satis erant, noua et intacta ipse afferre posset **).

Iudicium poetae in dilectu herois, quem ornaret, quam elegans et exquisitum sit, etiam ita iudicari posse puto, si quis aliorum carminum epicorum argumenta comparet, vt Herculis vel Thesei facta, Argonautica, bellum Thebanum, Gigantum vel Titanum pugnam; quae omnia etsi summa cum arte tractata et expolita, non tamen ad eum splendorem excoli potuissent, neque satis momenti ad animos impellendos aduertendosque habuissent; cum contra ad popularium inprimis mentes tenendas Aeneae fata tantam vim habere deberent, quantam paullo ante diximus; accedente quoque Penatium et Vestae aeternique ignis religione, in conspectu posita ***); vt taceam sacra antiquitus accepta, quae a Troianis tradita

*) Excurs. I ad lib. III. Excurs. II et sqq. Tum ad lib. V Excurs. I. II. VI; add. Excurs. IX et XVII ad lib. II et plures Excursus ad lib. VII et sqq.

**) Vid. ad lib. VII Excurs. II. IV. V. VII. VIII; ad lib. VIII Excurs. I. II. III; ad X Excurs. I; ad XI Excurs. I; ad XII Excurs. III.

***) Vid. mox Disquis. II et Exc. IX ad lib. II ac passim.

vulgo ferebantur. Adeo omnia ea, quae Dionys. Halic. I, 49 ad adstruendam Aeneae in Italiam aduentus veritatem memorat, simul ad poetae sapientiam declarandam valent: Τῆς δὲ ἐπὶ Ἰταλίαν Αἰνείᾳ καὶ Τρώων ἀφίξεως Ῥωμαῖοί τε πάντες βεβαιωτάι, καὶ τὰ δρώμενα ὑπ' αὐτῶν ἔν τε θυσίαις καὶ ἑορταῖς, μιμήματα, Σιβύλλης τε λόγια, καὶ χρησμοὶ Πυθικοὶ, καὶ ἄλλα πολλά· ὧν ἐκ ἂν τις, ὡς εὐπρεπείας ἕνεκα συγκειμένων, ὑπεριδοι· πολλὰ δὲ καὶ παρ' Ἕλλησι γνωρίσματα, φανερὰ καὶ εἰς τόδε χρόνε λείπεται etc.

X. Neque vero huic argumenti felicitati et tantis materiae copiis poetae ingenium defuit; immo vero ingeniose inuentis ille non minus ingeniose vsus est, et in rebus tractandis, ornandis, et carmine persequendis non minus felix fuit, quam in inueniendis et excogitandis. Vellem id vno in loco a me exponi posset! Sed factum hoc est in singulis carminis partibus singulisque locis opportunius, et, ne hoc loco in immensum rerum campum euagetur disputatio, ratio nobis nonnullorum tantum habebitur, quae quidem praecipua et grauissima videbuntur. Spectant ea partim *ad Homericam imitationem* cum in descriptione carminis tum in singulis partibus ac locis; partim *ad elegantiorem phantasmatum et narrationis omnino habitum*; partim denique *ad orationis dignitatem et ornatum*.

XI. Ipſam *Aeneidis ideam, deſcriptionem, et dispoſitionem partium ad Homericum* partim Odyſſeae partim Iliadis *exemplum factam* eſſe negari nequit; Efficti enim errores Aeneae ad exemplum Vlyſſis, et eorum, quae in Italia ab Aenea geruntur, magna pars adumbrata ad exemplum Iliadis; pauca quoque carminis lumina locaque inſigniora, et rerum orationisque ornamenta eſſe arbitror, quae a Virgilio ſine exemplo inuenta, et tum primum ex ipſa rerum natura adumbrata et deſcripta eſſe, affirmari poſſe putem. Certe pauciſſima ex iis occurrere memini, quorum non aut exempla aut ſemina aut materias modo rudes modo inchoatas ac praeformatas ex Graeco aliquo poeta excitare aliquis poſſit. Atqui ex Graecis poetis tam pauci ad nos peruenerunt; quid? ſi plures eſſent ſuperſtites, maxime Alexandrini? eos enim inprimis, quod ſuſpicor, Virgilius aſſidue tractauit et orationis colorem inde duxit. Neque dici poteſt, non ſtudio, ſed caſu aut neceſſitate, Graecum et Romanum poetam, dum eundem rerum et ſententiarum orbem libero mentis meatu peruagantur, in idem phantasma aut ſenſum et dictum incidere potuiſſe ac debuiſſe. Factum hoc vtique et ſaepe. Nec alterum, quod forte moneas, negari poteſt, multa paſſim ab Vrſino, Guellio, Cerda, Clarkio, forte et ab aliis pro imitatis et adumbratis afferri temere, quae partim ſimilitu-

dinem tantum, interdum et hanc satis obscuram, habeant, partim talia sint, vt sanus quisque et rerum intelligens homo, si easdem res exponat, iisdem modis ac verbis, iisdem sensibus ac sententiis vsurus sit; cuiusmodi multa a me omissa sunt, nonnulla eo consilio apposita, vt comparatione facta saltem delectent. Maroni tamen innumeris in locis Graeca, Homeri inprimis, ante oculos fuisse, probant plura, et primum quidem *totius carminis descriptio* ab Homero petita, *tot versus* ad verbum latine conuersi, *tot loca*, quae exquisitiorem cultum et ornatum vel acumen vel doctrinam aut aliud quid reconditae naturae produnt, quae ea simplicitate, vt reliqua, enuntiaturus erat, nisi fuisset, qui iam occupaverat; fieri enim solet, vt, si qua ab alio iam proprie dicta sunt, ne in eadem verba incidas, *ornate* ea et *acute eloquaris;* porro *graeca ratio flectendi verba* vel *orationem*, quae ad indolem poeticae dictionis Virgilianae et genium pertinet; tum *poetae* ipsius *professio* Ge. III, 10 *Primus ego in patriam mecum — Aonio rediens deducam vertice Musas;* tandem *veterum auctoritas*, vt Senecae Suasor. III, qui Virgilium *non furripiendi caussa, sed palam imitandi, hoc animo, vt vellet agnosci*, in multis versibus alios expressisse affirmat. Manifesta haec imitationis Homericae vestigia in quam diversas partes laudis vel reprehensionis a viris

doctis deflexa sint, longum est dicere*) Aliis nihil diuinius fuit imitatore Virgilio, aliis nihil ieiunius et sterilius. Equidem hoc in loco multa esse video, quae nec laudi magnopere nec veniae locum faciant, sed quae rei naturae et rationi ita sunt consentanea, vt, quomodo aut quare aliter se habere debeant, caussa idonea non appareat. Summam carminis ad Homericum exemplum constitutam esse vidimus. Cum itaque semel ad Odysseae et Iliadis tamquam magisterium Aeneidem composuisset poeta; quidni Homerum in partibus quoque aut singulis locis sequendum putaret? et, cum omnino vestigiis eius insisteret, quandoquidem argumentum affine ac simile tractabat, difficile erat cauere, ne in easdem passim

*) Comparationes Virgilii et Homeri instituerunt multi inde a Macrobio Sat. V. Librum singularem concinnauit Fulu. Vrsinus. Sed piget videre viros doctos plerumque accedere ad eam rem studio in alterutrum poetam incensos, adeoque id agere, vt alterum deprimant, alterum immodicis laudibus extollant, facereque adeo eos vtrumque sine subtili iudicio. Haerent porro in verbis et versibus singulis, nec summam carminis et partium concentum respiciunt, adeoque animum ab eo auocant, quod in considerationem adduci debebat. Discrimen primarium statim ipsa temporum, quibus vterque vixit, et hominum, quibuscum vixerunt, et sermonis, quo vsi sunt, diuersitas inferre debuit. Virgilius arte et studio finxit ingenium, et ad sublimitatem ac dignitatem, ad elegantiae sensum aliquem in rebus et verbis, expoliuit. Quam diversa in Homero fuerint omnia, hoc loco exponere nihil attinet.

rerum ideas, eadem phantasmata, easdem sententias, eadem πάθη incurreret. Sunt autem multa, quae vno tantum modo recte dici et efferri possunt; multa, quae, si naturae consentanea esse debent, variare velle ineptum sit. Praeterea non facile assequare, quomodo poeta doctus et Graecorum poetarum lectione subactum habens et ornatum ingenium, cum se ad opus suum conuerteret, ita omnia, quae legerat, animo expellere et exturbare potuisset, vt nihil ex prisina lectione obuersaretur animo: maxima autem eorum, quae imitatione expressa dici possunt, pars eiusmodi est, vt non tam data opera et studio Homerica verba aut sententias reddere voluisse videri possit, quam vt potius in ea incidisse videri debeat, ipsa re ea, quae olim lecta et cognita in simili argumento memoria tenebat, iterum ad animum reuocante. Atqui hoc imitandi genus, tantum abest, vt reprehendi possit (etsi nonnulli id faciunt in nostris quoque poetis, etiam in ingeniosissimo, Wielando), vt poetam doctum nihil magis arguat et deceat. Sed in Virgilio reprehendendo vel laudando id, quod primo loco reputandum erat, non meminerant viri docti, poetam, etiamsi ingenium eum ad noua et intacta tulisset, hoc suae aetati suisque popularibus tribuere debuisse, aut saltem in opinione eius temporis communi excusationem habere, cum ad artem poetae et ad maiorem carminis

suauitatem pertinere crederetur, *si multa ex Graecis essent expressa vel adumbrata.*

XII. Hoc aetatis suae iudicio, a nostro forte sensu prorsus alieno, continetur defensio poetae, et caussa perorata est, si illud demonstratum dedero. Romani litterarum lumen a Graecis acceperant; sermonem suum ad Graeca expolierant et locupletarant; ex Graecis primi poetae fabulas, mox et epica carmina, conuerterant*); ad Graeca exempla se composuerant ii, qui primi elegantiae et venustati orationis studuerant**). Perlustret mihi aliquis veterum poetarum ante Virgilium fragmenta, inprimis Ennii, pleraque ex Graeco aliquo poeta aut latine expressa aut imitatione adumbrata videbit. Etiam Plautus ac Terentius toti fere ex Graecis vel ad Graecos comparati et constituti sunt. Ad Graeca prorsus ingenia se composuere Romani; in Graecis puritiam et adolescentiam consumebant. Ex multis scriptorum, inprimis Ciceronis, locis notior res est, quam vt plura de ea monenda sint. Itaque, etsi exculto iam sermone Romano, et pluribus Romanorum ingeniorum foetibus

*) Ita Cn. Matius Iliadem (vnde fragm. apud Scalig. ad Varron. de LL. VI, pag. 149 Stephan.), Varro Atacinus Argonautica.

**) Graeca expressit in epicis Catullus. Hoc idem fecerat C. Heluius Cinna in Smyrna sua, Augustei autem aeui memorantur multi, qui epe ex graecis fabulis composuerant. conf. Ouid. Epp. ex Ponto IV, 16.

in publicam lucem eductis, tamen ne sub Augusto quidem destiterunt summi viri Graeca exprimere latine, cum Graecis ornatu certare, eorum inuenta sua facere, multo magis si nouum carminis genus in Romanas litteras inferrent. Horatii quidem Carmina pleraque ex Graecis Lyricis adumbrata esse nullus dubito; quandoquidem inter tam pauca fragmenta ex istis lyricis seruata vix vnum et alterum est, cuius non imitationem ab Horatio factam excitare possis; quid itaque futurum putabimus, si Lyricos Graecos integros cum Horatio comparare liceret! Neque aliter se rem in Catullo, Ouidio, Propertio aliisque habituram esse credere fas est, si Graeci Elegorum scriptores, inprimis Alexandrini poetae, adhuc extarent. Quis itaque Virgilium reprehendat, quod popularium suorum sensum, iudicium ac morem, sequutus totum se ad Graecos poetas in suis carminibus exprimendos applicuit? Noua accedere videbatur voluptas, quae delectationem in maius auctam afferret, si praeclara et suauis sententia simul graeci loci recordationem faceret, vnde esset expressa. In Aeneide itaque pauci sunt mores (seu characteres), vix vllum factum notabilius, vix locus aliquis praestantior, in quo non poetae alicuius Graeci, inprimis Homeri, vestigia agnoscas. Sed in eadem Aeneide multo doctiorem et ingeniosiorem imitatorem agnoscas facile, quam in Bucolicis, in quibus

multa passim aliena a rerum veritate et ratione posita notauimus, et alia facile notari possunt, in quae poeta imitandi studio parum subtili incidit, vt cum pastor indoctus Ararim et Oaxem memorat, aut in illis: *nuper me in littore vidi*, aut: *nouimus et qui te*, et id genus alia. Neque vero haec Graecorum imitatio aut ingenio carere aut iudicio putanda est; est enim illa nequaquam seruilis aut affectata, cuiusmodi ab ingenio exili et ignauo proficisci solet, neque in alterius poetae verbis, modis, et figuris variandis turpiter ingenii vires attriuit poeta; sed, vbi occurrerat aliquid ab alio ingeniose cogitatum vel inuentum, illo tamquam phantasmate tactus Maronis animus, vel, vti fieri solet, si scintilla idoneo fomite excepta est, flamma correptus incaluit, et magno incendio exarsit. Hinc nouae rerum formae, noua genera, nouae interdum naturae. Nemo facile, si singula recognoscat et excutiat, non intelligit Virgilium, etiam vbi presse sequitur, modo castigatiore, pulcriore, vel augustiore rei specie, Latini sermonis elegantia, aut nouo rerum ornatu, modo deducta feliciter ac deflexa ad aliud rerum genus sententia vel oratione, certasse cum Graeco poeta. Inprimis autem se Romanis in Homeri imitatione magnopere probare debuit cultus Augustei saeculi, quo simplicitas inculta, et horrida interdum Homeri vetustas, aut iners languor, modo ad honestiorem et mitiorem cultum

a Marone, modo ad elegantiorem ornatum aut ad incitatiorem vim temperata est. Hoc nomine ipse Aeneas commendabilior videri potuit: omnibus eius factis, moribus ac dictis maior aliquis humanitatis cultus ineſt; apparatus rerum sunt ornatiores; ornamenta dignitas, splendor et elegantia, μεγαλοπρέπεια, sed heroum personis digna, illustrat. Quae quidem res in longam disputationem adduci posset, si animi magis lubitum quam scriptionis consilium prosequi mallemus*); monemus saltem, vnicuique Virgiliani carminis virtutes rite aestimaturo alte hoc menti insidere debere, vt reputet, qua aetate, quo in populo, qua in vrbe, quos inter homines poeta vixerit, quem inde colorem carmen eius duxerit, vt, etsi saluo et integro heroicorum temporum more, pu-

*) Scripta haec erant, cum in manus sumsimus *Hurdii*, elegantissimi Britanni (nunc Episcopi Worcestriensis gravissimi), disputationem de imitatione poetica, qui praeclare rem expedit, quatenus et rerum a poetis tractandarum et ingeniorum tantam inter se esse affinitatem docet, vt plures eadem aut eodem modo eloqui necesse sit; bene etiam notas verae imitationis apponit. (Adiiciamus nunc illud, quod non minus in considerationem venit, carmen epicum iam antea ab Ennio tentatum fuisse Annalium libb. XL, quod sane historicum potius fuit quam epicum, multis tamen luminibus et virtutibus probatum et laudatum; nisi quod sermo horridus, ingenium nulla arte expolitum, et versuum inertia venustioribus displicebat; Virgilio adeo allaborandum fuit, vt carmen ad maiorem orationis cultum, quem ex saeculi genio paratum habuit, eueheret, si exempla Graeca exprimeret.)

rior tamen, mundior, et castigatior esset carminis habitus, affectus et πάθη alia mitiorem alia grauiorem naturam omninoque cultioris aeui dignitatem haberent, heroumque mores, sententiae ac dicta, etsi heroicae aetati consentanea, spirarent tamen nescio quid ex elegantia saeculi, vrbis et domus Augusteae, in qua poeta vixit.

XIII. Ad cultum Virgiliani carminis gratum et amabilem non minus spectat *orationis indoles*, quippe quae in simplicitate mirabili dignitatem seruat et grauitatem. Ornatu enim vario et exquisito, et sermonis poetici nitore, orationis dignitate et grauitate, sententiarum pondere, Homerum longissime antecellit, cuius laus hac in parte praecipua in proprietate et simplicitate, tum in suauitate numerorumque facilitate, posita est (nam sermonis Ionici epicae narrationi tam praeclare accommodati felicitatem aetati suae debuit), etsi nec vis et robur nec pulcritudo et interdum nec ornatus ei desit. Sed nec Virgilius in ornatissima oratione simplicitatem et proprietatem deseruisse videri debet; etsi sequiores scriptores, nec modo poetae, multa orationis suae pigmenta et lenocinia ex eo adoptarint; male in pedestrem illatis iis, quae carmini erant propria. Certe poetici ornatus elegantis nec affectati praestantissimum et vnicum exemplar esse arbitror carmen Virgilianum; in hoc sermonis poetici genium primo constitutum et ad certa rerum principia ac leges ex-

actum deprehendere, et troporum ac figurarum naturas inuerſionumque rationes deſcriptas, et, tamquam a magiſtro norma propoſita, conſtitutas diſcere licet *). Quae ipſa res animaduerſa me adduxit, vt in ſermone Virgilii poetico enarrando et explicando operam collocarem accuratiorem, quam in vllo alio ſcriptore recte conſumi a me poſſe putem. Nolim enim, id quod ſaepe profeſſus ſum, aliis auctor eſſe, vt omnes poetas eodem modo interpretatione perpetua operoſe nimis inſtruendos eſſe ſibi perſuadeant; etſi facile intelligo, iis, qui Silium, Statium aut Valerium Flaccum aut ſimiles cum fructu edituri ſunt, ad orationem illuſtrandam non minus, quam ad lectionem conſtituendam, conuertendum eſſe ſtudium; a me id ſaltem ſpectabatur, vt iis, qui bona inſtitutione egerent, exemplo aliquo propoſito, et quidem in poetarum principe, de vera enarrandi ratione conſtaret, ad quam ſe, etiam nullo alio magiſtro adhibito, comparare poſſent. Attamen in hac ipſa poetici ſermonis conſtitu-

*) Diſcere adeo licebit et illud, in quo magnos poetas falli videmus, non omnem orationem, omnesque formulas ac modos loquendi, per inuerſiones eſſe mutandos et detorquendos; ne naturalis cultus omnis defluat, et ne ſuccedat oratio contorta, ſalebroſa, obſcura. Hic eſt ille ſcopulus, ad quem iam olim offenderunt Virgilii imitatores Statius, Valerius Flaccus, Claudianus; quos propter hoc ipſum inuerſionum intempeſtiuum ſtudium a paucis cum voluptate legi videmus.

tione poetae laus et virtus non tam in inueniendo quam in inuento aliorum cum ingeniosa sagacitate in suos vsus transferendo cernitur. Alexandrinis enim poetis, Callimacho, Apollonio, Nicandro, Arato, poetici sermonis exquisitioris indoles et natura vnice est accepta referenda; hoc eorum docent scripta, in summa simplicitate cultum, nitorem, et ornatum admirabilem, quem nulla alia aetas assequuta est, referentia. Videntur scilicet poetae doctissimi et Ptolemaeorum contubernio expoliti animaduertisse, non infeliciter Tragicorum tumorem Homerica simplicitate temperari et natam inde orationis grauitatem aetatis suae elegantia quodam modo imbui, adeoque dignitatem cum venustate consociari posse. Hos Maro auctores habuit, cum tanto maiore iudicii laude, quod Ennius et caeteri, qui praecesserant, de orationis elegantia et ornatu castigatiore parum laborauerant.

XIV. Placet nunc in fine subiicere nonnulla et per saturam monere, quibus virorum doctorum *opinionibus, quas totam carminis indolem vel characterem tollere videas*, tacite aut expresse a nobis occurratur; nam in contentionem cum quoquam descendere nec ingenii nostri nec moris est.

XV. Primum *de consilio*, quod poeta in Aeneide conscribenda sequutus sit, et *de fine*, quem propositum habuerit, multi varia commi-

niſcuntur. Iam primum Iuliae gentis origo ab Aenea ducta, et ſtudium gratiae Auguſti demerendae potuit ſorte Virgilii animum ad hoc Aeneidis argumentum aduertere; hactenus non male dici poteſt, niſi Octauianus in gentem Iuliam adoptatus fuiſſet, nullam nos habituros eſſe Aeneidem; ſunt quoque multa in Iuliae gentis Auguſtique honorem in carmine ingenioſe intexta; nec tamen dici poteſt, Auguſtum Aeneidis caput fontemque eſſe. Nihil magis alienum eſſe poteſt ab epico carmine quam *allegoria;* iugulat enim totam eius vim, rerum et hominum dignitatem attenuat, gratum animi errorem excutit et aeſtum inter legendum refrigerat, voluptatemque omnem intercipit. Certatim tamen viri docti argutiis ſuis Aeneae perſonam nobis eripere et Auguſtum ſubmittere allaborarunt. Etiam ex parata noua in Latio ſede miſeros Troianos exturbarunt; adumbratum eſſe a poeta nouum tum Romae conſtitutum vnius principatum. Simili acumine alii arcana, neſcio quae, dominationis Auguſteae conſilia, in Aeneide condenda deprehendere ſibi viſi ſunt. Ita *Spencius*, elegantis ingenii vir*), πολιτικὸν epos eſſe Aeneidem ſibi perſuaſum habebat, neque aliud quicquam poetam ſpectaſſe, quam vt animis libertatis ereptae deſiderio aegris fomenta admoueret, et nouum principem appro-

*) Polymetis *Dialogue* III, p. 17 ſqq., quem paſſim ſequuntur *Warton*, *Holdsworth*, et alii.

baret. Nihil tamen Aeneae personam, fortunam, facta et fata habere videas, quod ei consilio respondeat; nullus in Aeneide populus est liber, qui dominum accipiat; nulla regni seu imperii, monarchiam vocamus, bona videas exposita aut commendata; verbo nihil occurrit, quo libertatis amore contacti animi adduci aut allici possint, vt a bono principe malint tuto regnari quam cum libertatis vano nomine paucorum potentium dominatione vexari. In Iuliae gentis honorem, quae ab Iulo Aeneae filio originem ducere videri volebat, nonnulla passim suauiter memorari; ad Augusti laudes ingeniose alia inseri, ipsa carminis lectione manifestum sit, et a veteribus quoque Grammaticis iam monitum est locis pluribus; sed, quantam vim ea res ad dominationem Augusti commendandam habere potuerit, mihi non satis constare lubenter fateor. Neque, si noua Aeneae sedes in Latio diuinis humanisque iuribus vallata fuerit, quale inde propugnaculum nouo Augusti regno partum sit, intelligo; vt adeo, si demonstrari hoc possit, poetae consilium illud in Aeneide condenda propositum fuisse, parum feliciter eum in eo perficiendo et exsequendo versatum videri dicerem.

In eandem tamen opinionem iam ante Spencium inciderat vir doctus inter Francogallos *),

*) L'Abbé *Vatry, Discours sur la Fable de l'Eneide Mem. de Litterat. To. XIX, p.* 345.

qui inprimis similitudinem inter Aeneae et Augusti personam et fortunam diserte persequitur. Ingeniose eum ludere non neges; et conuenit ei cum multis aliis doctis viris, qui opinantur, Augustum sub Aeneae persona esse adumbratum; eo spectare virtutes Aeneae a poeta tributas; eo referunt multa alia. Videas nonnullos tam egregie sibi placere in hoc inuento, vt vndique conquirant et venentur ea, quae ad Augustum accommodari possint. Sic oris dignitas (lib. I, 589 *Os humerosque deo f.)* cum assentatione in Augustum memorata est *). Ignoscenda haec putem alicui ex media assentatorum turba, qui Aeneide lecta vnam vel alteram Aeneae laudem ad Augustum traheret vt Principi palparet. Sed, vt Maro tam dissimiles personas, fortunas, virtutes et facta ac res gestas inter se comparare voluerit, mihi quidem, si eius iudicium et elegantiam recte teneo, parum probabile videtur. Sapientior erat poeta et rei poeticae intelligentior, quam vt talem cogitationem in animum admitteret. Nam, praeterquam quod Aeneae characterem non inuenit, sed ab aliis iam traditum accepit, circumspiciendae erant a poeta virtutes Aeneae eiusmodi, quae in epico argumento vim et splendorem haberent, et factorum, quae enarranda erant, causas idoneas sup-

*) Plura huius generis v. c. apud *Iortinum*, elegantia haud minore quam doctrina imbutum virum, Diss. VI, p. 248 et apud alios reperias.

peditarent. Quod si ille studium suum ponere voluisset maxime in hoc, vt Aeneas Augusto assimularetur, quam multa et quam parum consentanea epicae narrationi, argumento, operis characteri, temporum rationi, illaturus in carmen suum fuisset!

Eadem fere via carmen πολιτικὸν conditum a poeta visum iam olim erat R. Patri *le Bossu* *), vt Romanos partim ad amplectendum et probandum praesentem rerum statum adducere, partim Augustum ad moderationem ac clementiam adhortari et a dominationis libidine et impotentia reuocare voluerit. Sed nec huic consilio vlla ex parte respondet Aeneidis siue argumentum siue tractatio; profugus ex vrbe incensa Aeneas nouam sedem quaerit, armis vim illatam propulsat, et sic porro; quid tandem his inest, quod ad imperandi artes ac virtutes spectet? Fabulae tamen Virgilianae vniuerse inesse et in singulis carminis partibus aut locis ac versibus occurrere talia, quae principibus pro salubribus praeceptis commendari possint, nemo neget; quin etiam inter vtilitates, quae poetarum carminibus debentur, praecipue hoc commemorandum est. Verum non propterea dici potest ac debet: in condendo carmine et in fabula deligenda et ordinanda tale praeceptum propositum poetae fuisse, cuius explicandi caussa narrationem instituueret. Narrare ille voluit ac debuit rem

*) *Tr. du Poeme epique* Lib. I, cap. 11.

magnam et arduam et mirabilem. Quod narratio illa et delectatio, quae inde accipitur, cum vtilitate ad omnes hominum ordines, inprimisque ad principum animos coniuncta est, hoc epicae narrationi per se consentaneum est; ipsa enim rei natura ita fert, vt magnorum virorum facta magna et praeclara sine summo ad hominum animos, mores ac virtutem, fructu exponi et narrari nequeant, multo magis si cum sententiarum splendore et orationis ornatu instituta sit narratio. Vana est hactenus et intra verborum ambages ac tricas vagans disputatio, sitne mera voluptas ac delectatio, an vtilitas aliqua proposita cum poetis, tum aliis ingeniosarum artium auctoribus. Fieri scilicet nullo modo potest, quo minus voluptas per ingenii facultatem parata vtilitatem ad aliorum ingenia habeat; enimuero voluptas satis magna (perfectam dicunt nostri homines) esse non potest, nisi cum honesti, pulcri, ac veri sensu illa coniuncta sit. Delectandi quidem modi ac mensurae sunt infinitae: delectationem summam nihil affert, nisi quod suis numeris absolutum est. Decedit adeo voluptati ex Aeneidis seu Iliadis lectione capiendae omne id, quod in alterutra sensui, quem diximus, non satis facit. Contra signa Apollinis vel Veneris, quoniam illum sensum, etiam supra naturae modulum, ea explent, voluptate summa afficiunt, quae nec minus ad animi mores et affectus componendos vim habere debet. Adeo vera voluptas

cum vera vtilitate coniuncta est; vti contra speciosa aliqua praestantia, aut in aliquo tantum genere constituta, vel in adiuncto aliquo inclusa, speciosam tantum aut ex parte haustam voluptatem affert, adeoque etiam vtilitatem iisdem finibus circumscriptam.

XVI. Dissimilem tamen omnino Homericorum heroum aiunt esse Aeneam; inferiorem Achille et Vlysse; *sola pietate insignem.* Quid igitur? si Aeneas alter esset Achilles? alter Vlysses? annon exscriptum potius et seruili imitatione expressum eum dicturi sint? Non ego is sum, qui caeco aliquo poetae mei amore nihil ab eo peccatum esse contendere velim. Iliadis argumentum feliciorem materiam et epicae grauitatis haud paullo plus habere si quis dixerit, me habet assentientem; et delector ipse multo magis Homeri lectione quam Virgilii; regnat in Homericis heroibus naturalis habitus et affectus, animi impetus, iniuriae acceptae sensus, qualem et ipse habeo, desiderium reditus ad Lares, quale ipse sentiam; in Aeneide sunt consilia de nouis sedibus in terra ignota parandis; nihil quod magnopere animum impellat et percutiat. Enimuero non omnia carmina epica ex vno et eodem genere procedere possunt; post Achillis autem iras et Vlyssis in se ex casibus et periculis obiectis expediendo sapientiam seu vafritiem, quae et priscae aetati et epico carmini accommodatior erat, quam sapientia, cum variandum et nouan-

dum esset aliquid poetae, quidni Aeneae *virtutem*, quam cum caeteris heroibus communem habet, *fortitudine animi in perferendis* calamitatibus et *obsequio erga deos* temperaret? Ad hoc eum ipsa rerum ac temporum mutata ratio ducebat, et ea, quae de Aeneae erroribus et aduentu in Latium tradita a superioribus poetis erant, reuocabant. *Monitis deorum et oraculis* omnia ab Aenea susceptа et confecta, Penates et sacra patria ab eo in nouas sedes illata, narrauerat antiquitas (v. Disquis. II); quid itaque magis rei consentaneum, quam vt heros *insignis pietate et religione* exhiberetur? Neque vero non videre debuit tantus poeta, ad rerum magnitudinem et augustam aliquam dignitatem religiosas res, causas et consilia, eximiam vim habere. Itaque hoc quidem tamquam rerum cardine praeclare est vsus, vt praedictionibus variis animos spe et expectatione teneret suspensos, religiosamque aliquam et augustam speciem rerum euentibus praetenderet *). Achilleum quidem robur et iracundia aliena erant a toto argumento; sedata et placida et humanitatis sensu temperata est Aeneae virtus; et, licet concedendum sit, epicam vim maiorem Achilli inesse, non tamen omnes epicas personas Achillem referre posse manifestum est. Meras pugnas Homericis similes et belluinam fortitudinem vix probasset Au-

*) Multus est Seruius passim in hoc, vt Aeneam ex Flaminis alicuius vel Pontificis persona plurima egisse doceat v. c. IV, 29, prauo vtique acumine, cuius tamen fundus aliquis esse debuit. cf. Macrob. III, 1 sq.

gustei saeculi elegantius et mollius iudicium. Cum itaque omnino Aeneidis alius ac diuersus prorsus sit character quam Iliadis, quis non videt importunum esse, in Aeneide requirere ea, quae Iliadi sint propria; easdem animorum inflammationes, aestus, tempestates? insunt Aeneidi alia, quae probes; quidni in his acquiescas? Sed infinitum esset omnia persequi, quae ab iis, qui subtiles poetarum iudices videri volunt, dum rerum argumenta, exempla, causas et rationes miscent, temere laudantur ac reprehenduntur, inprimis quoties Virgilium et Homerum inter se comparant. Sed nobis retundendus est omnis, quo abripi possemus, impetus. Itaque nec Warburtoni sententiam attingemus *), qui perfectum reip. condendae et legum ferendarum auctoris exemplar in Aenea exhibitum esse a poeta voluit; inprimis cum alio loco (ad Lib. VI, Exc. X) eam opinionem attigerimus.

Aeneidis argumentum *in septimum annum* produci, alii cum reprehensione monuere. Perperam vtique. Aeneae errores septem annos explere verissimum est (v. Excurs. II ad lib. III). Sed ipsa carminis narratio non nisi *cum septimi anni aestate exordium habet* (v. ibid.) *eodemque anno absoluitur.* Pari errore Odysseae argumentum octo, nouem vel decem, annis comprehendi creditum est, cum tamen illud intra triginta sex vel septem dies ad exitum perduci manifestum sit ei, qui animum aduerterit.

*) *Divine Legation of Moses T. I, B. II, Sect. IV.*

XVII. Multo minorem esse *characterum*, hoc est, virorum factis ac virtutibus insignium, numerum ac varietatem in Aeneide quam in Iliade conqueruntur passim multi; nec sine poetae reprehensione versus memorant ex Aen. I, 220 sqq. *fortemque Gyam fortemque Cloanthum;* inique admodum et vt sibi ipsi, quid velint, parum constare videantur. Nam locus quidem laudatus nullos heroes recitat, quorum personae vim aliquam habere debeant epicam; non magis quam *Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes Assaracique duo* etc. X, 123 et sic alii; sed veniunt illi viri in censum et turbam eorum, qui tantum nomine laudandi et epitheto suauitatis caussa ornandi sunt: quales apud Homerum innumeri illi pugnantes vel caesi ἐσθλοὶ, ἀμύμονες, κρατεροὶ, αἰχμηταὶ, et sic porro. Excusant Voltarius et Addisonus poetam, sed tam argute, vt summorum virorum subtilitatem mireris: alter, cum Homerus, inquit, cessantem a pugna Achillem exhiberet, alios interea fortia facta edentes exhibere debuit, quod in Aeneide secus sit; alter ad Virgilii elegantiam hoc refert, quod, cum Augustum vellet adumbratum, neminem ei virtute parem adiunxerit. Enimuero cum argumenti indoles et natura totius tractationis mensura et regula sit, plures vtique factorum et rerum gestarum socii et participes esse nequeunt, quam quos res ipsa postulat. Quod si adeo paucos alios, qui virtute emineant, in carmen suum induxit poeta, argu-


menti neceſſitati id condonemus, concedamusque, hactenus Homericam copiam et varietatem morumque diuerſitatem plus delectationis afferre; at ſapientiam viri miremur ſaltem in hoc, quod tanto magis inter omnes vnus Aeneas inſignis virtute eminet, nec eius ſplendori quisquam alius, niſi Turnus forte, officit *). Quae res tanto difficilior erat, cum is nec Achillea aliqua corporis animique virtute omnes mortales antecellat, nec, quorſum immanis efferati animi iracundia aut acceptus Patrocli funere dolor erupturus ſit, ſollicitos nos teneat.

XVIII. De verſu Virgilii epico eiusque ad aurem ſuauitate ac grauitate nonnulla disputare iuvaret, niſi maiorem ſubtilitatem ea res haberet, quam vt legentium animos et oculos tenere poſſit. Illud vnum monebimus, in errorem inducere iuvenilem animum videri eos, qui nimii in eo ſunt, vt ad rerum ſonos et naturas accommodatos et formatos velint eſſe verſus. Equidem non diffiteor ſenſum me animi refragantem habere, quotiescunque perſuadere mihi volo, magnum aliquem poetam aeſtu tantarum rerum abreptum et magnorum phantasmatum vi inflammatum in ſono curſus equeſtris vel tubae vel aliarum rerum reddendo laborare; Attenuat ea res et deprimit ingenium poetae et artis poeticae dignitatem. Sunt tamen, ais, tales verſus in optimo quoque poeta. Recte; ſunt vtique multi; etſi plures alios ad hoc luſus

*) Vid. ad lib. VII prooem.

genus accommodare solet eorum ingenium, qui talibus rebus indulgent; Quis enim, nisi iam animum ad leues hos lusus deflexerit, studium aliquod poetae agnoscat in illis ac similibus, cuiusmodi sunt: *Patris* magni *parere parabat Imperio.* Aut: *Auia* tum resonant *auibus* virgulta sonoris. Mihi vtique ad poetices indolem propius esse videtur statuere, ipsam orationis naturam ita esse comparatam, vt multarum rerum sonos exprimat; inflammatum autem phantasmatum specie obiecta animum, cum, rerum species sibi obuersantes vt oratione viuide exprimat, laborat, necessario in ista vocabula incidere, vel orationis proprietate ducente. Ita graues et celeres, lenes ac duros, sonos vel non id agens et curans ad rerum naturam accommodabit et orator quisque bonus et multo magis poeta. Aliud est, in quo viri docti argutantur, quod versus imperfectos non ei caussae, quam ipsi Maronis familiares prodiderant, quod opus ab eo non absolutum fuit, verum iudicii alicuius subtilitati tribuere voluere. Casu fieri potest, vt versus imperfectus et abruptus in sermone abrupto occurrat, adeoque laudem nescio quam poetae facere possit, v. c. Aen. IV, 361 *Italiam non sponte sequor*, abrupto Aeneae sermone; vbi Seruius: „et oratorie ibi finiuit, vbi vis argumenti consistit.“ Atqui hoc acumen est declamatore dignum, non poeta; multo magis ab epica grauitate abhorret, nec potest placere in oratione metro illigata versus

metro imperfecto relictus, μέτρον ἄμετρον. Aliter res se habet in oratione pedestri, in qua propositionum ad aurium iudicium mensura est liberior, quae adeo variari potest. At in Aeneide vbique manifestum fit studium poetae properantis ad novam sententiam et locum nouum; cum ingenium consumere nollet in explenda et expolienda sententia antecedente, cuius summa capita apposuerat. Sed nolo in his taedium facere; attigi quoque rem Tom. I ad Donati Vitam Virgilii § 59.





DISQVISITIO II

DE RERVM IN AENEIDE TRACTATARVM INVENTIONE

Quale in inueniendis rebus omnino Virgilii ingenium fuerit, non tam fecundum illud in excogitandis nouis rerum generibus, nec audax ad ſuſcipienda vel tentanda intentata ab aliis et intacta, aut ea, quorum ſucceſſus eſſet dubius et incertus; ſed, quae nec minor laus eſt, natum et factum ad inuenta priorum rudia et inchoata perficienda et polienda ornandaque; quam admirabilis porro ac felix fabulae, quam ſibi carminis argumentum fecit, natura ſit et quantum in

hoc dilectu iudicium emineat: ſuperiore Disquiſitione expoſitum eſt. Reſtat, quod illo loco polliciti ſumus, vt paucis declaremus, *vnde poeta fabulam ſuam eiusque tam copioſe inſtruendae et ornandae materiam acceperit;* vt inde clarius appareat, quae et quanta inuenti laus poetae ingenio ea in re debeatur, et quam limatum et ſubtile eius fuerit iudicium in deligendo ſibi argumento eiusmodi, quod ingentes rerum et ornamentorum haberet copias ab aliis iam paratas et ſubminiſtratas, vt doctrina tantum et iudicii ſagacitate opus eſſet ad dilectum faciendum.

I. Solent fere Interpretes, quantum intelligo, quique alii hac de re agunt, ita ſtatuere, vt poetam famam aliquam obſcuram de Aeneae in Italiam aduentu ſequutum eſſe dicant. Enimuero ex iis, quae a Dionyſio Halic. lib. I, 49 ſq. 53 ſq. 72 *), a Strabone lib. XII, a Plutarcho in Romulo, a Feſto in *Roma*, Solino c. 1, Sext. Aurelio Victore de O. G. R. et a Seruio paſſim ad Virgilium

*) Omnino is ea, quae de Aeneae in Italiam aduentu narrata erant, ſtudioſe eſt perſequutus inde a c. 45; quod ipſe profitetur ab initio: βέλομαι δὲ καὶ περὶ τῆς Αἰνείου παρουσίας εἰς Ἰταλίαν — μὴ παρέργως διελθεῖν, τάς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ τὰς Ῥωμαίων τῶν μάλιστα πεπιστευμένων ἱστορίας παραβαλών. Ita legendum. Fatendum tamen, Dionyſium ſuo et aliorum Graecorum more veteres fabulas in hiſtorias accurate ad pragmatici ſcriptoris exemplum expoſitas mutaſſe c. 46, in quo Hellanicus iam praeiuerat, vt c. 48 pr. ipſe declarare videtur.

memorantur, omninoque ex accuratiore historiae cognitione, manifestum fit, *fuisse hanc de Aeneae erroribus, deductaque Troianorum in Latium colonia, narrationem inter illustriores et a multis Graecis Romanisque scriptoribus poetisque expositas ornatasque historias.* Poterant hoc docere saltem ea, quae, etsi diuerso consilio, congessit Ryckius in Diss. de primis Italiae colonis et Aeneae aduentu (ad calcem Holstenii Notar. ad Stephan. Byzant.). Praeterea, id quod primo loco erat commemorandum, communis ac tantum non publica illa erat Romanorum persuasio, quam religiones patriae, Lauinii ad seriora vsque tempora celebrari solitae, firmabant: v. Strab. V, pag. 355 A. erant sacra Penatibus et Vestae a magistratibus Romanis facta: Macrob. Sat. III, 4. cf. Dionysii locum sup. Disqu. I. s. IX. appositum, et Strab. lib. V, pag. 355 A. Obuersabatur adeo Romanorum oculis auribusque Aeneae Troianorumque memoria; nec Maro adeo aliud argumentum clarius et illustrius excogitare potuit *).

*) Liceret forte certiora docere, si Νόστοι supereſſent; vt Antenoris, sic Aeneae errores in iis expositi esse potuere. Fuit forte in iis, qui primus Aeneae errores ad Vlyssis exemplum effinxerat, cumque hic apud Circen substitisset, Aeneas ab eo ad vlteriora, et ad ipsum Latium fuit deductus. Fuisse in mythis antiquiorem aliquam horum locorum notitiam, colligas ex Hesiodi Theog. 1013 vbi Circe ex Vlysse peperisse dicitur

II. Omnino quidem *de Aeneae in Italiam aduentu* fabulae (si *fabulam* dicimus, non ficta ac commentitia res ponitur; sed fabula, μῦθος, omnem veterem famam, historiam et narrationem a maioribus acceptam designat, antequam litteris consignari et sermone pedestri exponi coepisset *)), huius igitur fabulae fundus habetur Homeri ille locus notissimus Iliad. Υ, 307. 308 **), vbi Neptunus diis auctor est, vt Aeneam cum Achille congressum imparem pugna educant, ne eius morte Dardani posteritas deficiat, quem tamen Iupiter prae caeteris liberis diligat omnibus; at Priamum cum progenie Ioui nunc esse inuisum; itaque Aeneam eiusque posteros Troianis esse imperaturos:

Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε, Οἵ δή τοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων Πᾶσιν Τυρρηνοῖσιν ἀγανλειτοῖσιν ἄνασσον. Habuit adeo poeta, qui haec scripsit, notionem Etruscorum, at valde obscuram, *longe, in insularum recessu*, h. in insulis eos collocat: errore forte ab insula Circes nato.

*) [Vid. ad Apollodor. pag. 911.]

**) Translatus ille ac repetitus in H. in Vener. 197. 198, vt pro praedictione Veneris ad Anchisen facta esset: copiose ornatus a Quinto Smyrnaeo XIII, 300 sq. inpr. 336 sq., et a Virgilio praeclare in oraculum Delphis Aeneae datum conuersus: *Antiquam exquirite matrem. Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris Et nati natorum et qui nascentur ab illis* III, 96 — 98. Et hinc versus illi pulcerrimi lib. IX, 446 — 449 expressi.

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Regnum his versibus Aeneae posterorumque eius declarari manifestum est; sed quo in loco illud futurum sit non eloquitur, nec ea de re certa apud veteres fama fuit; quandoquidem de Aeneae erroribus ac sedibus omnino tam diuerse traditum erat *), cum alii eum in Thraciae littore, in Arcadia alii, alii in Sicilia, alii in Italia, quae fama tandem prae caeteris credita ac celebrata est, consediſſe et vitam finiisse narrassent; fuerant quoque qui in ipsa Troade regnum illud constitutum esse vellent. Non nobis iam id quaeritur, quae harum narrationum caeteris aut verior aut verisimilior sit; verum nostra eo spectat disputatio, vt ex hac ipsa narrationis varietate manifestum fiat id, quod volumus, non obscurum aliquem in vetere historia aut inter poetas virum fuisse Aeneam, nec eius fata et res a Virgilio inuentas esse et excogitatas. Illa enim ipsa narrationis diuersitas arguit diuersitatem auctorum, qui de Aenea tradiderant, et poetarum, qui idem argumentum tractauerant. Vt enim poeta quisque in materiam ab aliis ante se tractatam incidit, ita, vt suo consilio vel totam fabulam vel inde partem accommodet, refingere nonnulla et mutare, addere vel detrahere, solet. Diuersis itaque modis eandem rem exponi necesse est. Historici autem Graeci

*) Vid. ad Aen. III Excurs. I.

dum ſuae ciuitatis ſeu populi origines repetebant, popularem famam ſequebantur. Solenne enim hoc Graeciae ciuitatibus, vt ſtirpis vel vrbis conditorem aut haberent aut haberi vellent clarum aliquem ex vltima antiquitate heroem. Eiusmodi famam popularem per multas aetates propagatam quis adeo conſiare ſibi expectabit, vt nulla diuerſitas narrationis inter plures tribus aut ciuitates incidat? quemadmodum altera ex parte eandem veterem famam ad ſe reuocant et ſibi vindicant plures ab communi ſtirpe profectae familiae? Eodem modo cum multae paſſim per varia loca ſparſae eſſent Troianorum coloniae, quid mirum, eas omnes originem ſuam ad Aeneam referre maluiſſe? Vnde diuerſitas illa, partim conſenſio, famae et narrationis neceſſario oriri debuit. Non itaque, vt hoc obiter moneamus, antiquis fabulis omnino fidem detrahit narrationis diuerſitas; manet enim ſemper fundus aliquis non magis veritate ſua deſtitutus quam quae ab auctoribus grauiſſimis traduntur; et neſcio an ſint fabulae veterum, quibus plus verae rerum fidei inſit, quam multis hiſtoricorum fide copioſe, diſerte et ornate, expoſitis, ſiue in antiqua ſiue in recente hiſtoria; his enim fundus quidem aliquis, vt iisdem priſcis mythis, ſubeſt, acceſſere tamen reliqua, quae illi ſuperſtruuntur, ex ingenio vel audacia, interdum impudentia, narrantis. Si *fabulas* itaque *Troianas* loquimur, narrationes maio-

rum auctoritate acceptas et a poetis scriptoribusque ornatas intelligimus; et praeclare hactenus Thessalus Hippocratis f. *) Οὐ μῦθος τὰ Τρωϊκὰ, ἀλλ' ἔργα· adeoque vanam disputationem instituisse videri possunt Cluuerius et Bochartus, qui ex ista opinionum diuersitate probare voluerunt, Aeneam nunquam ad Italiam accessisse. Acriter satis eorum impetum retudit Ryckius in diss. laudata **), sed argumentis promiscue effusis et iudicio parum subtili. Nec enim aliter, quam vt eam famam certam ac constantem obtinuisse doceas, quaestio illa de Italia ab Aenea adita expediri et firmari potest; est tamen talis fama in omni remotiore antiquitate vsque ad ea tempora, quibus res scripto consignare coeptum est, pro fide ac probabili ratione, in qua acquiescere et quam sequi necesse est; nec fuit aut est antiquiorum temporum vlla alia historia, quam mythica, seu fama ac narratione maiorum accepta, mox litteris consignata, cuius adeo fidem ne is quidem, qui primus litteris mandauit, praestare potest nisi hactenus, quod candide ac diligenter famam veterem exposuit aut in diuersitate narrationis sano cum iudicio dilectum fecit.

*) In Πρεσβευτικῷ ad Athenienses, ne Cos vnquam ab iis euerteretur; fetu rhetoris alicuius, inter Epistolas Hippocrat. versus fin. p. 949. Lind.

**) Iterum Wood p. 227 sq.

Iam poetae ne iſta quidem rerum fides ac probabilitas nimis religioſe eſt ſectanda. Si tamen ille ſatis tenere animos vult, nec committere, vt paullo doctiores auditores commentorum licentia offendantur, ea narratio ipſi ſequenda eſt, quae celebritate et claritate ad popularium animos maximam vim habere poteſt. Etſi itaque inter Graecos ſcriptores magnus erat ea de re diſſenſus, cum tamen Romani ſcriptores de Troianorum in Italiam aduentu Albaeque Longae originibus ab Aenea eiusque progenie repetitis vno ore traderent*), iure ſuo Maro fabulam hanc inter Romanos celebratam praeferre caeteris potuit ac debuit.

III. Antequam ad alia progrediamur, *de loco Homerico* ſupra memorato pauca adhuc monebimus. Produnt Homeri verba ſatis aperte regnum aliquod, quod Aeneas eiusque poſteri obtinuerant. Homerus itaque, qui propior aetate ad Troiana tempora vixit, (ſumimus enim hoc, tamquam pro conceſſo, locum hunc non a ſeriore aliquo rhapſodo inſertum eſſe) famam, vt ſolet,

*) Vt p. LXV declaratum eſt; v. inpr. Sext. Aurel. Vict. de O. G. R. Poſt Virgilium narrationem de ſedibus Troianorum in Italia vulgo, etiam inter Graecos, obtinuiſſe, nemo mirabitur; ita apud Quintum Smyrnaeum; apud Tryphiodorum: vbi v. 650 Venus Aeneam cum Anchiſe abduxit τῆλε δὲ πάτρης Αὐσονίην ἐπένασσε. (leg. ἀπέ-νασσε).

aliquam illo tempore ſuperſtitem ea de re ſequutus eſt; niſi forte ipſe in itineribus ſuis in poſteros Aeneae incidit. Fuiſſe regnum illud in ea ipſa Troade, in qua Priamus regnauerat, ea eſt verborum ſententia, quae legentibus locum prima occurrit; atque ita veteres locum ſunt interpretati (v. Strab. XIII, p. 608 C, 906 A, Almel.). Ornata etiam eſt narratio apud Schol. ad e. l. ex Acuſilao: vbi memoratur Venus propter hoc ipſum cum Anchiſe eſſe congreſſa, quod audierat, fatale eſſe, vt, Priamidis exciſis, regnum Troiae ad Anchiſae ſtirpem aliquando rediret. Nato itaque Aenea, cum ei vellet regnum maturius parare, Paridi illa Helenae amorem inſtillavit bellumque concitauit, vt Priami ſtirps tanto celerius excideretur. Fuerunt, qui, cum Aeneam in aliis potius terris, quam in Ilii ſolo aequati ruinis, regnum condidiſſe mallent, interpolatione facta πάντεσσιν pro Τρώεσσιν, in ſuas partes poetam traherent.*) Alii diuerſum ab Anchiſae Venerisque filio Aeneam fuiſſe ſtatuebant; erant quoque, qui de patre male memoratum dicerent, quod ad Aſcanium eſſet reuocandum; alii denique Aeneam rebus in Italia conſtitutis Troiam eſſe reuerſum ex eodem illo loco ſibi perſuaſerant. v. Dionyſ. Halic. I, 53. Quam ce-

*) ap. Strabon. l. l. p. 906 B. quod ſequutus eſt Virgilius Aen. III, 97. *Et domus Aeneae* cunctis *dominabitur oris.*

lebrata inter veteres et nobilis debuit esse narratio, quae cum tanta opinionum varietate in diversas partes tractaretur!

Strabo quidem vulgari narrationi de Aeneae erroribus et Italiae aditu omnino repugnare locum Homericum existimabat; in hoc enim innui, Aeneam ad Troiam (ἐν τῇ Τροίᾳ) mansisse, in regnum successisse idque posteris suis reliquisse. Potuit tamen Troianis imperari ab Aenea etiam aliis in locis, etiam in Italia; et vel hoc posito, sententia sua Homerico loco constat; quod iam Dionys. Halic., acutus scriptor, vidit, lib. I, c. 53. Quod tam obscure oraculum illud Neptuni extulit Homerus, ad naturam et morem vaticiniorum accommodate factum est. Ratio eius rei reddi potest etiam haec ipsa, quod in terris longinquis regnum illud Aeneae constitutum erat; vnde non nisi obscura et incerta fama inter Graecos de eo esse poterat. Quam parum enim frequentatum Graecis et notum mare Tyrrhenum et Adriaticum Homeri aetate fuerit, vel ex Odysseae fabulis intelligas, quae intra illa maria continentur, neque satis probabiliter a poeta narrari potuissent, nisi eius popularibus parum adhuc nota adeoque fabulis idonea plaga illa fuisset.

IV. Vt tamen Troia euersa discessuque Achivorum facto dispersos fuga Troianos iterum in ea loca conueniisse et in patrio solo regni aliquam speciem restituisse credamus, plura fidem

faciunt, et eo plures poetarum narrationes alludunt; illud tantum in incerto est, quo duce, auctore aut rege, exules conuenerint. Alii Antenorem, alii Hectoridas, alii Aeneam, Ascanium alii, res Troianas restituisse narrauerant (v. de his ad lib. II Exc. XVII, p. 318 sqq.). Suspicari licet in regno hoc seu condendo seu condito turbas factas inter viros principes ex regia stirpe oriundos, et hinc noua discidia, nouos discessus et in alia loca profectiones et inde iterum reditus sequutos, vt adeo diuersi restituti Ilii auctores prodi potuerint. Hoc quidem modo diuersissimae istae scriptorum rationes componi et conciliari inter se facile possunt.

V. Sed, vt diximus, nobis non tam id agendum est, vt diuersitatem narrationis in consensum redigamus, quam vt *copiam rerum narratarum*, quae poetae *pro materia carminis* esset, *ex hac ipsa varietate* declaremus. Sunt autem multa, quae, etsi ab aliis alia ratione tradantur et ornentur, fundum tamen communem priscae alicuius et a maioribus acceptae narrationis aperte prodant; sunt alia, in quibus omnes fere conueniunt, vti Callistratus, Satyrus et Arctinus, hic quidem antiquissimus, in hoc, quod Aeneas Penates cum Palladio abstulerit (vide ib. c. 68. 69, adde Lycophr. 1261 sqq. Xenoph. de Venat. non longe a pr.); quod patrem et filium secum duxerit (v. partim ibid. par-

tim Auct. de Orig. G. Rom. c. 9 et 11 et inprimis egregius ex Sophoclis Laocoonte locus ap. Dionyſ. I, 48 Νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνείας, ὁ τῆς θεᾶς, Πάρες', ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίᾳ Νώτῳ καταστάζοντα βύσσινον φάρος. Κυκλεῖ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν, Συνοπάζεται δὲ πλῆθος, ἐχ ὅσον δοκεῖς, Οἱ τῆσδ' ἐρῶσι τῆς Φρυγῶν ἀποικίας; ita enim lego pro ἐχ ὅσον δοκεῖ Σοι, τοῖς δ' ἐ. *conſluit multitudo maior quam tu putas* (eorum), qui *huic Phrygum diſceſſui intereſſe cupiunt* *). conf. inf. Exc. XVII ad II, p. 320). A Strabone XIII, p. 607 inter πολυθρύλητα memoratur et hoc, et alia, de quibus ſigillatim ſuis locis videbimus, inprimisque quod in Latium diſceſſerit Aeneas, et ſecundum oraculum eo loco conſederit, vbi menſam comederant. Vulgarem hanc inter Italos fuiſſe fabulam, vt et alteram illam de ſue grauida **), copioſe docet Dionyſ. Halic. I, 55. 56, Conon Narrat. 46 et ex Lutatio, Catone et Caeſare, Auctor de Orig. G. R. c. 11. 12; e quo omnino patet, ex ſcriptoribus Romanis antiquis non facile vllum fuiſſe, qui Aeneae fata et adventum in Italiam non expoſuiſſet. Item Varro de RR. II, 4. Adde Lycophr. 1250 ſqq. (vbi male πύργες τριάκοντα iungunt, iam inde a Scholiaſte; ſed per πύργες exponi puta χώραν, et τριάκοντ'

*) Et ſic nunc editum video e Tyrwhitti emendatione in noua edit. Sophocl.

**) Vid. Excurſ. II ad lib. VII.

ἐξαριθμήσας γονὰς ad ſuem ſpectare). Inter caetera tamen omnium maxime notabile videtur illud, quod Graeci ſcriptores dudum ante Auguſti tempora originem Romanorum a Troianis Aeneaque duxerunt, et imperium orbis terrarum ex Homericis de Aenea verſibus ad eos transtulerunt; v. Conon Narrat. 46 et inprimis Lycophron v. 1226 ſqq. Apponerem loca, niſi breuitati ſtuderem; erit etiam nonnulla ex his perſequendi commodior locus, quando de ſingulis agetur. Eſt enim nobis hoc inprimis propoſitum, vt veſtigia, etiam obſcura, veteris hiſtoriae perſequamur, quibus inſiitiſſe vbique poeta videri poteſt. Nec enim ille facile ſine auctore loquitur. Simul adoleſcentes exemplum mature habere cupimus, nam praeceptis haec res non facile expediri poteſt, quo conſilio, qua ratione, ac quo ſtudio in narrationibus mythicis cognoscendis verſandum ſit. Nihil enim aliud agere velle, quam cognoſcere ac quaerere et in vnum locum congerere, quid hic vel ille et ſexcenti alii eadem in re tradiderint, cenſuerint, ſomniaverint, hoc eſt, opera et otio abuti. Contra vtilitatis illi ſtudio et honeſtatis ineſt plurimum, ſi modo veteres hiſtorias populorumque origines, modo priſcorum hominum mores ac vitam vel ſermonem vel religiones, modo poetarum inuenta, notiones, ſententias, inde illuſtres, addiſcasque quae illi, quos nobis fortuna ſeruauit, ex

antiquioribus poetis hauserint, ante oculos habuerint, quomodo illa variauerint, ornauerint, quid in quaque re, in quoque consilio, quod sequerentur, spectauerint; vtque ab ingenuis poëtarum fabulis inepta illa grammaticorum, monachorum et interpretum, commenta diligenter discernas. Simili studio versandum sibi esse teneant adolescentes in oratione, eiusque structura, singulisque loquendi formis obseruandis. Vt in aliis liberalibus studiis, sic in hoc antiquiorum litterarum, proposita esse debet saltem vtilitas aliqua, otio nostro, hoc vitae viriumque modulo digna, honesta et liberalis. Nihil autem ieiunius esse potest ista doctrinae ostentatione, qua modi loquendi rariores ac difficiliores, exemplorum turba vndique conquisita et ad digitos disposita, illustrantur; nisi simul aut ipsis locis lux aliqua inde affunditur, aut orationis proprietas, elegantia et ornatus, declaratur, ita vt ad rei notionem seu speciem menti insidentem accedat inde aliquid, quo illa viuidior, plenior, apertior, iucundior, fiat. Hoc saltem modo is, qui eos modos animo et memoria tenuerit, vbi lectione ad illa aut similia loca perrexerit, lucratus est ex illa doctrinae copia hoc, quod sensum eorum, quae legit, habet et veriorem et acriorem. At enim nihil aliud tenere quam formulas loquendi exquisitas et raras, miserum et inane studium est, non minus, quam illud, si in auctoribus

classicis legendis id vnice agas, vt, emendandi et corrigendi, saltem coniectandi, sagacitatem quo loco adhibere possis, circumspicias, de ipsis autem rebus et sententiis, propter quas de verbis laborandum erat, parum sis sollicitus. Sed nunc vniuerse nonnulla, quae ad fabulam Aeneidis spectant, summatim exponere consilium erat.

VI. Quod *per praedictionum ambages* totus Aeneidis decursus praecipitatur, inter felicissima ingeniosissimi poetae inuenta a me numeratum est *). Miram enim ad hominum animos vim habent futurarum rerum denuntiationes, et ex iis euentus. Quippe ea est generis humani tamquam imbecillitas, vt, si futura, etiamsi *obscure* et *ambigue*, et *nullo cum fructu*, praeuisa et praedicta audiamus, maiore miratione contacti simus omnes, quam si praesentia bene constitui, prudenter geri, videamus. Est porro accommodatissima poeticae arti et orationi illa expectatio, quam vaticinia faciunt, et poetae spiritum nihil maiore cum vi impellit et inflammat, quam vatum furor, et oraculorum ambages. Tandem Virgilius ea aetate viuebat, qua totus terrarum orbis miro vaticiniorum et oraculorum amore insaniebat: cf. Argum. Ecl. IV, ita vt ista expediendae narrationis epicae ratio pro felicissimo inuento vulgo haberi deberet. Est tamen etiam

*) Sup. Disqu. I. f. IX. XVI.

hoc commentum ita comparatum, vt rem non excogitasse sed commode oblatam sapienter in vsus suos conuertisse dicendus sit. Miro enim omnium scriptorum consensu tota de Aenea narratio per vaticinia, oracula, somnia, auguria et omina exigitur, siue hoc poetarum, a quibus ab initio ea fuit tractata, siue antiquorum hominum, a quibus posteri eam acceperunt, ingeniis tribuendum est. Troianos sane e Phrygia, auguriorum omninoque vaticinandi ac diuinandi artium quasi matre ac sede, digressos multas huius generis fabulas in Graeciam et Italiam apportasse probabile sit. Fuisse adeo, qui disciplinam auguralem e Phrygia in Italiam allatam traderent, e Seruio ad lib. III, 359 discas; etsi Tyrrhenos iam antea communi barbarorum superstitione eas artes tenuisse credendum est. Omnino enim prisco tempore, antequam naturae studium subtilius et philosophiae acumen increbuit, gens fuit nulla, quae non significari futura, et a quibusdam intelligi praedicique posse censeret (Cic. de Diuin. I pr.) *). Inprimis vero in deducendis coloniis summa oraculorum vaticiniorumque auctoritas erat; quod satis vel ex vno Herodoto constat (cf. Cic. l. c. c. I f.) **).

*) [Nunc de eo accuratius actum in Prolus. I. II. *Historiae naturalis fragmenta ex ostentis, prodigiis et monstris* 1784.]

**) [Conf. Opusc. T. I, p. 315. 316.]

Ad ſedes itaque Troianis in Italia conſtituendas oraculis et vaticiniis nihil videri debuit accommodatius. Poeta certe egregie hanc veterum ſuperſtitionem ſeu religionem eſt amplexus, maiorumque fama et hiſtoriarum fide in Troianis ſuis eo vſus eſt, vt per fatorum decreta ac deorum interuentum omnia ab eo narrata procederent. Inde Aen. X, 33 *ſin tot reſponſa ſequuti Quae ſuperi Manesque dabant.* Fuit in his idem illud de Anchiſae ſtirpe, quod Venerem ſequutam eſſe ſup. ſ. III. ex Acuſilao vidimus traditum. Etiam Apollinis Grynei et Lycii ſortes, quibus Italiam quaerere iuſſus erat, memorat Aeneas apud Didonem lib. IV, 345. 346. add. VI, 59—61. (At quod in Cypriis ab Heleno in Paridis profectione editum vaticinium a Proclo memoratur, ad belli Troiani mala ſpectauit.) Callide autem ab obſcuris et incertis ad certiora magisque definita progreſſus diſcendi cupiditatem ſubinde nouis ſtimulis incendit. Etſi enim Caſſandra dudum *profectionem in Italiam* praedixerat; factum tamen erat obſcure (in *Heſperiam*, terram aliquam occidentem verſus ſitam) et ab ea vate, cui nemo fidem haberet: Aen. III, 183 ſqq., vbi Anchiſes: *Sola mihi talis caſus Caſſandra canebat: Nunc repeto, haec generi portendere debita noſtro Et ſaepe Heſperiam, ſaepe Itala regna vocare. Sed quis ad Heſperiae venturos littora Teucros Crede-*

ret, aut quem tum vates Caſſandra moueret? et ignorabatur ſitus Italiae: ſunt Heleni verba III, 381 *Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam, Vicinosque, ignare, paras inuadere portus, Longa procul longis via diuidit inuia terris.* cf. 478. 479. Recte adeo Aeneas dicere poterat lib. III, 7 ſe Troia profectos *Incertos, quo fata ferant, vbi ſiſtere detur.* cf. Excurſ. XV ad lib. II. Verum in ipſo rerum narratarum ordine apud poetam primum lib. II, 281 ſq. Hectoris vmbra Aeneae per ſomnum ſuadet fugam, *nouamque in alia terra, vltra mare,* quod Troadem alluit, *coloniam* promittit. Mox auſpicium, primum flammae in Iuli capite, II, 681, tum exorti ſubito meteori v. 692 receptum ad Idae munita loca et *ſpem poſteritatis ex Iulo* oſtendunt; nec non Creuſa *Heſperiam* ſedem futuram, et quidem *Tiberi* fluuio nunc primum nominato, interpretatur v. 781 ſqq. (vbi Excurſ. XV videndus). In Delo Phoebi oraculum eam terram declarat eſſe adeundam, e qua *Troiani originem ducant; ibi magnum imperium conſtituturos eſſe Aeneae poſteros* III, 94 ſqq., quae, cum illi auctore Anchiſe, qui Teucrum e Creta oriundum meminerat, male de Creta acciperent, inque hac conſidere vellent, Penates per ſomnum Aeneae oblati de Italia manifeſtius exponunt, v. 163 ſqq. eſſe terram, Heſperiam Graecis dictam, antiqua fama; ſoli fer-

tilitate, incolarum virtute nobilem, Oenotriam olim dictam, nunc Italiam ab Itali ducis nomine: hinc Dardanum aliquando profectum Troiae loca adiisse; esse in ea terra Corythum, seu vrbem seu heroem, et regionem Ausoniam Troianis exquirendam. Inprimis ingeniosum est, quod Troianorum origines ex Italia repetuntur per Dardanum, lib. III, 167 sqq. VII, 205 sqq., fabulis diuersi generis confusis, sed exemplo aliorum: v. Excurs. VI ad lib. III. Quibus narratis ab Aenea Anchises vaticiniorum Cassandrae de adeunda Hesperia et Italia reminiscitur v. 183 sqq. Post haec recte iam illa ab Aenea dici potuerunt lib. I, 380 sqq. *Italiam quaero patriam Matre dea monstrante viam, data fata sequutus.* Vnum aliquid adiiciunt Harpyiae de comesis post epulas mensis, tamquam futurae sedis ac coloniae signo, III, 254 sqq. Tandem Helenus in Epiro omnes casus errorumque ordinem manifeste ac clare exponit III, 374 sqq., etiam de sue XXX porcellos enixa, et de mensis comesis, alia a Sibylla expectanda esse monet v. 441 sqq. Saepe in somnis Anchises Aeneam admonuerat: IV, 351 sqq., eadem Anchisae anima in Sicilia per somnum descensum ad inferos, V, 730 sqq., apud Cumas autem Sibylla accessum ad Lauinium, bellum et Euandri societatem, praedicit VI, 83 sqq. Adde his posteritatis recensum apud inferos, et VI, 891. 892 *Exin*

(Anchiſes) *bella viro memorat quae deinde gerenda, Laurentisque docet populos vrbemque Latini, Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.* Omnia haec ſecundum aliquam auctoritatem apponi, partim in ſingulis locis videbimus, partim ex ſequentibus patebit. Nec minus apud Latinos praedictus erat Fauni oraculo, tum variis oſtentis monſtratus exterorum aduentus et Lauiniae coniugium cum aduena: v. lib. VII, 58. 64 ſq. 71 ſq. 96 ſq. 254 ſq. 267.

VII. Scilicet omnino iam ante Troiae excidium, et a primis inde temporibus, praedictionem aliquam fama iactatam fuiſſe, qua, euerſo Ilio, Anchiſae Aeneaeque maior rerum ordo, maiora fata promitterentur, ipſi Homerici verſus declarant ſupra (p. LXVII) memorati, ex Iliad. υ, 307. 308. Ad Venerem retuliſſe homines eam praedictionem multa docent. Ita in Sophoclis Laocoonte Anchiſen, *mandatorum a Venere acceptorum memorem*, de fuga cogitare, filiumque, vt in Idam ſe reciperet, hortari, videas in fragmento ſupra (p. LXXIV) memorato ex Dionyſ. I, 48, quod forte noſter reſpexit, dum Venus Aeneam hortatur lib. II, 619 *Heu fuge, nate dea* etc. Omnino Venerem Aeneae ſaepius obviam factam notauimus ad Aen. I, 407. Eadem viae dux fuiſſe filio Troia excedenti narratur Aen. I, 382. *Bis denis Phrygium conſcendi nauibus aequor Matre dea monſtrante viam, data*

fata sequutus et ap. Quint. Smyrn. XIII, 326, et stellam, quae profectionis augurium fuerat, Aen. II, 694 sq., ei debitam fuisse probabile sit. Fuisse tamen, qui Mercurio aliquas ea in re partes tribuerent, non modo ex Marcelli in Regillam Herodis vxorem carmine intelligitur: nam ibi Mercurius missus Aeneam vrbe capta eduxerat *); verum etiam, et multo magis, e tabula Iliaca, in qua (n. 109) Mercurius praecedit Aeneam vrbe egredientem. Aliud Veneris monitum apud Cononem narratum fuerat; Aeneas, postquam Troia excesserat, aliquamdiu Idam incoluerat, vnde πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα ᾤχετο κατὰ Ἀφροδίτης ἐπίσκηψιν **). Mox mugiente boue

*) v. 24 sq. lunula in senatorum calceis inde repetitur, quod Mercurius similem lunam ἐν τῷ πεδίλῳ habuerat, cum Aeneam vrbe educeret Νύκτα διὰ ὀνοφερήν· ὁ δέ οἱ περὶ ποσσὶ σαωτὴρ Πιμφαναίων ἐνέκειτο σεληναίης κύκλος ἀΐγλης. Obscurum est, quale ex mente poetae lucidum hoc ostentum fuerit; forte lumen in pedis calce lunae simile, quo Mercurius ductor insignis esset. Ita quoque statuit V. C. Visconti (*Iscrizioni Greche Triopee*) p. 84. Habuit auctor haud dubie veterem poetam, quem expressit. Lunam ea nocte illuxisse tradiderant Cyclici v. Exc. II. ad lib. III.

**) Conon c. 46. Aeneas διαφυγὼν τοὺς Ἀχαιούς, τὸ μὲν πρῶτον ᾤκει τὴν Ἴδην. Postea cum Oxynius et Scamander, Hectoris filii, ex Lydia reduces paternam ditionem occuparent, ἀναλαβὼν τὸν πατέρα καὶ ὅσους δύναιτο τῶν συμφυγάδων, πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα, ᾤχετο κατὰ Ἀφροδίτης ἐπίσκηψιν. Ita *versus orientem* profectus esset

Idaea terrarum circa Aenum Macedoniae imperium suscipit; τῆτο γὰρ Ἀφροδίτη ἐπέσκηψε: cf. de hoc Cononis loco Excurs. I ad lib. III. Etiam praedictionem illam, sedis condendae locum fatalem illum fore, vbi fame compulsi mensas comedissent, iam pridem Anchisae a Venere factam, e Caesare lib. I et Lutatio lib. II monet Victor O. G. R. 11 *Tum Anchisa conïiciente, illam esse miseriarum errorisque finem, quippe meminerat, Venerem sibi aliquando praedixisse* etc. et cap. 9 ex Alexandro Ephesio lib. I de bello Marsico: — *Idam petit, ibique navibus fabricatis — oraculi admonitu Italiam petit;* et Dionys. I, 55 — ne in vlteriores Europae partes classis Troiana nauigaret, οἵ τε χρησμοὶ ἐγένοντο αἴτιοι, τέλος λαβόντες ἐν τέτοις τοῖς χωρίοις καὶ τὸ δαιμόνιον πολλαχῶς τὴν ἑαυτῆ βέλησιν ἐνδεικνύμενον. Narrat inde portenta in appulsu ad Laurentum facta, latices fontis repente e terra prosilientes, mensas absumtas, et vocem ex luco repente auditam. At Sibyllae monitus, quos alii ibid. apud Dionys. I, 55 Erythris acceptos narrarunt, quosque Tibullus II, 5 nouo exemplo,

Aeneas Veneris monito; cum tamen mox narretur Aeneas Hellespontum traiecisse. Sed Photius, cui excerpta haec debemus, etsi parum commode, dicere voluit: *orto sole* Aeneam ex sedibus ad Idam discessisse, vt ab ipso Virgilio II, 801. in discessu Aeneae: *Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae, Ducebatque diem — Cessi —*

oestro vaticinantis in elegiam illato, arripuit, praeteriit Maro, cum Sibyllae alius locus in carmine, aliae partes essent, in lib. VI. Interea Apollini omnino honos ille mansit perpetuus, vt ad eum fatorum Aeneae et posterorum, Italiaeque ab iis occupatae, fatalis ordo referretur. Nobile illud Horatii in Carmine saeculari: *Condito mitis* et seqq. *Roma si vestrum est opus, Iliaeque Littus Etruscum tenuere turmae, Iussa* (oraculo) *pars mutare Lares* etc. add. C. IV, 6, 3. 21. Refertur quoque ibid. 21. ad communem Apollinis et Veneris operam, vt Troiae excidium post Achillis fata differretur, ne omnis Troianorum stirps a saeuiente illo exscinderetur.

VIII. Fuisse etiam *somnium* aliquod Aeneae celebratum a multis, ex Cic. de Diu. I, 21 apparet: *Sint haec, vt dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam* Aeneae somnium: *quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est,* vt omnia, quae ab Aenea gesta sunt, quaeque illi acciderunt, *ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt.* Narratum igitur erat apud Num. Fabium, qui, dum graece scripsit, Graecos auctores sequi potuit, somnium, quo fata Aeneae exponerentur per quietem ex ordine, quae deinde euentus comprobauit.

Etiam *Penatium monitus*, quos per somnum acceperat Aeneas, passim fuisse memoratos, ex

Seruii loco discere licet ad III, 148 Penates — *quos quidam dicunt, ideo inductos a poeta monere per somnum: monitu nam eorum per quietem iussum cum Latino foedus fecisse; eorum etiam monitu Latinum Aeneae se coniunxisse* (haec eadem apud Dionys. I, 57 occurrunt); *eosdem tradit* (Varro) *visos aliquotiens in somnis, quid fieri vellent, imperasse, eaque nostros publice curasse maiores.* Etiam dubitationem post appulsum ad Laurentem agrum de loco nouae vrbis capiendo secundum nonnullos oblati per quietem Aeneae dii patrii diremerant ap. Dionys. I, 56. Descripta et haec e Catone in origine gentis Romanae, quem eo toto loco Dionysius sequitur; nam totidem verbis ex illo libro leguntur ista ap. Auct. de O. G. R. c. 12 extr.

IX. Latinus Fauni oraculo monitus fuerat, vt generum sibi sumeret extraneum aliquem et cum eo regnum communicaret. Sic Virg. Aen. VII, 58 sq. 81 sq. 254 sqq. Paria ex Catone (non ex Q. Lutatio) prodit Victor de O. G. R. 13. — *vtpote qui* (Latinus) *in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur; namque extis ac somniis saepe admonitus erat tutiorem se aduersus hostes fore, si copias suas cum aduenis coniunxisset.*

X. Similiter etiam in caeteris, quae ab Aenea in Italia gesta sunt, poetam id egisse, vt

antiquas hiſtorias narrationesque de oraculis et oſtentis ſuis conſiliis accommodaret, ex iisdem auctoribus clarum eſt, et infra quoque ſuo loco ſigillatim monebitur. Quam auctoritatem in excidio Troiano ſequutus ſit, pluribus Excurſibus ad lib. II declarabitur.

XI. Ex iis, quae adhuc dicta ſunt, ſatis, puto, intelligitur, non male hoc a me pronuntiatum eſſe: materiam carminis poetae mira fortuna oblatam fuiſſe, non ab eo excogitatam et inuentam; tractationem autem et ornationem etſi non magis poeta a ſe petiit, cum Homeri veſtigiis inſiſteret, ita tamen eum illa in re verſatum eſſe, vt elegantiore iudicio, maiore cultu et exquiſitiore ornatu, omnia perſequeretur.

Etiam hanc argumenti, quod poeta tractandum ſibi ſumſerat, felicitatem aliquam habendam eſſe ſupra (Disqu. I. ſ. VIII) diximus, quod, cum *per deorum miniſteria* res eſſet exſequenda, offerrent ſe Iunonis et Veneris numina, quae poetae cauſſae tam praeclare ſeruiunt, potentiſſima illa, et ipſa fabula iam dudum conſecrata; nam, quod inſigni Veneris cura habitus eſt Aeneas, id ex Homero familiare ſibi habet lector, et Iunonis odium in Troianos non minus ex Homero notum eſt. Iam eximio aliquo fortunae beneficio res ita ferebat, vt alterius deae numen Carthaginienſibus et mox Turno accommodari poſſet, altera autem dea non modo tamquam

Romanorum tutela constanti religione coleretur (conf. Lucret. I pr.), verum etiam Iuliae gentis prima stirps et origo haberetur. v. ad lib. I Excurs. I* In Iunonis autem odio tractando et ad poeticam vim temperando poetae prodesse potuere etiam Ἡρακλεῖαι, carmina, quae olim extabant de Hercule, quale v. c. Stesichori fuit. Iunonis enim odiis plurima in his videntur fuisse expedita; qua in re iam tot in locis Homerus praeiuerat, v. c. Iliad. σ, 119. ξ, 256 sqq. ο, 25 seqq.





Caeruleique deos Ladio I, 6.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER PRIMVS

ARGVMENTVM

Troia capta Aeneas, Anchisae et Veneris filius, vir singulari pietate parique fortitudine praeditus, cum erroris sui anno septimo per mare Tyrrhenum a Sicilia in Italiam nauigat, immissa ab Aeolo rege ventorum, rogatu Iunonis, grauissima tempestate ad Libycum littus adpellitur 1 — 169: *egressusque in terram, septem ingenti magnitudine cernos sagittis prosternit, singulosque in singulas naues (tot enim ex dispersa classe collegerat) aequaliter distribuit: socios deinde, longis iam erroribus fatigatos, spe futurae quietis ad tolerandum*

quod reliquum erat laboris hortatur — 222. *Interea Venus Aeneae fui Troianorumque cauſſam apud Iouem agit, omniumque calamitatum illarum cauſſam Iunoni imputat. Iupiter contra, referata fatorum ſerie, ſpe felicis poſteritatis potentiaeque Romanorum, filiae dolorem conſolatur* — 304. *Cuius oratione confirmata Venus, Aeneae ſuo, locorum ignaro et explorandae regionis cauſſa huc illuc oberranti, ſeſe obuiam praebet: nauesque diſperſas ſaluas eſſe nuntiat: oſtenditque non procul illinc abeſſe Carthaginem, quam tunc in iis locis condebat Dido* — 409. *Aeneas itaque, matris beneficio caua nube cinctus, vna cum Achate Carthaginem ingreditur: vbi et ſocios ſaluos reperit, et a Didone benigne excipitur* — 656. *Venus tamen, quod neque Iunonio hoſpitio neque muliebri inconſtantiae ſatis fideret, ſopito in Idaliae lucis Aſcanio, pro eo Cupidinem ſubſtituit, qui inter amplexus et oſcula latenter reginae amorem inſpirat Aeneae.*

Ille ego, qui quondam, gracili modulatus auena
Carmen, et, egreſſus ſiluis, vicina coegi,

Ille ego. Vulgaris ſententia eſt, quatuor hos verſus auctorem habuiſſe Virgilium, ſed a Vario eſſe ſublatos. Quod ſi ita res ſe habuit, acutior ſane Varius Virgilio fuit. Sed totum illud commentum

A carmine bucolico et georgico ad heroicum ſe procedere ſignificat, quisquis hos verſus ſcripſit. Sententia integra: *Ille ego — nunc h. M. arma virumque cano.* Bene autem, tam longa oratione interiecta, poterat illud *at* in apodoſi praefigi, quod ties factum videmus; quod adeo reprehendi aut *at* in *et* mutari nolim. Reliqua ſic iungenda: qui, *modulatus — et egreſſus ſiluis,* (re pecuaria relicta, Ecl. IV, 3) *quondam coegi arua vicina, vt parerent colono quamuis auido;* vt, licet ille frugum

Vt quamuis auido parerent arua colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Pseudodonati fide nititur, v. T. I Vita Virg. §. 60, et nobis quidem verisimilius est, a Grammatico aliquo versus hos esse assutos; factum enim est hoc idem in aliis poetis; etiam olim in Hesiodi opere rusico hoc sibi permiserunt Rhapsodi. Caeterum reiecti ii versus sunt doctissimorum virorum suffragiis, v. Burm. ad h. l. Burm. Sec. in Misc. Obss. Vol. VI Tom. III p. 523 et in praef. Virgil., partim quod ab optimis codd. inprimis Medic. et, quantum aestimare licet, a Romano absunt (cf. Heins. it. Miscell. Obss. Vol. VI p. 523. e nostris non habet Goth. tert.); partim quod ab Ouidio et aliis Aeneis a verbis: *Arma virumque*, tanquam principio carminis designatur; quod tamen argumentum paullo leuius est; poterant enim verba laudari,

terrae sit auidissimus, tamen agri, prouentus vbertate, cupiditati eius satisfacerent. cf. Burm. *Parent arua et arua coguntur parere*, agricolae studio et opera, quae declaratur a poetis per *imperium, vim*, et similia: dicuntur agri *domari, seruire, parere*. At h. l. de poeta, super re rustica praecepta dante, idem bene e poetica ratione, qua ad praecipientem, tanquam auctorem, refertur id, quod facere praecipit, dicitur; at forte non nisi in pedestri oratione dictum est: *cogere arua, vt pareant*. Arua *vicina* possint non incommode dicta videri, iisdem *siluis*, h. e. pascuis, subiecta. *Arma horrentia* si sunt horribilia, nouatum hoc esse putabimus; forte ab ipso poeta; nam exemplum huius vsus antiquius adhuc desidero. Possunt tamen, vt *tela horrentia, hastae horrentes*, dum erectae, protensae, sunt, dicuntur, ita et *arma horrentia* dicta accipi. Nec aliter *horrentes vmbrae*, inf. 165. 311. si de ipsis arboribus accipias. cf. ad lib. X, 237. Notio tamen horroris et sic inest; nec repugnabo, si quis *horrens* more poetis haud infrequenti dictum esse contendat de eo, *quod horrere facit:* vt ipsum hoc *horridum* esse dicitur; possum quoque auctoritatem lyrici memorare; nam apud Pindarum P. IV, 144 sunt φρίσσοντες ὄμβροι.

Arma, virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lauinia venit

quae commodissime in eam, quam volebant, sententiam transferri possent, vt in illo: *Transtulit in Tyrios arma virumque toros:* cum *Ille ego* incommodum esset. Poterat etiam omissa praefatione ipsius tractationis initium laudari. Sunt, quibus versus Virgilii ingenio indigni esse videntur. Omnibus tamen argumentis grauius est hoc, *quod rationi epici carminis aduersantur*, cuius maiestas non modo, sed et ingenii, quod poeta rerum narrandarum magnitudine occupatum, earumque mole laborans, habere debet, impetus, atque etiam lectoris studium, auocato ad poetae lusus animo, infringitur: multo autem peius id fieret in ipso carminis exordio. Quod quidem tanto poetae obseruatum non fuisse, credere vix licet. Nam Orphicorum auctoritates ad carmen cultissimum nullam vim habere possunt; si forte in eius exordio poetam de se mentionem facere memineris, idque exemplum ad Virgilium trahere volueris.

2 *Lauinia* Medic. a m. pr. aliique codd. sed pauciores. Commendabat illud Heins. recepit Burm. Sic tamen iam editum ed. Iunt. 1520 per Nic. Angelium, vnde in alias edd. venit. aliae retinuere *Lauinaque*. Eadem varietas apud Gell. X, 16, et al. Enimuero *Lauinia arua* inf. IV, 236, et sic alii poetae. Etiam Graecis Λαουίνιον et Λαουινία. Nihil autem nisi forte Λαῦνα ap. Dionys. Halic. I, 59 (vbi tamen Vat. Λαουῖνία habet) occurrit, quod *Lauinum* scribatur. Apud Propert. II, 25, 64 igitur *Lauinis litoribus* erit pro *Lauiniis*. Est tamen Iuuenalis versus Sat. XII, 71 *nouercali sedes praelata Lauino*: vbi nulla contractio locum habet; quod iam monui ad Tibull. Obss. II, 5, 49.

1—3. De Aeneidis argumento hoc et poetae professione monitum ac disputatum est in praemissis Disquis. I. II. *Arma*, h. e. bella (sub Aeneae aduentum in Italia orta), *virumque cano, qui venit:* hoc est, vt verbis vulgaribus diceres, et aduentum viri a Troia profugi in Latio, eo quidem loco, quo Lauinium posthaec ab Aenea fuit conditum. Est autem haec Aeneidis summa, quae absoluitur sede in Italia accepta, Turni caede et ex foedere cum Latino: XII, 187 sqq. *Arma virumque* melius ita nos et epici carminis dignitati conuenienter interpretari putamus, quam pro *armato viro*, vt aliis

locis recte dicitur, v. c. inf. XI, 747, aut, vt *vir* ad ſex priores, *arma* ad ſex poſteriores libros pertineat, aut cum Burmanno ita accipere, quemadmodum in ſolenni formula: *arma virosque ad bella polliceri*, et in ſimilibus. Videtur enim haec alia loquendi forma eaque aliena ab h. l. et grauitate epica haud ſatis digna eſſe; et exſiſteret ſenſus: apparatum bellicum canere incipio. Immo vero *bellum* narrare pollicetur *Aeneae, qui Troia profugus in Latium venerat, poſt multos aerumnoſos errores. Fato* praeclare ponitur, vt ad deorum interuentum poeta viam muniat; *profugus venit:* ornate illud adiectum, et melius iungitur: *Troiae ab oris profugus venit. — primus:* videri poteſt dictum, reſpectu ſuae ſtirpis ac gentis novae in Italia, cuius ille fuit auctor ac princeps; *primus* etiam fuit, qui veniret in haec loca: *primus qui venit Italiam, Lauinia litora.* Interpretes multa moliuntur in h. l. quoniam Antenor iam ante ad Italiam accefferat. Aeneas tamen recte primus e Troianis *in has certe Italiae partes ad Lauinium* (quod iam auctor libri de Orig. G. Rom. c. 1 monuit) peruenit; nam Antenor ad Venetos in intimo ſinu Adriatico, adeoque in alia Italiae parte, quae Galliae Cisalpinae erat, appulerat. cf. inf. 247. Quamquam et, *aliorum Italiae proprie dictae colonorum reſpectu*, primus Aeneas, vtique *e Troianis*, Italiam adiit; nam qui ante eum Italiam frequentarant, Oenotrii, Euander et Hercules, *ex Graecia* aduenerant. Sed arguta haec potius quam vera puto; et poetae animo hoc vnicum inſidere debuit, quod ab antiquiſſima memoria repetita res eſt. Eſt autem *primus, primo*, ſimpliciter dictum pro *olim, antiquitus*, vt mox 24. *belli prima quod ad Troiam geſſerat:* h. e. antea, olim. Aen. VIII, 319. *Primus ab aetherio Saturnus venit Olympo.* Horat. II. Serm. 2, 93. *hos vtinam inter Heroas natum tellus me prima tuliſſet. venit Italiam*, Homerica ratione; ἦλθε πόλιν et innumera, omiſſo εἰς. Omnino hoc infigendum animo, vt ſemel monitus ſis, poetam Graeco more praepoſita iſta,

Litora; multum ille et terris iactatus et alto,
Vi ſuperum, ſaeuae memorem Iunonis ob iram;
Multa quoque et bello paſſus, dum conderet vrbem,

3 *et* ante *terris* abeſt in nonnullis ap. Burm. Caeterum non bene maior interpunctio poni videtur ante *multum*, vt noua ſententia exſurgat. Sed iungendum: *virum, qui venit - - Italiam, Lauinia litora; multum ille iactatus et t. et a.* Neque video, cur infra v. 6 ante *Genus* maior ſit diſtinctio illata. 4 *et* ante *ſaeuae* auctoribus libris et edd. ant. abiecit Heinſ. poſt Pierium.

in, per, ad, negligere. *Italiam* et *Lauinia litora* declaratiue cumulata ſunt; *Lauinia* autem *litora*, in quibus aliquando vrbs Lauinium erat condenda, vt ſolent poetae petere epitheta etiam a poſtmodo factis.

3. 4. *Venit iactatus et paſſus,* interponitur ex more *ille.* poſtquam magnos labores maritimis erroribus, et tentata fruſtra variis in locis noua ſede, tolerauerat. Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν. Odyſſ. α, 4. *Vi ſuperum,* numine ac voluntate deorum: ἐκ θεῦ. ἐκ θεῶν. *memorem Iunonis ob iram.* proprie *Iunonis memoris;* cuius ira, h. e. vindictae cupiditas, cum acceptae iniuriae pertinaci memoria erat coniuncta, adeoque et ipſa ira *memor.* Sic et Graeci. Exempla cumulauit Guellius ad h. l. Sufficit vnum, μνάμων μῆνις Aeſchyl. Agam. 161. Ad rem cf. Aen. V, 781 ſqq. Reuocatur autem hoc verſu rerum narratarum ordo ad interuentum Iunonis et caeterorum deorum: *de quorum miniſteriis,* quae hic ſtatim ab initio pollicetur poeta, v. Excurſ. I* ad h. v.

5 — 7. *Multa* quoque *paſſus,* etiam *bello.* Quamquam *quoque et* pro ſimplici *quoque* etiam alibi occurrit. *dum conderet vrbem,* donec Lauinium condidit ſedemque ibi imperii fixit; cuius rei ſignum certiſſimum, ſi patria religio inſtituta eſt, vnde: *Inferretque deos Latio.* cf. XII, 194. quo etiam ſplendidior facta eſt oratio: quam ſi *in Latio eum con-*

Inferretque deos Latio: genus vnde Latinum,
Albanique patres, atque altae moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,
Quidue dolens, regina deum tot voluere casus

6 *inde* Zulich. a m. pr. 8 v. Excurs. I† ad h. v. 9 *Quidue Deum R. dolens.* Hamb. pr.

sedisse audias. Caeterum in hoc et seq. versu poeta *operis characterem ex fine proposito* satis declarauit: sedem nouam in Italia, post toleratos in erroribus et in ipso accessu labores et discrimina. Importunum itaque est, Achillis irati vehementem affectum in Aeneide desiderare, quem poeta exhibere noluit nec debuit. At illud praeclaro cum iudicio in prima statim fronte egit, quod rerum narrandarum summam *ad Romanorum originem* retraxit ac deduxit, adeoque popularium suorum studium audiendi excitauit. cf. Disquis. I, de Carm. epico s. IX. *Inferretque deos Latio*, inferret in Latium Penates Troia aduectos. A re, quae religionem et venerationem habet, accessum Aeneae praeclare designat. *Vnde*, alii ad *Latium* et ad *vrbem* retulere, alii ad *Aeneam*. Melius: *qua ex re, quo factum est*, vt Aborigines cum Troianis aequati communi Latinorum nomine sint comprehensi (cf. Aen. XII, 823 sq.), vt ab Ascanio Alba sit condita, et ex eius posteris *vrbis Romae conditores* ortum habuerint. *Albam* autem bene ab *Albanis patribus* designat, h. e. senatu, tamquam a nobiliore populi parte. cf. IV, 682. VII, 727. *Romam* autem per *altae moenia Romae*, pleniore ore.

8. *Musa, mihi causas memora:* Nam quae deorum interuentu aut consiliis et machinationibus alicuius dei euentum suum habuerant, nisi a dea edoctus, poeta scire non poterat. Itaque ille munit viam sibi, vt iis commode vti possit. Summa sententiae est aperta; sed haeremus in verbis: *quo numine laeso.* Quod primum se offert: *quo deo laeso*, non conuenit cum altero: *quidue*

Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit; tantaene animis coelestibus irae!
Vrbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:

11 *Impulerat* Rom. cum aliis ap. Heins. ad v. 4. 12 Cur *Tyrii t. coloni* parenthesi includantur, non video. Est enim ea poetica forma, vt absoluta enuntiatione dicatur, quod in prosa esset, vrbs fuit, *quam T. c. tenuere*, habitarunt. 13 *Karthago* Medic. cum multis aliis: item Goth. sec. Alii *Cartago*, vt et apud alios. *Tiberina* omnes h. l., cum alias tantopere varient libri in scriptura. *Hostia* Mediceus. it. Goth. pr. et tert. pro corrupta sequiorum saeculorum scriptura.

dolens Iuno. Omnibus tentatis et expensis, quae in Excursum I† reiecimus, quamquam duriorem, praeferas rationem iam a Seruio propositam: *quo*, qua re, qua in caussa, (exponuntur caussae vss. 25 — 28.) *numine laeso*, maiestate diuina, h. e. ipsa Iunone. Subiicitur pro explicatione: *quidue dolens — impulerit* dea virum (exquisite, h. e. coegerit) *tot casus voluere*, h. e. vt subiret, adiret. Quae enim gravia, difficilia et molesta sunt, et quae magna cum difficultate mouemus, machinamur, molimur, perficimus, ea *volvi* poetis dicuntur; nunc et ea, quae tolerantur.

12. A Iunonis odiis ordditur, quippe per quae obiectae sunt difficultates, quibus ab Italiae aditu auerteretur Aeneas. Exponuntur odii caussae: quae lectorem rerum Troianarum haud prorsus rudem studio legendi nescio quo imbuunt. Cur a Carthagine initium narrandi faciat poeta, v. mox ad v. 34. Vrbs *fuit*, quoniam illa tum erat euersa, a Tyriis condita et habitata. *antiqua*, non tam quoniam noua Carthago deducta nuper a Caesare colonia erat, vt fere interpretes; sed quoniam antiqua origo inprimis in vrbium laude memoratur. inf. II, 363 de Troia: *Vrbs antiqua ruit.* et de Italia: *Terra antiqua, potens.*

13. 14. *Longe*, procul sita, magno interiecto mari,

Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam 15
Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,

15 *Hanc* Bigot. *fertur terram* Sprotianus pro var. lect. *vna* Parrhas. 16 Ad hiatum in hoc versu impugnandum neminem video quicquam attulisse, vt mirum sit, cur ad alios offenderint.

ex aduerso Italiae et quidem Romae, quam per *Tiberim* designari puto. *studiisque asperrima belli*, grauiter dictum pro: *dedita, vacans studiis belli:* quod *asperum* dici solet; tum poetis studium dicitur asperum, tandemque *vrbs aspera studiis belli.* Virtus bellica a poetis per *iram* exprimitur eiusque attributa. *Exasperatur* autem is, qui offenditur et ad iram prouocatur. Itaque *asper*, τραχύς, modo iratus, vehemens, ferus, ferox, saevus, modo fortis, bellicosus, modo acer, ardens, concitatus, flagrans, vt h. l. Similiter *acres* iracundi, calidi, θρασεῖς, mox strenui, πρακτικοί, tum vehementes, δεινοὶ, et sic fortes. Semel monuisse expedit ad poeticam orationem, quam inprimis perspectam esse volumus, declarandam.

15. Quam Iuno fertur vnam omnium maxime amasse, etiam Samo praetulisse, in qua antiquissima et celeberrima Iunonis religio erat. De templo Iunonis Samiae v. Herodot. III, 60. Carthagine sub *Vraniae* nomine h. e. ea appellatione, quae graece ita reddi posset, Iuno fuit culta, aut coli credita. Nam comparatio illa deorum apud exteras gentes coli solitorum parum docte a Graecis et Romanis facta est: ita ab aliis haec ipsa Poenorum dea cum Venere comparata est. vid. Selden. de Diis Syris Synt. II c. 2.

16. *Hic illius arma, hic currus fuit*, ducta, puto, rei imago ab antiquis heroibus, qui curribus vecti ad pugnam egrediebantur, reduces autem eos in loco tecto collocabant ac reponebant. v. Il. Θ, 441. ε, 194. traducta illa, vt alia, ad deos, quibus currus sui essent, qui in iis locis, quae potissimum frequentarent dii et colerent, reponerentur. Pro talibus locis habentur poetis eae vrbes eaque templa, quae celebriore aliqua

Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fouetque.

17 *regni* Goth. pr. 18 *Sinunt* Medic. a m. pr. et pr. Moret. *sinent* editi quidam et Goth. tert. *si quae* Zulich. *intendit* Puget. et Parrh. a pr. m. quae varietas et alibi occurrit. cf. Burm. *fauetque* tres ap. Burm. *vouet* coni. Heumanni. v. Not.

religione eminent. Egregius hanc in rem locus Il. υ, 21 sqq. de Aegis Neptuno sacris. Iunonis autem currus e nobili Homeri loco Il. ε, 720 sqq. (adde Odyss. ε, 381) notus est. Burmannus laudat Val. Flacc. V, 184. Poetica tamen potius quam vera descriptione vti videri debet poeta. Nam Carthaginienses non currui sed leoni insidentem expressisse memorantur coelestem suam deam. cf. Apuleius Met. VI, 6. Porro *arma* Iunoni tribuuntur, non, quatenus inter reliquos deos deasque armata praeliis ante Troiam interfuit, vt Il. υ, 70 et Aen. II, 614 *Iuno ferro accincta.* cf. Valer. Flacc. V, 288. 289. debent enim *arma* h. l. esse aliquod proprium ac perpetuum; vt adeo de *Iunone armata* cogitandum sit, qualis Ἥρα ὁπλοσμία fuit Elide culta, Lycophr. Cass. 610. 858, et ἱππία h. e. curru vecta Olympiae ap. Pausan. V, 15 p. 414. Hasta tamen ei quodam modo propria fuit, etiam ex Latinorum religione. Nota Sabinorum *Iuno Curitis.* cf. Cerda. Sed optime Seruius: *Sic autem esse etiam in sacris Tiburtibus constat, vbi sic precantur: Iuno curulis, tuo curru clipeoque tuere meos curiae vernulas sane.* Locum nostri poetae expressit Ouidius Fast. VI, 45 *Poeniteat, quod non foui Carthaginis arces, Cum mea sint illo currus et arma loco.*

17. 18. Carthagine, Romae aemula, praeclare vtitur poeta h. l. vt ea vrbs regnum gentium, caput imperii terrarum, sit, Iuno *iam tum*, prisca illa Aeneae aetate, ante Romam conditam, *tendit*, contendit, allaborat, operam dat, *fouetque*, pro vulgari, studet; *fouet* hoc, hanc rem, hoc consilium, animo et cogitatione. *Si qua* ratione.

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum, late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyae; sic voluere Parcas.

19 *Troiano sanguine*, sine *a* Moret. pr. et Leid. sed v. Heinsius. Iudicium de hoc versu obscurum Quinctiliani Inst. IX, 3, 14. vbi v. Interpp. 20 *quae euerteret* duo ap. Burm. alii ap. Pier. vt et alibi variatur. *auerterat* tert. Rottend. *quum verteret* Puget. 21 *Hic* Schol. Cruqu. ad Horatium Epod. 5. Si *hunc populum* legere liceret, reprehensioni inanis repetitionis nullus locus foret. 22. *Libyes* ed. Ven.

19—22. Enimuero e Troiana stirpe ortum habituram esse acceperat gentem, (*progeniem* dixit) quae Carthaginem aliquando esset eversura. Populum enim, ab ea gente oriturum, ad exscindendam Carthaginem in Africam copias suas esse traiecturum. Si ita exposueris, poetam forte aliqua ex parte a reprehensione inanis tautologiae liberes, nec Cerdae (ad lib. X, 213. 214) nec P. Angelii Bargaei subtilitate indigeas, in Epp. Clar. Viror. lib. I pag. 85 (Lugd. 1561), qui, vt ne eadem res bis dicta esset, explicabat: *venturum*, futurum et euasurum late regem ab excidio Libyae. Iam expende rationem poeticam. *Hinc*, ex hac progenie, posteritate Troianorum. Minus bene reuoces ad *sanguinem Troianum*. *populum late regem* pro late regnantem, v. Burm. ad Petron. c. 82 extr. Comparant εὐρυκρείων Homericum et εὐρυμέδων. cf. inf. I, 235. *Hinc fore ductores, reuocato a sanguine Teucri, Qui mare, qui terras omni ditione tenerent.* — *bello superbum*, exquisitius quam potentem, ferocem, vtpote victorem, κυδιόωντα, semel de hoc vsu vocis apud poetas monemus. *Libya* nunc plenius pro Carthagine in ea Africae parte sita. *venturum* duplici modo potest accipi: vel prouenturum, oriturum, futurum; vel, quod praefero, *venturum exitio*, ad exitium, vt *auxilio*, *subsidio*. v. Burm. Audierat *Parcas sic voluere* sine fila sua nere et cum iis

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis:
Nec dum etiam caussae irarum saeuique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretaeque iniuria formae,
Et genus inuisum, et rapti Ganymedis honores:

24 *Agris* Medic. *gesserit* Moret. qu. *prima*. Iortin (*Tracts* T. II p. 177) reddit: princeps, dux. 25 *necdum iam* fragm. Moret. *saeuique labores* Pierii Longob. cum aliquot aliis ex vulgari permutatione. sed *dolores* proprie irarum inprimis muliebrium. cf. Burm. 26 *Exciderent* vnus Leid. *in* inter *alta* et *mente* iam Pierius sustulerat. 28 *raptis* Rom. *genus inuisum* ad solam Priami progeniem referre malebat aliquis: nescio quo cum fructu.

fata, ἐπιπλῶσαι, siue haec *moliri, machinari:* hoc alterum verius.

23. 24. *Veteris belli*, paullo ante gesti, vt *vetus* et *antiquus* interdum. v. Burm. *prima*, primum, prius. *Argi* pro *Argiuis*. Versus 25 — 28. in parenthesi esse positos puta. *Id metuens, et belli memor, arcebat Troas*. Cum autem alias caussas interposuisset, *iniquum Paridis iudicium, quo Iunonis forma inferior pronuntiata fuerat, et Ganymedis raptum*, addit v. 29 *His accensa super*, super caetera, insuper, etiam his sibi factis iniuriis inflammata, *arcebat Troas*. Aliorum interpretum ratio, vt *id metuens* cum antec. *audierat* iungas, orationem efficit elumbem et languidam. Anacoluthum agnoscere satius esset, sed necesse non est, alioqui possit poeta videri mutasse structuram paullo durius; cum pergendum esset: *id metuens* Iuno — *et memor belli* — *et caussarum* etc. 24. *prima*, prius, olim. v. ad v. 1. — 26. *Manet repostum* pro vulgari, est repositum in animo *alte*, profunde. Comparanda autem cum his Homerica *Il.* ω, 25 — 30. Formam adumbravit Statius Theb. I, 246, vbi Iupiter: *neque enim arcano de pectore fallax Tantalus et faenae periit iniuria mensae*. Hinc Ouid.

His adcenſa ſuper, iactatos aequore toto
Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conſpectu Siculae telluris in altum

30 *atque* aliquot in codd. abeſt. v. Pierium. *Achilli* Medic. aliique ap. Pier. et Heinſ., quem vide hic et ad 120 et ad Ecl. VIII, 70. ſiue quod veteres, grammatica nondum ſatis conſtituta, ita flexerunt, ſiue ex *Achilleus*, pro *Achillei*, quod veriſimilius;

Faſtor. VI, 43 *Cauſſa duplex irae: rapto Ganymede dolebam: Forma quoque Idaeo iudice victa mea eſt.* Caeterum verſus eſt ex ornatiſſimis. 27. *ſpretae iniuria formae* adiectum ad declarandam iudicii indolem. *ſpreta forma*, eſt Iunonis pulchritudo pulchritudini Veneris poſthabita; et, quandoquidem id cum Iunonis iniuria factum, hoc plenius: *ſpretae formae iniuria.* 28. *Genus inuiſum*, propter Dardanum, Iouis et Electrae, pellicis, filiae Atlantis, filium, a quo Troiani ducunt originem. *Seru.* v. Exc. VI ad lib. III. *rapti* (v. Aen. V, 255) *Ganymedis honores*, miniſterium poculorum, ad quod Ganymedes raptus a Ioue receptus eſt, remota Hebe. *Seru.*

29—33. *His accenſa ſuper*, inſuper. vt ſit iunctura: *Id metuens — memorque — et inſuper his accenſa, arcebat.* v. ad v. 25. *reliquias Danaum*, a Danais et ab Achille relictos Troianos; qui Achiuorum manus effugerant. Mox *multos* annos h. e. ſeptem. v. Exc. II ad lib. III. 32. *acti fatis.* non tam, quoniam hoc Iunonis odium fatale erat, vt Seru.; Sed potius, quoniam hi ipſi Troianorum errores fatales erant. — 33. *molis*, molitionis, difficultatis. In proſa: *Tam difficile erat*, vt Troiani in Latium peruenirent, ibique ſtirpis, e qua Romani orituri eſſent, auctores fierent.

34. Hic, vt in Odyſſea, in medias res abripitur lector. Quomodo enim e Sicilia ſol-

Vela dabant, laeti et ſpumas ſalis aere ruebant;
Quum Iuno, aeternum ſeruans ſub pectore volnus,
Haec ſecum: Mene incepto deſiſtere victam,
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem?

niſi ſic ſcribendum erat. Mox v. 41 *Oilei* in Med. eſt *Oili*. Inſ. 220 eſt *Oronti*. nam ab *Achilles* fruſtra ducere id Grammaticos puto. Vulgo h. l. *Achillis*. 35 *ſalis* in Medic. ſupra adſcriptum, aberat, vt eſſet hiatus. Sed et X, 214 *campos ſalis aere ſecabant*. Minus bene interpungebatur: *Vela dabant laeti*, ita alterum membrum ieiunum erat. 36. *in pectore* Zulich. ex gloſſa. aut *in* ex alio ordine, qualis in Doruill. *ſeruans aeternum*. 38 *Nec poſſum* Rottend. ſec. *non poſſe* Puget. et ſic Donatus legit. *euertere* Goth. pr. *auertere gentem* tres ap. Burm. et Goth. tert. *claſſem* Zulich. pro var. lect. ex verſu ſequ.

verit Aeneas, qui tum claſſe in Italiam tendebat, infra videbimus ſub finem libri III. Sed tempeſtate mox orta a curſu auertitur et ad litus Africae, tantum non naufragio facto, eiicitur. Rerum autem ordinem ipſamque adeo dictionem ad Homeri exemplum inſtituit Odyſſ. ε, vbi Vlyſſes ex Calypſus inſula Ithacam petens, cum iam Phaeaciam in conſpectu haberet, tempeſtate a Neptuno excitata naufragus enatat. Quod ibi Neptunus facit, tributum h. l. Aeolo, quodque Leucothea, hic Neptuno. cf. Macrob. Sat. V, 2. In Homero tamen maior rerum varietas narrationisque ſuavitas.

35. *Vela dabant*, cum per epexegeſin hoc vellet explicare, ſaltem verbis erat ornandum, cum ſententia eadem maneret; itaque *ſpumas ſalis*, ἅλμης, maris; occurrit et alibi. *aere*, aerata naui, (nec modo *roſtra aerata* ſed et *puppes aeratae et aereae*, vt Aen. V, 198) *ruebant*, ſecabant, vt terra *ruitur* ſulco facto, eruitur, *laeti*, alacres, Italiae, laborum metae, nunc tandem propiores, πρόθυμοι, cf. II, 394. 395. *Seru.* Habuit ſorte poeta ante oculos verſum 269 Odyſſ. ε, γηθόσυνος δ' ἄρῳ πέτασ' ἱστία δῖος Ὀδυσσεύς.

36—38. *Aeternum volnus*, qui v. 25 *ſaeui dolo-*

Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem

res: i. e. ira. ita gr. Ἦλκος. Adumbrata autem Iunonis indignatio ex Odyss. ε, 281 sqq., vbi similis oratio Neptuni. Hinc nullus fere est poeta, qui non eundem ad modum iram alicuius dei finxerit. Similem prorsus locum videbis inf. lib. VII, 286 — 320; quem comparasse non poenitebit. Ex vtroque Bacchi Ioui supplicis verba finxit Statius lib. VII Theb. 151 sq. 182 seq. Caeterum legenda haec sunt oratione per irae et indignationis impetum intercepta: vt solemus in magno animi motu eloqui. *victam* poetica copia adiicitur. *Teucrorum regem,* ducem.

39 sqq. Potuit tamen Pallas, (quanto magis ego: 46.) vel contra fata (h. e. quamvis fausstus reditus fato erat destinatus), Achiuorum classem coelesti igni comburere et fluctibus opprimere, vnius Aiacis vlcisscendi caussa. Ab Euripide haec sumta esse, Macrob. V Sat. c. extr. monet. Vrsinus ad *Aiacem Oileum* fabulam Euripideam prouocat, quae nulla fuit, sed Οἰλεὺς credita fuit, quae Συλεὺς legi debet, vt Heathius docuit. (Ex eo nunc fragmenta vid. ap. Valk. in Diatr. et ap. Musgrav. De Syleo v. ad Apollod. p. 443) Euripidis locus, quem Virgilius respicere debuit, est in Troad. v. 77 — 86. vnde etiam versus 23 sqq. Virgilio ante oculos fuere. Fabulae fundus est in Homero Odyss. γ, 135 sq. et multo magis δ, 499 sqq., sed ibi Neptuno tribuitur, quod h. l. Minerva facit: *Illum exspirantem — Turbine corripuit.* Homerum autem sequuti poetae cyclici, varie et copiose, inprimis in Νόστοις suis, tractasse videntur hanc narrationem, vt ex Quinto Cal. colligo, qui copiose Aiacis fata exponit lib. XIV, 420 sqq. Etiam Lycophron in Cassandra v. 392. 3. cum vulgari narratione consentit. Virgilianam tamen rationem, praeter Schol. ad Il. ν, 66 ex Callimacho, ἐν Αἰτίοις, Hyginus habet fab. CXVI. vnde colligo, Tragicum aliquem Mineruae partes has olim dedisse, quas Homerus Neptuno dederat; quamquam et hic ipse huic vâ-

Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Vnius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
Ipſa, Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem,
Diſiecitque rates, euertitque aequora ventis;
Illum, exſpirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.

40 *ipſo* Graeu. male. *potuit atque ipſos* tert. Moret. *ſubvergere* vnus Leid. ſed ſuperſcripto altero. 41 *furiis* Pierii obl. quod defendi poſſet. cf. Burm. *Oili* Medic. v. ad v. 30. 42 *e nauibus* tert. Rottend. et Menag. a m. pr. *vnum* pro *ignem* Goth. tert. 43 *Deiecitque* tres ap. Burm. quem vide. *euerrit* Giphan. Ind. Lucr. et van Hoven Campenſ. Faſc. III, p. 232. *inuertit* Hamb. ſec. ap. Cort.; ſed *euertere* pro *ſubuertere* efficax verbum. Cur tamen hic non *ratis* ſcriptum occurrit? 44 *ſpirantem* Mentel. pr. *transfixo corpore* Sprot. et Menag. ſec. *tempore* Probus legit in Seruianis, et memoratur pictura Ardeae in templo Caſtoris et Pollucis, Capaneus *fulmen* (fulmine) *per vtraque tempora traiectus.* — Sed qui legunt *pectore*, de Accio translatum affirmant, qui ait in Clytaemneſtra de Aiace: *In pectore fulmen inchoatum* (ſ. indo actum) *flammam oſtentabat Iouis.* 45 *Inflixit* legerunt nonnulli ap. Pierium. et ſic Iunt. et iam olim Cornutus ap. Seru. Sed *acuto* ſcopulo *infigi* melius.

riationi locum feciſſe videri poteſt, dum interdum totam reditus Achiuorum calamitatem ad ſolam Mineruam refert, vt Odyſſ. α, 326. 7. γ, 135. 145.

40. 41. *Vnius* ob noxam. Ergo dea Achiuis antea ſtudioſiſſima vnius Aiacis ſcelere adeo exarſit, vt nunc in *omne nomen Achiuum* ſaeviret. cf. Tryphiod. 647 ſq. *Ipſos* Argiuos; niſi doctiorem rationem vis ſequi, vt poſt claſſem *nautas* intelligas; vti nonnunquam fit. cf. Burm. ob *Aiacis, Oilei* f., inſanam libidinem, ſtupro Caſſandrae illato in Minervae templo, in conſpectu ipſius deae. De Caſſandra eique illata iniuria vide inf. ad lib. II, 403. Facinus hoc honeſte, grauiter tamen, declaratur per *noxam* et per *furias.*

42 — 45. En exemplum deae fulmen moderantis. Aliud Iunonis eſt inf. IV, 120 v. Exc. I. ** ad h. v. Arguta-

Aſt ego, quae diuom incedo regina, Iouisque
Et ſoror et coniunx, vna cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Iunonis adoret
Praeterea, aut ſupplex aris inponat honorem?

46 *Diuom* Burm. ex Gud. 47 *annis* Hamb. pr. et Zulich. perpetua variatione. 48 *aut quisquam* Pierii Longob. cum aliquot aliis; item quinque ap. Heinſ. Voſſ. *haud qu.* ap. Pierium alii: *aut quis iam*, vel *ecquisquam* Goth. ſec. *et quis iam* edit. Mediol. et Goth. pr. *en quisquam*. Sed praeſtat *et*. Porro *nomen* nonnulli, vt ſolent. *adorat et imponet* Rom. et alii ap. Pier. Medic. et multi alii ap. Heinſ. et Burm. it. Goth. tert. inter quos nonnulli *imponit*. Vulgatam defendit Burm. Heinſius vero alteram, et meo quidem iudicio rectius. Maior enim vis abſolutae orationi ineſt. *impendit* Moret. ſec. *imponit odorem* Mentel. alt. a m. ſec. *honores* Goth. tert. Hamb. ſec. in Exc. Cort. ed. Ven. 1472.

tur Seruius aduocans diſciplinam Etruſcorum, vt ſolet. Facta per tempeſtatem nauium diſperſione ad Caphareum, Euboeae (cf. inf. XI, 260) promontorium, Aiax Oilei f. ad Gyras petras, prope Myconum inſulam, actus naufragium fecit. Ipſum vero Pallas fulmine percuſſum procellae vi ſcopulo etiam illiſit. — Illud vero caſtum poetam auſum eſſe miror, eum, qui *fulmine percuſſus* erat *in pectore, ignem ore exhalare*. Haud dubie hoc ex Tragico aliquo adſciuerat.

46. 47. Cf. Aen. VII, 304. 307 — 310. *incedo*, h. e. quae ſum; ſed illud maiore cum dignitate. Inceſſus dearum, inprimis Iunonis, gravitate ſua notus. Propert. II, 2, 6 *incedit vel Ioue digna ſoror*, h. e. tamquam altera Iuno. *Iouis ſoror et coniux* ex Homerico: καασιγνήτην ἄλοχόν τε Il. π, 432. cf. Cerda. — 48. Praeclare ad inuidiam *bella gero*, pro, eam perdere cupio. *numen Iunonis*, me. at quanto gravius! Adumbrata autem haec ex Odyſſ. ν, 128 ſqq. — 49. *Praeterea*, poſt talia, in poſterum; eſt Homericum ἔπειτα. *honos*, ſolenne poetarum de ſacrificiis, libationibus etc., quae in deorum honorem fiunt, aliquantum ornatus habet. Expreſſit verſum Ouid. Am. III, 3, 33 *Et quisquam pia thura focis imponere curet?* Iam

Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantis ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis

51 *loca plena* Leid. vnus ex interpr. Locum ante oculos habet et versus ex eo repetit Seneca Qu. Nat. VI, 18. 53 *luctatos* Gud. 54 *et v.* Nonius et duo Burm. 55 *vasto cum m.* Oudart. et Leid. solenni variat.

vides *honorem* plus dignitatis epicae habere. Maius etiam decus adiecto *supplex*, vocabulo religioso, quod omnino, vt *supplicare*, ad cultum deorum refertur, sacris vel precibus factis.

50. Nota narrandi artificium: non ante verbis consilium Iuno exponit, sed statim, quid ea peregerit, subiicitur. Habuit autem poeta ante oculos Il. ξ, 230 sqq. vbi Iuno Somnum adit.

51. 52. *Nimborum* h. l. ventorum, qui *perturbati aeris, repentinarumque ac praecipitum pluuiarum* causae sunt. *feta* poeticum, vt *gravida*, plena *austris*, omnino ventis, sed *austri* sunt saeuissimi in mari Mediterraneo; igitur melius hoc genus ponitur. ad *insulam Aeoliam* venit h. e. vnam ex Aeoliis seu Vulcaniis et Liparaeis. Sed vnam tantum norat Homerus Odyss. κ, 1 sq. v. Excurs. ad h. l.

52 — 56. Ornati versus: Aeolus inclusos tenet ventos. *vasto antro*, naturale enim est, vaporem et spiritum per loca concaua (subterranea) motum concitari, sicque fieri *ventum*. vid. Seneca Qu. nat. VI, 18. — 54. *imperio premit*, grauius quam regit, et *frenat* plus quam tenet, cohibet. *vincula* per *carcerem* declarantur. non enim compedes esse possunt. Sunt igitur pro custodia.

55. Optime iunges: *fremunt cum murmure montis*. Certe *murmur montis* recte iungitur. nam quae oculorum auriumue sensu accipiuntur aliquo in loco, ea ipsi loco tribuuntur. cf. inf.

Circum clauſtra fremunt. Celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris,

56 *circum* Heinſ. ex ſcriptis omnibus. vulgo: *circa. circum caſtra* Hamb. ſec. *ferunt* Menag. pr. 57 *tenet* Doruill. *mollisque* vnus Heinſ. 58 *Ni faciant* Priſcian. et Medic. Etiam Pomponius Sabinus. 59 *rabidi* Moret. ſec. *vertantque* Menag. pr. et ed. Ven. 1472. *verſantque* Vratisl. *traherentque* Oudart. *traerentque* Leid. vnus. *ruerentque* Hugen. ſed *verrant* egregie pro diripiant, ſpargant; et eſt omnino voc. ventorum. *per aures* Iunt. ed. 60 *addidit* tres Burm. inter quos Hamburg. pr. *addidit imis* pro var. lect.

124. Praeiuit autem noſtro Lucret. VI, 196 *Speluncas — venti cum, tempeſtate coorta, Implerunt, magno indignantur murmure clauſi.* Virgilius vero Statio Theb. I, 347 *Iam clauſtra rigentis Aeoliae percuſſa ſonant* etc. item Valerio Fl. I, 574 ſqq. qui totum locum illuſtrat, inprimis 591 ſqq. — *fremunt* autem venti circum *clauſtra*, ſpiracula, erumpere volentes.

56. 57. *Celſa in arce*, extra antrum, alto in montis cacumine, infra 140 *aula* dicta ſ. regia. Sic apud Homerum Odyſſ. *κ* pr. habet regiam Aeolus, vt et apud Quintum l. c. 475. *mollit animos*, mitigat, h. e. domat, δαμᾷ, reprimit ac coercet eorum impetus, et *iras*, furores.

58. *Ni faciat — quippe ferant* exquiſitius quam vulgare, *quod ni faciat Aeolus, ferant vtique*, ὀϊ, ὀϊ ἔχ. Etiam pedeſtris oratio poſtularet: *Quippe, ni faciat, ferant.* alio ordine. *profundum coelum*, altum, v. ad Georg. II, 288. Habuit poeta ante oculos Lucret. I, 279. 280 *Venti — corpora caeca, Quae mare, quae terras, quae denique nubila coeli Verrunt ac ſubito vexantia turbine raptant.*

60 — 64. Primum ventos ſpeluncis incluſit, *inſuper*, praeterea, *molem et* (quae

Hoc metuens; molemque et montis insuper altos
Inposuit; regemque dedit, qui foedere certo
Et premere, et laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est:
Aeole, namque tibi diuom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes;

61 *Id metuens* tres ap. Burm. ex v. 23. 63 *lapsas* et *iussus dare sciret* iidem. 66 *emulcere* Mead. *ventos* Donat. Acro et edd. nonnullae; etiam Hamburg. sec. minus docte. cf. Burm. 68 *Ilion Italiam* sex ap. Burm. cum ed. Ven. 1472. *in* omittit etiam Goth. pr. *in Italia* Leid. at Ouid. Ep. VII, 51 *Ilion in Tyrios transfer felicius vrbem.* cf. Burm. 69 *que* abest a Ven. *summersasque* Rom. et alii. *subuersas* coni. nonnulli ap. Pierium, quia *obrui* prius quam *submergi*; male in poeta.

molis est explicatio) *montes altos* iis imposuit. Nisi praestat *insuper* ad *imposuit* referre, superimposuit montem altum. *foedere certo*, certa lege, ratione; non temere et pro eorum impetu: *premere*, habenas inhibere, retrahere: opp. *laxas dare*, laxare. modo coercere (v. 54 *frenare*), modo liberiorem impetum concedere, omninoque moderari. *iussus* a Ioue. cf. 77.

65 — 69. *Aeole, namque* — poetica ratio, qua (Homeri exemplo γὰρ v. c. Iliad. ω, 334, vbi cf. Ern.) formam pedestris orationis in caussa reddenda relinquit et simul orationi vehementiam affectus conciliat: *Aeole*, quandoquidem *tibi Iupiter*, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, *dedit hoc, vt possis tempestates excitare et sedare, concita ventos, vt aut obruatur fluctibus classis mihi inuisa, aut disiiciatur. Mulcere fluctus*, reprimere, *et tollere* eos *vento*, h. e. concitare, vt alte insurgant. Il-

Aut age diuersos; et disiice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum, quae forma pulcherrima, Deiopeam

70 *diuersos* Heins. restituit e Codd. consensu etiam ap. Pierium. vulgo *diuersas*, quae vulgaris ratio foret. Habent hoc pauci codd. (vt Goth. tert. a m. pr.) sed legitur ap. Diomedem in arte Grammat. et Donatum in Andr. Terent. et Schol. Lucani IV, 457. *disfice* scribunt fere post Medic. et Rom. libri; solent enim veteres et librarii et marmorarii e duabus literis *i* alteram tantum exhibere. v. Heins. *corpora disfice* Oudart. *diuide* Reg. pro glossa. *discute* alter Hamb. *vento* pro *ponto* Moret. pr. et Leid. a m. pr. eadem diuersitas VII Aen. 528, Lucan. V, 570. Burm. 72 *Quae formam pulcherrima* Medic. Heinsio notante, cui graeca ratio impense placet; non tamen ita expressum a Fogginio, sed *forma*.

lustrant verba Cerda et Burm. Sumtum ab Ennio Annal. XVII Auster et Aquilo *Endo mari magno fluctus extollere certant.* Odyss. κ, 21. 22 Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων, Ἠμὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν', ὅν κ' ἐθέλῃσι. Illustrat et Dionysii Perieg. versus 464 Αἰόλιε, ὃς θηητὰ μετ' ἀνδράσιν ἔλλαβε δῶρα, Κοιρανίην ἀνέμων κλονεόντων θ' ἱσαμένων τε. *nauigat* per *aequor.* 68. Pulcherrimus versus verborum dilectu! vt in Italia nouam sedem quaerat. cf. VIII, 12. quo ipso Ilium restitutum videri poterat in Italia. Ouid. Fast. IV, 251 *Cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros.* 69. *Incute*, vt iniicere, immittere, *vim*, impetum, iram, *ventis*, tertio casu. Sic melius. h. e. ventos concita auctis viribus. Seruius ex Ennio: *dictis Romanis incutit iram. submersas obrue* grauius quam, submerge. *age diuersos*, dissipa, disperge per diuersa, vt Seru., et *disiice corpora*, h. e. eos, sed praeclare, *corpora*, quippe naufragio facto mari mersos. Atque sic factum vides inf. 118. 128. 129. Vi tamen oppositi aliam sententiam requiras: vt per varia maria erroribus exerceantur. Sed obstat voc. *corpora.*

71. Locus expressus ex Iliad. ξ, 267 sqq. Alias Iunoni Charites vel Horae adsunt; h. l. Nymphae: quod obseruandum. Vid. Excurs.

Connubio iungam ſtabili propriamque dicabo:
Omnis vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulcra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes
Explorare labor; mihi iuſſa capeſſere fas eſt.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu ſceptra Iouemque
Concilias; tu das epulis adcumbere diuom,

quae eſt forma Hamburg. pr. *quae forma eſt* Bigot. *Deiopea* non modo Medic. ſed et Rom. cum aliis Pierianis, Heinſianis tribus exceptis, Zulich. tres Goth. Librorum itaque auctoritate erat recipiendum, niſi lubrica in fine τῦ *m* ſedes eſſet. Porro alii *Diopea, Diopeam.* Gr. eſt Δηΐόπη et Δηϊόπεια. cf. ad Georg. IV, 345. 73 In *connubio* noli cum Grammaticis putare mediam corripi, aut ſyſtole aliqua id fieri poſſe; ſed pronuntiandum *connubjo*, vt ſint tres ſyllabae. 75. *faciat te prole beatum* Bigot. 76. *Aeolus e contra* ſex ap. Burm. a librario barbaro, vt fere ſemper. *quod* nonnulli ex Heinſianis; item ex Pierianis. *quod optas* duo Hamb. et ed. Ven. 1472. vt et alibi. 77 *labos* Zulich. 78 *quodcunque hic r.* Goth. pr. 79 *Concilia* Rom.

II ad h. l. — 73. Verba *ſtabili propriamque dicabo*, h. e. dabo ſimpliciter, ad ornatum et declarationem refer τῶν *connubio iungam*. aemulatus poeta eſt illud Δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν. Dicas forte, vſſ. 74. 75. ſententiam nimis eſſe protractam ac verboſam. At oratoria arte moratur Iuno in exponendis iis quae vim ad Aeoli animum habere poſſint. — 74. *Omnes vt tecum.* ἧς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα.

77. *Explorare*, recte ſecusne id fiat, quod velis fieri. h. e. Rectene haec an ſecus a me poſtules, tu ipſa videris. Praemunit transitum ad Neptuni indignationem de Aeoli audacia v. 130 ſqq. Simplicius Homerus Iliad. ξ, 195 Αὖδα, ὅ, τι Φρονέεις, τελέσαι δέ μὲ θυμὸς ἄνωγε, Venus ad Iunonem; quem verſum et alibi repetit, vt Odyſſ. ε, 89. — 78. Verba hanc ſententiam fundunt: tuis in me officiis debeo totum hoc ventorum regnum,

Nimborumque facis tempestatumque potentem. 80
Haec vbi dicta, cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus; ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.

80 *parentem* Hamb. sec. 82 *at v.* tres Burm. non male.

quod mihi a Ioue impetrasti, quin et ipsum inter deorum ordines locum; is enim designatur antiqua poesi per istud: *epulis accumbere Diuum*. vt de somno Homer. l. l. v. 241 εἰλαπινάζων. Obscuriorem aliquam fabulam, quam antiquior poeta haud indocte inuenerat, subesse necesse est: scilicet antiquiores poetae, qui aerem, atmosphaeram nos dicimus, per Iunonem declararunt, eius beneficio Aeolum deum factum narrasse videntur; quandoquidem aer concitatus ventos creat. Certauit autem Maro cum Homero Iliad. ξ, 238, vbi Iuno Somno θρόνον ab Vulcano affabre fabricandum promittit. Cerda ita illustrat, vt veteres dicat credidisse, in Iunonis potestate regna et imperia esse; parum commode. — Verba *concilias, das*, pro praeteritis. *Conciliare* ad plura refertur. *Iouem*, propitium reddendo, benevolentiam eius *regnumque* ab eo impetrando.

81 — 83. Haec eadem ap. Quintum l. l. XIV, v. 479 sqq. Aeolus χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτοισιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ — βίῃ δ' ἔρρηξε κολώνην. (non male epitheton adiecit nostri *cauum* montem, propter antrum.) cf. loc. Val. Fl. I, 608 sq. *Tum valido contortam turbine portam Impulit Hippotades* etc. Egregie autem dei et potentia et impetuosum obsequium declaratur, vno sub ictu monte (non, vt olim accipiebam, in latus dimoto, verum) latere montis percusso hasta dei, perrupto et sic patefacto. *In latus* est pro in latere, vt inf. v. 114 *Vnam — in puppim ferit*. Alius poeta (quamquam et nostrum idem facere volunt interpretes v. Burm.) repagula ostiorum solui iussisset. Simplicior Homerus Od. ε, 291 sq. nec tamen minus sublimis. Statius Virgilii vestigiis insti-

Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Vna Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vaſtos voluunt ad litora fluctus.
Inſequitur clamorque virum ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.

84 *tortumque* legebat et hic Marklandus Epiſt. crit. p. 52. vbi illud *tortum* in plura poetarum loca reducere allaborat. 85 *crebrisque* Mead. Goth. tert. a m. pr. Caeterum nullus habet: *Vna Eurus Boreasque ruunt*, vel *Vna Eurusque Aquiloque r.* hunc tamen in hac tempeſtate inprimis expectes, qua ad Libyam deferatur claſſis. 86 *Affricus* multi ſcribunt. *Affricos* Rottend. et Goth. pr. *ad ſidera* Bigot. et idem Goth. pr. *tollunt ad ſidera* Hugen. pro div. lect. ſcilicet ex v. 103. 87 *It coelo clamorque v.* ap. Priſcian. libro VII, ſed aliter ſcripti et Eutyches Grammaticus ap. *Heinſ.* 88 *Arripiunt* Hamb. pr. forſ. *Abripiunt* Burm.

tit: *dubiamque iugo fragor impulit Oeten In latus.* Theb. I, 119. *conuerſa cuſpide*, haſtae; quam pro ſceptro geſtare diis ſolenne eſt, hanc intorquet, immittit, ruptaque rupe viam ventis facit, qua erumpant.

84—86. *Incubuere*, incumbunt, ἐνέπεσον, ἐπέχρασον, ἐνέσκηψαν. *a ſedibus imis ruunt*, h. e. eruunt a fundo: inf. II, 419 *imo Nereus ciet aequora fundo.* Sequitur tempeſtatis deſcriptio omnium fere poſt Virgilium poetarum imitatione nobilitata, in qua obſeruandum, quomodo omnia ſint ad terrorem et admirationem narrata. Quod vndique venti erumpere narrantur, non eo ſpectat, vt vno eodemque temporis momento omnes venti ſpirent; verum vti, quod natura tempeſtatis fert, crebrae aeris mutationes ab omnibus inde coeli plagis ſibi ſuccedant, cf. Exc. III ad h. v.

87. Laudat Seruius ex Pacuuio in Teucro: *armamentum ſtridor et rudentum ſibilus;* funium nauticorum. — 88. 89. Odyſſ. ε, 293 σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε Γαῖαν ὁμῶς καὶ πόντον· ὀρώρει δ' ἐρανόθεν νύξ. cf. Odyſſ. ι, 66 —

Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether;
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae soluuntur frigore membra.
Ingemit, et, duplicis tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati!
Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis

90 *et* abest a Sprot. Hamb. pr. et ed. Ven. et malim deesse; habet Schol. Horat. I od. 34 c. caett. Sed infinita loca in poeta sunt, vbi aurium iudicium aut sententiae vis postulant, vt eiiciatur copula, quae tamen tuta latet sub codicum praesidio ac tutela. Nihil adeo nouare licet. *aer* MSS. Graeu. 91 *montem* Medic. a m. pr. 92 *Extimplo* scribitur in nonnullis. 93 *tendens geminas* Bigot. 95 *ora deum* pr. Hamb. Super *quis* Seruius ita est intelligendus: Duplex fuit forma: *qui, quorum, quis.* (non autem *queis*) et *ques, quium, quibus*, siue ab initio, *queis, queium, queibus.* 96 *o* deest ed. Ven. 1472.

69 et inf. III, 198, vbi *nimbi*, qui h. l. *nubes*. Mox *poli* pro coelo simpl. Nec est ὕστερον πρότερον, quasi tonitru praecedat fulgur; sed cadunt crebra fulmina cum tonitru.

92. Naturae veritatem sequutus poeta, exemplo Homeri Od. ε, vnde locus expressus, v. 297 κφὴ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα κφὴ φίλον ἦτορ, Aeneam suum metu vacare non iubet. Aliud est Achillis exemplum, qui mortem a Xanthi eluuie instantem similiter exhorrescit Iliad. Φ, 272. Antiquam sepulturae religionem huc aduocare, qua, cum inhumati iacerent, qui mari absorpti essent, tanto grauior naufragii horror esse debebat, nimis argutum arbitror. Priscis heroibus et metuere et flere haud indecorum est. — 93. Ὄχθησας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμὸν v. 298 Od. ε, et sequitur similis oratio Vlyssis, vt hic Aeneae.

94—96. ibid. 306 Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ etc. Compara locum. cf. Iliad. Φ, 279 sqq. nostrum imitatur Seneca Agam. 515 sqq. *oppetere mortem*, vulgare; poeta absolute posuit: vt *obire mortem*, mox, *obire* simpliciter.

Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra!
Saeuus vbi Aeacidae telo iacet Hector, vbi ingens
Sarpedon; vbi tot Simois conrepta sub vndis
Scuta virum galeasque et fortia corpora voluit.

97 *Tytide* multi male scribunt. Est Τυδείδης. mox: *decumbere flammis* Hamb. pr. sed cum Diomede in campo ante Troiam congressus est. v. not. 98 *hanc animam* Parrh. *tua hanc animam* Bigot. *animamque tua hac* (saltem deb. *hanc*) Moret. pr. 99 *et ingens* vnus Pierii, vnde Gisan. facit *vt*. 100 *Sarpedo* Medic. a pr. m. *sub vndas* alii ap. Seru. Versum hunc repetit inf. VIII, 339. 101 *pectora* Oudart. Hamb. sec. et Leid. nec non Goth. tert.

96—98. Diomedem, Tydei f., potissimum inter Achivos memorat, quoniam cum eo congressus Aeneas a Venere morti ereptus fuerat. v. Iliad. ε, 239 sqq. 311 sqq. *Fortissimum* eum appellat ex Iliad. ζ, 98, vbi Helenus de eodem: Ὃν δὴ ἐγὼ κάρτιστον Ἀχαιῶν φημὶ γενέσθαι. (Aliena affert Schottus II. Obss. 15.)

99. Odyss. γ, 108 Nestor facta Achiuorum ante Troiam recensens ἐνθάδ' ἔπειτα κατέκταθεν ὅσσοι ἄριστοι· Ἔνθα μὲν Αἴας κεῖται Ἀρηΐος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεύς, ἔνθα δὲ Πάτροκλος — ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος υἱός. suauissimus locus! *saeuus Hector* simpl. pro fortis, vt *acer*, *asper*, v. 14. Scilicet, vt semel moneamus, cum *saeuus* proprie ad iram, furorem, ac vehementiam spectet: pro communi epitheto, saepe tantum in ornatum, adhibetur in omnibus rebus, quae ad bella, pugnas, virtutem; ad imperia, regna, iussa; ad mare, ventos, tempestates, pertinent. Quo fit, vt nonnunquam per *fortis*, *magnus*, *potens*, declarari possit, vt Homerica δεινός, αἰνός, ἀπηνής. *telo*, hasta, v. Iliad. χ, 319. *iacet*, periit, κεῖται. quamquam et corpus Hectoris sepulturam sub moenibus vrbis habuit, v. Iliad. ω, 786; non vero Sarpedonis, qui in Lyciam fuit abductus. Sarpedon *ingens*, πελώριος.

100. 101. Contendit cum

Talia iactanti ſtridens aquilone procella
Velum aduerſa ferit, fluctusque ad ſidera tollit.
Franguntur remi; tum prora auertit, et vndis
Dat latus; inſequitur cumulo praeruptus aquae mons.

103 *auerſa* vna Iuntina ed. *fluctumque* Medic. a m. pr. cum aliis. v. Burm. 104 *proram auertit* (ſ. procella ſ. nauis) Medic. et Gud. item Rom. cum nonnullis aliis. *proram vertit* Sprot. ſed cedit codd. auctoritas poeticae rationi, qua *auertere*, pro ſe a., abſolute dici ſolet. cf. Heinſ. et Burm. *proram aduertit* quatuor ap. Burm. *prora aduertit* Leid. a m. pr. 105 *proruptus* alter Hamb. cf. inf. 247.

Homero Iliad. μ, 22 ſq. ϰαὶ Σιμόεις, ὅθι (in cuius littore) πολλὰ βοάγρια ϰαὶ τρυφάλειαι Κάππεσον ἐν ποσὶ ϰῦσι, ϰαὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν. Inf. XI, 257 *Quos Simois premat ille viros:* quod minus audacter dictum videri poteſt, quam *volui flumine* h. l. *ſcuta et galeas*. De quo v. ad 119. Egregie autem reddita eſt Simoentis natura, qualem eam adhuc eſſe memorarunt ii qui haec loca adierunt. Praelia autem inter Simoentem et Scamandrum facta. (cf. Comment. *de acie Homerica* p. 154. To. VI *Comm. Soc. R. G.*) Poteſt ſane oratio nimis ornata videri ex Aeneae perſona; ſed innumeris locis poetae cum epici tum tragici ac lyrici ſibi indulgent in ornatu, etiam vbi alios loquentes inducunt. Vide v. c. inf. Iunonis verba 229 ſqq. et Iouis 257 ſqq. neque hoc, niſi in immodica pigmenta excurrat poeta, vitio dabis, vbi ſemel memineris, Iouem et Iunonem non propriis, ſed poetae verbis vti.

102 — 105. *iactanti* ſimpl. dicenti. Homerus Od. ε, 313 Ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασε μέγα ϰῦμα ϰατ' ἄϰρης Δεινὸν ἐπεσσύμενον — μέσον δέ οἱ ἶσον ἔαξε Δεινῇ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα. (Locum Iliad. ο, 624 ſqq. non bene comparant viri docti.) *ſtridens aquilone procella*, h. e. ab aquilone incitata, immiſſa; plus autem eſt in *ſtridens*. Magna igitur venti vis a ſeptemtrione veniens *ferit velum* et lacerat, *ad-*

Hi summo in fluctu pendent; his vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit aestus arenis.
Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet:

108 *adreptas* sex Burm. *arreptas* Goth. tert. *ad* s. Sprot. *ducit* Hamb. pr.

versa, a prora irruens, excitatque fluctum ingentem, quo vtrinque citra nauis latera se prouoluente remi franguntur, seu, quod proprie dicitur, *detergentur*; Graecorum παρασύρειν τὰς ταρσούς. cf. Diodor. XI, 18. vnde sequitur τὸ παραφέρεσθαι, φέρεσθαι πλαγίας τὰς ναῦς vel ἐπικαρσίας; deterſis sc. remis iam obliquo cursu fertur nauis, adeoque *prora auertit* se, incerta in hanc vel illam partem fertur, et nauis *vndis*, fluctibus, *dat latus*: quod nolim cum Cupero Obss. II, 2 a palaestra arcessere. Illustrantur haec ex Valerii Fl. imitatione I, 618. 9. *Excussi manibus remi, conversaque frontem Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus.* cf. Quint. Cal. XIV, 592. Fundus est in Odyss. ι, 70 sqq. de Vlysse a Ciconibus progresso: ingravescit aquilo et naues αἱ μὲν ἔπειτ' ἐφέροντ' ἐπικάρσιαι, ἴσία δέ σφιν Τρηχθά τε καὶ τετραχθὰ διέσχισεν ἲς ἀνέμοιο *(stridens a. p. velum adversa ferit)*. Locus est e praestantissimis. 105. *insequitur mons aquae praeruptus cumulo*, h. e praeruptus, propter altitudinem cumulatae aquae. Intelligit autem *decumanum fluctum* (Graeci τρικυμίαν dicunt, forte pro maris diuersa natura), vt iam Scaliger vidit, qui aliis minoribus ipse maior succedit. Eo autem insequente alterum nauis latus, aut altera pars, alte deprimitur, altera exstat. Itaque *Hi*, alii ex iis, qui in naui sunt, v. c. in prora, aut in transtris dextris, *pendent s. in fl.*, alii, qui sinistris, aut in puppi sunt, merguntur mari. Nisi placet v. 106 seiungere a superioribus, et de aliis nauibus accipere.

108—112. *Aras* proprie dictas seu *Aegimuri insulas* designat, ex aduerso Carthaginis in mari sitas, in nostris quoque tabulis geographicis obuias. Vid. Excurs. ad h. v. *saxa latentia*, ἕρμακα

Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras:
Dorsum inmane mari summo. Tris Eurus ab alto
In breuia et syrtis vrguet, miserabile visu,
Inliditque vadis, atque aggere cingit arenae.

109 *mediisque in fl.* Medic. et duo alii etiam pr. et sec. Goth. et quinque Heins. *mediis quae fluctibus,* quo ducit Mentel. tert. *mediisque fl.* Hoc placet, et, nisi aliam normam semel praescriptam sequendam mihi esse putarem, cum Bruncio *mediis quae fluctibus,* reponerem. Montalb. cum ms. Helmstad. *mediis in fl.* etiam hoc rotundius. Sed totum versum ab impura Grammatici manu accessisse censeo. Saltem valde alienum est a poetae iudicio in medio tempestatis aestu interponere obseruationem grammaticam. Suppetit forte ratio aliqua, qua labes poetae, si non elui, at dilui saltem potest, si *Aras,* vt fecimus, scribas. non *aras:* ita vt sit certus in mari locus; tum si interpungas: *Tres Notus a. in saxa latentia torquet, Saxa,* (inquam), *vocant Itali mediis quae fluctibus Aras, Dorsum immane m. s.* h. e. in scopulos Aras dictos. Dicendus ita poeta expressisse intempestiua quidem, docta tamen aemulatione, Homeri aut Pindari etymologias nominum propriorum vt huius in Iamo, illius in Batiea ac similibus. Ieiuna tamen vel sic exit oratio, et indignus tanto poeta versus: quem delendum esse etiam Bryant V. C. statuebat. 111 *Syrtis* v. Pier. *mirabile* sex Burm. 112 *Impellitque* Hamb. *illuditque* Comm. Cruqu. ad Horat. I, Od. 3.

ὕφαλα, vt saepe — *dorsum* alias *taenias* appellant. *mari summo,* sub maris superficie latentes scopuli: οἱόθι δ' ἄλμη Ἀπλόος εἰλεῖται γαίης ὑπὲρ ὅσσον ἔχουσα Apollon. IV, 1270. 71. e quo loco, vbi in Syrtes inciderunt Argonautae, plura transtulit Virgilius. 111 *Syrtes* interpretatur poeta per τὰ *breuia,* τὰ βραχέα, vadosa loca, qualia alias littorum sunt; opp. *profunda, alta* vel *aperta.* Inf. v. 221 de scopulis *breuia vada;* plerumque tamen arenosa loca dicuntur *breuia;* eadem mox *vada.* Non autem de Syrtibus proprie ita dictis, maiore ac minore, in Libyae littore, cogitandum; nec *Notus* et *Eurus* proprie dicti sunt. v. Exc. laud.

Vnam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vortex.
Adparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per vndas.

113 *ipsumque vehebat* Puget. v. Burm. *Oronten* vt *Aenean, Achaten, Acesten,* firmat Heins. alii *Orontem, Oruntem.* 114 *ingenti vertice* h. e. procella coni. Lennep. Animadu. ad Coluth. p. 97. sed v. not. 116 *istam* Hugen. 117 *et* deest in binis. *Vertex* scribit Medic. semper. v. Heins. et Pier. 118 *gurgite summo* Hugen. pro var. lect. 119 *Troica* alii. Sed graeca ratio poetis frequentata.

113—115. *Vnam ingens pontus*, (δεινῶς pro fluctus, quod incitatus: Valer. Fl. IV, 666 *effluit imber spumeus et* magno puppim *procul* aequore *vestit) ferit in puppim*, ictu in puppim delato, κατὰ πρύμναν, (non ἐπὶ πρύμναν, quae diuersa plane res est, ἐπὶ πρύμναν ἐλαύνειν) *a vertice*, h. e. desuper, v. sup. ad Georg. II, 310, (non vero a prora, etsi a fronte fluctus ingruere debuit) alte insurgens fluctus desuper in caput irruit. Odyss. ε, 313. ἔλασε μέγα κῦμα κατ' ἄκρης Δεινὸν ἐπεσσύμενον. Puppi itaque depressa inclinatur gubernator et in mare prolabitur: quamquam et ipse fluctus adiuuare satis casum hominis potuit.

115—119. Vides Homerum l. l. Od. ε, 314. περὶ δὲ σχεδίην ἐλέλιξεν, Τῆλε δ' ἀπὸ σχεδίης αὐτὸς (Vlysses) πέσε· πηδάλιον δὲ Ἐκ χειρῶν προέηκε· μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξε Δεινῇ μισγομένων ἀνέμων ἐλ- ᾗσα θύελλα. Τηλῦ δὲ σπεῖρον καὶ ἐπίκριον (velum et antenna) ἔμπεσε πόντῳ. Τὸν δ' ἄρ' ὑπόβρυχα ᾗκε etc. Obseruanda autem in Virgilio variatio in diuersis nauium casibus. *Magistrum* nominat Aen. VI, 334 sqq. *Leucaspim et Lyciae ductorem classis Oronten:* vbi in

Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatae, 120
Et qua vectus Abas, et qua grandaeuus Aletes,

120 *Iam inualidam* Sprot. *nauim* Moret. pr. et qu. v. Heinſ. *qua* f. Hamb. pr. et Sprot. *Achati* agnoſcit Chariſ. Inſt. Grammat. lib. 1. quod illuſtrat Heinſ. cf. ſup. ad v. 30. 121 *Aletes* cum meliorib. Heinſ. ex Ἀλήτης. male vulgo *Alethes, Alaetes.*

eundem Orontem in locis inferis incidit Aeneas. et, quod *pronus voluitur in caput*, translatum eſt ex verbis: ὁ δ' ἄρ' (κυβερνήτης) ἀρνευτῆρι ἐοικὼς Κάππεσ' ἀπ' ἠριόφιν — Odyſſ. μ, 413. Mox *vorat* v. 117 eſt abſorbet, καταπίνει. Videtur fluctus ingens irruendo in mare profundam voraginem effeciſſe: in quam dum reuolutum mare fertur, nauis lateri illud impingitur eamque circumagit.

118. *rari* epith. ornans, vt et *vaſtum*, nihil amplius. *gurges*, μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Conſpiciuntur paſſim nantes (cf. Odyſſ. μ, 417. 418) et *arma* h. e. clipei, quos, cratibus textos corio indutis, quis dubitet aqua ferri potuiſſe? Laudant Liu. I, 37 *multique mortales — in flumine ipſo periere, quorum fluitantia arma ad vrbem cognita in Tiberi.* etiam ante 100 *vbi tot Simois correpta ſub vndis Scuta virum galeasque et fortia corpora voluit.* Adde Aen. VIII, 539 *quam multa ſub vndas Scuta virum galeasque et fortia corpora volues, Tibri pater!* cf. Doruill. ad Chariton. p. 627, qui et Manil. V, 51 laudat. De *galeis* forte fluitantibus dubitari poteſt. At cogitandum de galeis corio factis, etſi forte lamina aerea ornatis. Erant autem militum arma in puppibus religata. inf. v. 183, vbi Seru. X, 80. Nauium tamen armamenta alii malunt intelligere. Sed *arma virum* dicit.

120. 121. Nomina ſunt ex Homero, non autem ipſi homines. *Achaten*, Aeneae amicum video in Schol. Ven. A. accepiſſe nonnullos de eo qui Il. B. 701. eſt Δάρδανος ἀνήρ, a quo Proteſilaus caeſus eſt. — 122. *Vicit hiems*, tempeſtas, χειμών, labefactauit, ſoluit nauium latera, vt aqua ſubiret. *imbrem*, aquam maris poſt

Vicit hiems; laxis laterum conpagibus omnes
Adcipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis, grauiter commotus; et alto

122 *Vincit* vnus Heins. cum Cod. Argent. Boecleri ap. Cuningam. *laterum laxis* Hamb. pr. 123 *remis* Goth. tert. 124 Heins. malebat *pontus*, vt *misceri* esset infinitiuus historicus, quod sane non insuaue esset. 125 *Immissamque* Bigot. et Reg. male. emissa erat ab Aeolo. *immensamque* Zulich. et vnus Leid. superscripto *i.* vulgari variatione. *sentit* duo alii ap. Burm. *hiemem vt sensit* emendat Markland. ad Stat. V, Silu. 2, 113. Sed et alterum poetae vsitatum est: quorsum igitur coniicimus alterum! 126 Interpungebatur vulgo: *Interea — sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis;*

Ennium et Lucretium dixit; et post Virgilium saepe alii poetae, vt Stat. III Theb. 250. 251. *inimicum* grauius accipiendum pro *exitioso*. Materiem ornatissimi loci habuit haec verba: ἀπὸ τοίχας Λῦσε κλύδων τρόπιος· τὴν δὲ ψιλὴν φέρε κῦμα. — *rimisque fatiscunt*, soluuntur, vt rimas agant. v. ad Ge. I, 180.

124—156. Tempestas tandem deferbuit. Locus poetice Neptuni interuentu exornatus: quem extra rerum Iliacarum nexum intulit: nam in Homero Troianis ille iratus Achiuorum partes tuetur. Cf. V, 799. Apud Homerum l. l. Odyss. ε, 334 Vlyssem prospicit Leucothea et offert suum κρήδεμνον, at seruat eum Minerua v. 382 sqq. nam a Neptuno tempestas fuerat immissa. *Sensit* Neptunus *pontum misceri* magno cum murmure et *sensit hiemem* emissam, — *et stagna* refusa. Duplex structura, vt saepe. *stagna* pro mari, quod *refusum*, erutum et exturbatum erat ex *imis vadis*, fundo; quod v. 84 *ex imis sedibus*, βυσσόθεν, nisi cum Seruio, quem Cerda sequitur, per *stagna* profunda maris velis indicari. Sed *stagna* pro mari nouasse videtur poeta ex λίμνη apud Homerum.

126—129. *Grauiter commotus*. turbatus, συγχυθείς rei nouitate, sensit Neptunus tempestatem in mari com-

Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda.
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem;
Fluctibus oppressos Troas coelique ruina.
Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.

grauiter commotus, et alto Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda. Ita grauis et difficilis crisis exorta, quomodo idem Deus *grauiter commotus*, irasus, *placidum* tamen *caput* extollere possit. Commenta virorum doctorum v. in Excursu ad h. v. Dispulsam nubeculam vides virgula sublata et alio traducta. nunc pontum misceri sentit grauiter commotus; et *alto Prospiciens*. vide not. *ab alto* Leid. 128 *deiectam* Bigot. cf. v. 43. *disiectam* Graeu. *disiectamque* Leid. *toto Aeneae* Bigot. *vidit* Mentel. tert. *nauem* Zulich. a m. pr. 129 *ruinam* Rom. et ed. Iunt. nec male hoc: praestat tamen alterum, quod propius ad consilium poetae spectat.

motam; tum ille e mari capite sublato prospicit. Valer. Fl. I, 641 *vndique feruent Aequora, cum subitus trisida Neptunus in hasta Caeruleum fundo caput extulit. placidum caput:* Aliis in locis, alio respectu ad maris furores habito, eidem Neptuno truculentus vultus tribuitur. At h. l. *placidum* adiectum est certo cum iudicio: quod tempestatem *non ab ipso deo, ex ira in Troianos,* commotam esse significare voluit poeta. *Extulit caput* placide: pro quo dictum poetico more, *placidum caput;* et ipse mox placaturus est tempestatem. Difficultates ab aliis in h. v. motas v. in Excursu ad h. v. Expressit locum Silius VII, 254 sqq. *Vt cum turbatis placidum caput extulit vndis Neptunus, totumque videt totoque videtur Regnator ponto, saeui fera murmura venti Dimittunt, nullasque mouent in frontibus alas: Tum sensim infusa tranquilla per aequora pace Languentes tacito lucent in litore fluctus. alto prospiciens* int. ex fundo maris, in quo regia dei est. *disiectam — oppressos.* v. sup. v. 69. 70. *coeli ruinam* grauissime dixit pro vento ac procella.

130. Statim Neptuno in animum veniebat, Iunonis machinatione, vt exsatiaret odia sua erga Teucros, hanc tempestatem esse conflatam. Ita *dolos* et *iras* accipe. Ha-

Eurum ad se Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam coelum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos praestat conponere fluctus.
Post mihi non simili poena commissa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:

132 *nostri* Sprot. et Hamb. pro var. lect. et Lutat. ad Stat. II, Theb. 4. 133 *terram caelumque* Parrhas. 134 *audetis et tantas* Menag. pr. 135 *Quis* Bigot. a m. pr. Vir doctus coni. *Vos ego*, quod vel in pedestri oratione deterius esset; vt praeclare iam monuit elegantiss. Ruhnkenius in docto Comment. ad Aquil. Rom. p. 147. Io. Schraderus, qui istam emendationem proposuerat in Obss. I, 5. eandem defendit in praef. Emendatt. p. LII. argumentum, quo emendationem firmabat vir poetices callentissimus, petitum erat ex imitatione Statii IV, 514, vbi Tiresias euocatis Vmbris venire cessantibus: Ne spernite senectam, inquit, nam grauiora quoque carmina noui: *Iamque ego vos.* Quae quam diuersa sint, ex ordine hoc rerum manifestum fieri arbitror. Alia praeterea aduersus Schraderum monet Ouwens in Noctib. Hagan. p. 613 sqq.

nuisse fertur poeta ante oculos Homer. Iliad. α, 536, 7. Sed verba ex Apollon. IV, 753. Οὐδ' ἄλοχον Κρονίδαο Διὸς λάθον. Simile argumentum vide tractatum ab Ouid. I Met. 601 sqq.

131 — 141. Duo ventos *Eurum* et *Zephyrum* pro toto ventorum agmine manifeste ponit tanquam poeta; nam neutrius in hac tempestate partes debuere esse praecipuae. *generis vestri.* non tam originis, quam omnino gentis; tantumne vos confidentiae in vobis, in vestris viribus, habetis? Argutantur h. l. Interpp. post Nonium, cum videant in natalibus Ventorum, ap. Hesiod. Theogon. 378. 379. nihil esse reprehendendum. *meo sine numine*, voluntate, iusso. *tantas moles*, rerum perturbationes, tempestatem. Nam *moles* omnis magna molitio, magna res quam quis molitur. — *Quos ego* grauissime vlciscar, pu-

Non illi imperium pelagi saeuumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se iactet in aula
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat;

138 *pelagi imperium* Parrhas. *magnumque tridentem* Leidens. pro var. lect. ex gloss. 140 *domus* Mentel. pr. Rottend. tert. et Goth. pr. *iactat* Hamb. alter. Oudart. Goth. tert. *regnat* alter Menag. et Hugen. 142 *citius dicto* Hamb. pr. *timida* alter Menag.

niam; vel, punire possem, vel deberem. Notus locus. Scilicet intelligendum: (Vos — audetis,) *quos ego* vlciscar grauissime; quod exquisitius est, quam *Vos ego*. 136. *Non simili*, sed grauiore, *poena*. Porro *post* et *commissa* sensu iunge, si in posterum tale quid ausi eritis, non impune feretis. 137. *Maturate fugam*, accelerate receptum in antra vestra; *mature* h. e. ocyus discedite. Inepta est apud Seruium Macrob. VI Sat. 8. et Gellium X, 11 in h. l. interpretando subtilitas. 138. *imperium — tridentem*. praeclare, vt v. 78. quodcunque hoc *regni — sceptra*. Et sic saepe poetae. Hinc et *saeuus tridens*, quia poetis *saeuum imperium*, v. ad v. 99. 139. *sorte*, sortitione inter fratres. cf. Iliad. o, 187 sqq. *immania saxa*, vastum antrum v. 52. 140. *Vestras, Eure, domos*, Nota figura, adscitis in regimen verbi sociis Euri. Ita IX, 525. XI, 686. 7. Totus autem locus adumbratus ex Homer. Iliad. α, 179 Οἵπαδ' ἰὼν σὺν νηυσί τε σῇς καὶ σοῖς ἑτάροισι, Μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε. At ornatius noster extulit: *se iactet — aula*, regia. cf. ad 56.

142 — 156. Placata tempestas. Aliter simile argumentum tractatum vides ab Ouidio I Met. 330 sqq. *dicto citius* non, antequam diceret; aut, citius quam dici potest, vt Seru., sed, *antequam orationem finiisset*. Nondum omnia erat eloquutus, cum iam mare esset placatum. Quale illud vulgatum: Dictum factum. Ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον, et Iliad. τ, 242 Αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον.

Conlectasque fugat nubes, ſolemque reducit.
Cymothoe, ſimul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt nauis ſcopulo; leuat ipſe tridenti;
Et vaſtas aperit ſyrtis, et temperat aequor;
Atque rotis ſummas leuibus perlabitur vndas.
Ac, veluti magno in populo quum ſaepe coorta eſt

144 *Cymothe, Cymothee, Cymothaee,* male ſcribitur: eſt Κυμοθόη. 145 *Detendunt* Goth. pr. *leuat atque* Hamb. pr. *ille* Doruill. *tridentem* Goth. tert. non male; niſi alterum doctius eſſet. 146 *Et magnas* Graeu. v. ad 55 et 138. 147 *pellabitur* al. v. Pierium. 148 *Et veluti* quatuor ap. Burm. *in magno populo. in populo magno. magno populo.* varietates v. ap. eumd. *magna* Moreti ſec. et Montalb. et ſic Ge. Fabricius legi viderat, vt eſſet, *magna ſeditio.* temere. cf. Burm. *cum forte* Hamb. pr. in excerpt. Cort.

144. Splendidi hi quatuor verſus v. 144 — 147 quantarum ſcilicet rerum adumbratio! Habuit forte ante oculos Apollon. IV, 930 ſqq. vbi Thetis cum Nereidibus nauem Argo inter erraticas rupes ſaluam deducit, et 1609 ſqq. *Cymothoe* vna ex Nereidibus: Apollod. I, 2, 7. inter Oceani filias ap. Heſiod. Θ, 245. *Detrudunt naves ſcopulo* refer ad eas v. 108 quas *Notus in ſaxa latentia torquet.* Porro ipſe Neptunus *leuat* n. naues: itaque poſt *ſcopulo* nolim plene interpungi, ita vt Neptunus *Syrtes leuaſſe* dicatur: quod non bene fieret. 146. *Aperit ſyrtes,* via ex arenoſis vadis facta, vt naves expedire ſe poſſent: vt ſaepe poetae de aditu facto; ſic *mare aperitur.* refer autem ad tres naues v. 110. 111. et *temperat mare,* fluctus placat. 147. Talis Neptunus quadrigis vectus etiam in gemmis occurrit: *Mill.* I, 1. n. 121. *Dactyl. Lipp.* Alias laudatas v. a *Saxio* V. C. ad *Virgil. Iuſtic.* T. V, p. 37. Eſt enim et ibi ſimilis gemma expreſſa. Conf. Aen. V, 817 ſqq. Pulcre autem ſingula celeritatem exprimunt, etiam *τὸ labi per vndas.* VIII, 91 *Labitur vncta vadis abies.*

148 — 156. Neptuni proſpectu mare placatur, vt populi ſeditio adſpectu viri

Seditio, saeuitque animis ignobile volgus;
Iamque faces et saxa volant; furor arma ministrat: 150

Interpretamentum hoc esse τοῦ *saepe*, atque hoc eo sensu esse accipiendum, vt sit ἴσως, τάχα, existimabat Abresch. Diluc. Thucyd. P. I, p. 174. Opinionis auctoritatem aliam desidero; tum h. l. langueret oratio, sequitur enim statim 151 *si forte*. Enimuero poetis *saepe* est in comparatione solenne; vt sit idem, quod *interdum, nonnunquam*, sine definita aliqua notione numeri: vt in Gr. οἵατε πολλά. Sic v. c. Aen. X, 723 *Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans* etc. V, 273 *Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens* etc. Retrahenda autem est dictio *saepe* ad maius membrum: *ac veluti saepe, cum coorta est* s. *cohorta* scribunt tres Burm. Goth. tert. *coacta* Oudart. 149 *seruetque* Schol. Horatii Cruqu. lib. I. Od. 1. 150 *iam saxa* ed. Cuning. ex MS. Bersman. *volunt* iam Seruii aetate legebatur, quem vide. *Iam fasces* Bigot. a m. pr. *et tecta* Hamb. sec. *et tela* Zulich. a m. pr. *fudes et saxa* Freinshem. ad Flor. III, 21. emendarat; Heins., vt refellat, docet quidem, *faces* et *saxa* etiam alibi iungi: sed de hoc nemo dubitet, docendum erat, vnde in seditione, quae interdiu fit, *faces* ad manum sint. Scilicet cogitandum est de domo eius, in quem populus exarsit, diruenda et incendenda.

auctoritate conspicui — *Ac veluti silent tum, cum*. In prosa: *vt saepe in magno populo cum coorta est seditio silent*. Comparatio seditionis cum mari satis frequens est, et ab Homero Iliad. β, 144 — 146 ducta; at h. l. inuerse maris tumultus cum seditione sit comparatio: cuius nouam ac praeclare ornatam tractationem facile intelligas, inprimis in voc. *magno — coorta est saeuitque animis* (ira) *ignobile vulgus* (vt *vile*, epith. ornans) seu, quae nuda oratio esset: *ardet ira vulgus. furit*. 151. *Grauem*, venerabilem, *pietate ac meritis*, religione erga deos et sanctitate, beneficiisque in patriam ac cives collatis. Vtrumque hominibus auctoritatem conciliat.

155. 156. *Coelo aperto*, sereno, quod adhuc nubibus erat obductum, *inuectus* per mare. *Equos* Neptuni v. Homer. Iliad. ν, 23. 24. Seriores poetae tribuunt Neptuno hippocampos. v. Stat. Theb. II, 45 — 47.

Tum, pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, adrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
Prospiciens genitor, coeloque inuectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Defessi Aeneadae, quae proxima, litora cursu

151 *grauem populi* Hamb. alter. 152 *arreptisque* quatuor Burm. *erectis* Zulich. et Leid. pro var. lect. *alstant* Montalb. v. Heins. *astant* al. 154 *Sic omnis* Moret. sec. *pelagi cunctus* Bigot. *cecidit furor* Puget. *aequore* coni. Heumannus. sed v. Burm. 155 *Aspiciens* Sprot. *que* abest a pr. Moret. Miror neminem maluisse: *pontoque inuectus aperto.* 156 *flectat* Leid. a pr. m. *flexit* tert. Mentel. a m. sec. *fluctuque volans* Romanus et alii aliquot ap. Pier. minus poetice. 157 *Aenidae* Leid. vnus. *Aeneidae* Goth. alt. Sed *Aeneadas* iam ex Lucretio nouimus: *Aeneadum genetrix, hominum diuumque voluptas, Alma Venus;* praeter nostrum, apud Ouidium et alios; etiam in serioribus: v. disputata ad Auien. descr. orb. 117. Nam cum proprie sit *Aeneae progenies*, inde *Troiani* omnino, tandem *Romani* sunt *Aeneadae*. Itaque Regilla in Marcelli carmine (v. c. Brunck Anal. T. II. p. 302) fuisse dicitur ἐξ Αἰνεαδῶν, Ἀγχίσεω κλυτὸν αἷμα καὶ Ἰδαίης Ἀφροδίτης, h. e. simpliciter, matrona *Romana*, Herodi Atheniensi nupta; Γήματο δ' εἰς Μαραθῶνα. Pronuntiatum autem Αἰνειάδαι et Αἰνειάδαι. Vt in Pindaro Olymp. VI, 149 Ὄτρυνον νῦν ἑταίρους, Αἰνέα. Et de

vt Proteo Georg. IV, 389. *curru secundo*, celeri; proprie *cursus* est *secundus;* ductum a naui, quae *secundo amne* deuehitur. Caeterum hunc locum ornatissimum ante oculos habuere Silius VII, 254 — 259 et Statius Theb. V, 704 — 709. *genitor*, pater: Sic proprie omnes seniores dii, mox et quicunque alii, vt Mars, Bacchus, Apollo, h. e. venerabiles, verendi, sancti. At Burmannus vult *ita dici deos rerum, quibus praesunt;* in quo nihil paternae notionis videas.

157. Nunc Troiani ad Libyae littus, haud longe a Carthagine, deferuntur. *Defessi*, fessi, iactati tempestate, vt saepe poetae; et mox 168. *fessae naues.*

Contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras.
Eſt in ſeceſſu longo locus: Inſula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos.
Hinc atque hinc vaſtae rupes geminique minantur
In coelum ſcopuli, quorum ſub vertice late
Aequora tuta ſilent; tum ſiluis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus inminet vmbra.

noſtro Aenea in Rheſo Αἰνέα et Αἰνέαν duabus ſyllabis 90 et 585. Eſt quoque in Argonaut. Orphic. 138. Βούτης Αἰνειάδης, quod corruptum eſſe patet. Fuit ille Athenienſis et potuit dici a tribu Αἰγεϊάδης. *quae littora proxima* alter Hamburg. 160 *obiectum* Menag. alter. *amnis* Hamb. pr. a m. ſec. 161 *ſcinditur, inque ſ.* Hamb. ſec. *ſeſe ſcidit vnda* Sprot. cf. Ge. IV, 420 vbi idem verſus. 162 *rupes vaſtae* Puget. Male poſt *rupes* interpungebatur, vt ſuppleretur *ſunt*. Immo vero minantur rupes et ſcopuli. 163 *lato* Rottend. alt. 164 *ſcaena* Medic. aliique praeſtantiores. vel ſic tamen male. *ſtat ſiluis vmbra c.* Hamb. pr. non male; niſi ſequeretur *vmbra*. 165 *eminet* Puget. minus bene.

159 — 169. De toto loco vide Excurſum. Primae eius lineae petitae ſunt partim ex Odyſſ. ε, 404 et 411 ſqq. vbi Vlyſſes enatat naufragio in Phaeaciam, partim Odyſſ. ν, 95 ſqq. vbi in Ithacam eſcendit. *in ſeceſſu longo* ſc. littoris. Sinum *ſecretum* interpretatur Seruius. Saltem tractum littoris remotum et infrequentem deſignat poeta, cuius aditum et conſpectum intercipit nauigantibus inſula ex aduerſo obiecta et continenti praetexta. Haec *inſula* efficit *portum obiectu laterum* ſuorum; tam late illa praetenditur; *portum* appellat tutam nauium ſtationem, quoniam inſula obiecta ventorum et fluctuum vim excipit: *lateribus* enim, ad inſulae latera, *omnis vnda*, fluctus, *ab alto frangitur*: hoc ornauit: *in ſinus ſcindit ſeſe v. r.* ſinuoſo flexu fluctus recedunt: cf. ad Ge. IV, 420. ſolent enim fluctus

Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum;

166 *Fronde* Graeu. *auersa* Goth. pr.

allisi longo tractu retrorsum acti dissolui.

159. Insula non est ap. Homer. in loco, quem hic expressit Odyss. *ν*, 97, sed est alius locus, quem et hic ante oculos habuit, in descriptione terrae Cyclopum Odyss. *ι*, 116 Νῆσος ἔπειτα λάχεια παρὲκ λιμένος τετάνυσται Γαίης Κυκλώπων, ἄτε σχεδὸν, ἔστ' ἀποτηλῶ, Ὑλήεσσ'. Ex eodem loco cerui inf. 184 poetae in mentem venere.

160. 162. In portu Phorcynis l. l. Odyss. *ν*, 97 sqq. Δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ Ἄκται ἀποβρῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι (mutuo ad se vergendo, in cornua coeundo, κατὰ τοῦ λιμένος. Etymolog. εἰς λιμένα νενευκυῖαι). Αἵ τ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα Ἔκτοθεν (ab alto).

162 sqq. Nunc ad *secessum*, s. interius littus, continentis nimirum, procedit. Est hoc rupibus constitum, prominentibus ad dextram et sinistram duobus scopulis; omnia siluis obsita. Ingressis recessum hunc ex aduerso 166. occurrit antrum subter littore scopuloso. 164. Superior littoris ruposi ora siluis obsita est. Pro interpretatione sunt vss. 310. 311. *Classem in conuexo nemorum sub rupe cauata, Arboribus clausam circum atque horrentibus vmbris Occulit.* Littora huius generis saepe memorantur; v. c. Apollon. II, 734. 5. 6. — *Scenam* noue dixit poeta de prospectu longo inter *siluas*, h. e. arbores. Hanc *scenam*, h. e. prospectum, *siluarum coruscarum*, tremula inter interualla luce micantium, dum vento mouentur (inf. XII, 701. 2, *aut ipse coruscis Cum fremit ilicibus quantus* — Apenninus), et hoc *nemus* Virgilius ex vna olea ap. Homer. 102 propagauit, tamquam ex furculo. *horrenti vmbra* cf. sup. ad Prooem. 4. Post *siluas* memoratur *nemus:* tanquam post latius, id quod partem vel genus constituit: fere vt in Horat. I, 21, 5. *nemorum coma quaecunque prominet nigris siluis.*

166 — 168. Hoc antrum itidem ex Homero v. 103 —

Intus aquae dulces, viuoque ſedilia ſaxo;
Nympharum domus. Hic feſſas non vincula nauis
Vlla tenent; vnco non adligat ancora morſu.
Huc ſeptem Aeneas conlectis nauibus omni

168 *Hinc* f. Menag. pr. *nauis* Heinſ. e Priſciano et ſcriptis. 169 *aequora* alter Rottend. *vllo non* emendabat Scaliger.

112. Sed apud hunc tam auguſta loci facies, tam veneranda antiquitatis ſanctitas, vt Virgilius ab antro ornando plane abstineret. Atqui et hoc iudicium magni poetae eſt. *Fronte ſub adverſa:* de interiore continentis littore (non de inſula) hoc eſt accipiendum: quod eſt aduerſum intrantibus ſinum. *Nympharum domus* etiam Odyſſ. μ, 318 de antro in inſula Solis: ἔνθα δ' ἔσαν Νυμφέων καλοὶ χοροὶ ἠδὲ θόωκοι (h. *planities*, quam ad choreas aptam diceres, *et ſedilia*).

168. 169. *Hic.* non, *in antro;* ſed, in loco inter littus et inſulam, qui pro portu, ſeu tuta nauium ſtatione erat, in ſinu pone inſulam, in *receſſu* 159 memorato. Ἔντοσθεν δὲ ἄνευ δεσμοῖο μένεσι Νῆες εὐσσελμοι, ὅταν ὅρμιε μέτρον ἵκωνται. ibid. v. 100. 101. Vides vbique Virgilium, ſi ſententia certare non poterat, verborum ornatu cum Homero contendiſſe. At indicabimus et huius ornatus lineas: Od. ι, 136. Ἔν δὲ λιμὴν εὔορμος, ὅθ' ἐ χρεὼ πείσματός ἐσιν, ἔτ' εὐνὰς βαλέειν, ἔτε πρυμνήσι' ἀνάψαι etc. vides *vincula et ancoram*, ſed ornate: *vnco non alligat a. morſu;* translato epitheto ancorae ad *morſum.* Inſ. XII, 274 *mordet fibula.* Simile Nymphaeum ad Heracleae Ponticae agros transtulerant veteres poetae, quod repetiit ex iis Quintus Cal. VI, 470 ſqq. verſibus non malis.

170 — 173. *Septem nauibus;* Vna, qua Aeneas vehebatur, tres e ſcopulis a Tritone, tresque aliae e ſyrtibus, ſeu vadis arenoſis, a Neptuno expeditae. Caeteras praeter vnam ſeruatas mox videbimus; fuit enim (vid. v. 381) tota claſſis XX nauium. cf. Exc. I. ad lib. III.

Ex numero ſubit; ac, magno telluris amore
Egreſſi, optata potiuntur Troes arena,
Et ſale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates,

171 *ſubiit* Parrh. *et* m. *at* m. nonnulli. 172 *Troes potiuntur* tres ap. Burm. cum vno Goth. at tert. *ſpaciantur T.* 174 *At primum* aliquot Burm. et ed. Iunt. *Hinc* vnus Heinſ. *ſilici* praeclare Heinſ. e melioribus libris et e Grammaticis. vulgares libri *ſilicis*. Etiam in codd. parte et ed. Ven. male *excuſſit*.

172. Praeclarus verſus! Od. ε, 463 ὁ δ' ἐκ ποταμοῖο λιαθεὶς Σχοίνῳ ὑπεκλίνθη, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν. *arena*, littus: et telluris *amor*, πόθος, deſiderium, ſoli attingendi cupiditas. *tabentes artus ſale;* vnda marina reſperſos, madidos, ſimpliciter. Poetae enim *tabem* proprie de humore corrupto, mox de quocunque, inprimis ſordido. Θάλασσα δὲ κήμιε πολλὴ Ἄν φόμα τε ῥῖνάς τε. Odyſſ. ε, 455.

174. Reprehendit hic et in ſqq. inprimis 210 ſqq. poetam Homius (*Elements of Criticiſm.* T. III, p. 232. 229), quod eadem orationis grauitate res humiles narrat, qua grandes et ſublimes. Voluit ſane Virgilius hoc ipſo verborum ornatu nobilitatem tenuibus rebus addere. Aliter Homerus, qui orationem rebus accommodat; et praeceptum ſane primum in tali re eſt, leues res leuiter eſſe attingendas, vt obiter tantum lectoris animum praeſtringant. Sed habet poeta vnusquisque ſaeculi ſui Genium, cui in nonnullis eſt litandum; et verborum ornamenta alia ſplendoris et ſublimitatis ſunt, alia elegantiae et ſuauitatis, quae, vt in hoc et ſimilibus locis factum, recte rebus etiam humilibus accommodari poſſunt. 176. *Rapuitque in fomite flammam*, raptim excepit lignis aridis pro fomite ſubiectis. alias *fomes rapit flammam*, quam raptim concipit. cf. Seru. Virgilium hic Theocr. Idyll. XXII, 33 et Hymn. in Merc. v. 110 imitatum eſſe, locis inſpectis vix probabile habeas.

Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam vndis Cerealiaque arma
Expediunt feſſi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere ſaxo.
Aeneas ſcopulum interea conſcendit, et omnem

175 *ſuccepit* olim Seruius in libris habebat, quem v. 144 et ſic alter Mentel. it. Goth. pr. et ed. Mediol. cf. Scalig. IV poet. 16. 176 *ex fomite* Oudart. Leid. et Hamb. pr. pro var. lect. nec hoc male; ſed *in f.* doctius. *a fomite* pr. Moret. *flammas* aliquot Burm. et Goth. tert. 177 *correptam* Exc. Burm. 179 *Extorrere* Zulich. et Hamb. pr.

177 — 179. Hic vides priſcorum hominum rationem et artem panis conficiendi, non ingratam illam et iniucundam cognitu hominibus, qui, a quibus initiis vita humana ad hunc cultum progreſſa ſit, quaeri ſciant a philoſophis, qui humanae vitae annales aut condere aut cognoſcere cupiunt. *fruges*, h. e. grana, *receptas*, e mari ſeruatas, *torrent*, vt exuant glumam et facilius comminui poſſint, tum *frangunt ſaxo*, vt multi populi etiamnum grana ſaxis contundunt. (cf. Goguet *Origine des Loix* etc. *P. I Liv. II art.* 2 *Opuſcula* noſtra Tom. I, p. 330 ſqq. de *Originibus panificii*, et ſupra Georg. I, 267). *Cerealia arma*, h. vtenſilia, inſtrumenta, ad pinſendum, et ad coquendum panem. puta eſſe haec ipſa ſaxa, porro mactram, ſeu alueum, quo farina ſubigeretur. De fermento enim nondum cogitabant; ſed farinam illam ſubactam, ſeu pultem, continuo in quadrarum forma ſub cinere coquebant. Recte Seruius honeſtatem ſermonis hic commendat. Aliter ἔντεα ὀκιτὸς Odyſſ. η, 232. *feſſi rerum*, ex calamitatibus et caſibus, quos ſubierant, (ita *res* poetis) exhauſti viribus, quae propterea cibo erant reficiendae.

180 — 184. *Omnem proſpectum late petit pelago*,

Prospectum late pelago petit; Anthea si quem
Iactatum vento videat, Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Nauem in conspectu nullam; tris litore ceruos

181 *pelago late* tres Burm. *Anthea* libri potiores; Ἀνθεύς ex ἄνθος. Ductum inde nomen femininum Ἀνθεία, quod, vti ex Xenoph. Ephes. nouimus, etiam Ἀνθία fuit s. ex Ἄνθιος. alii *Antea*. *si qua* a multis olim lectum fuit, quod et Carisius testatur. cf. Pier. et Fabric. retinuit Cuning. in sua edit. Sed voc. *aliquis* cum nomine proprio eleganter iungi satis docuere viri docti. 183 *Capin*, et *Capim* alii, vt Goth. *Caici*, a nomine fluuii Mysiae. al. *Cayci*. 184 *Nauim* aliquot ap. Heins. et Goth. sec. cf. ad v. 120.

in prosa: prospectum capit, prospectat, quantum licet, per omne pelagus. cf. Odyss. ν, 146 sq. et 95 sq. *si videat*, pro: *vt videat*, sollenni more, Homeri exemplo: εἰ. ἐὰν. εἴπως. pro ἵνα, ὥςτε. v. c. εἴποτ' ἀϋτῆς σχοίατο Iliad. β, 97. *In biremibus* non est haerendum; poeta simpl. pro nauibus posuit. In v. 183 *aut Caicum*, debebat dicere vel Caici nauem; nunc ponit *arma Caici in puppibus celsis*. *arma* in puppibus religata cum Seruio intelligere vix possis, quippe haud facile e longinquo conspicua; nec commodum exemplum ex Aen. X, 80. Insignia navis h. e. parasemum male interpretantur alii; erant ea in prora, non in puppi. Saltem aut de *aplustribus* simpliciter aut de tutela nauis erat accipiendum; illud quidem melius. Verum poetico ornatu omnino dicta puto *arma in puppibus*, pro armis puppis s. nauis Caici; ita vt *arma nauis*, seu armamenta, dicta sint pro *ipsa naui*, quam prospicere volebat Aeneas. Hoc verius.

184. *Ceruos* ex Homeri capreis fecit, v. sup. ad 159. Nullos tamen ceruos in Africa inueniri Herodotus, Aristoteles, et Plinius post illos VIII, 33 s. 51 affirmauerunt. Firmat tamen se ipsum Virgilius Aen. IV, 154 et Lucan. IX, 921. Oppianum et Philostratum memorant praeterea Cerda et alii. Verum primo talis quaestio ex historia naturali aliena est a poeta; est quoque ἄλογον ἔξω

Proſpicit errantis; hos tota armenta ſequuntur
A tergo, et longum per vallis paſcitur agmen.
Conſtitit hic, arcumque manu celerisque ſagittas
Conripuit; fidus quae tela gerebat Achates;
Ductoresque ipſos primum, capita alta ferentis
Cornibus arboreis, ſternit; tum volgus; et omnem
Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius abſiſtit, quam ſeptem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum nauibus aequet.

185 *Aſpicit* Puget. Hemiſtichium idem Aen. XII, 719. *quos tota* et *tot armenta* vett. nonnulli ap. Pierium. 186 *et* abeſt Bigot. *et valles, per longum* Menag. pr. 188 *quae et tela* Menag. pr. 193 *fundit* et *aequat* Hamb. pr. cum Goth. tert. quod μυθεύματος (vt appellat Ariſtoteles de poetica ſ. 44) tum forte eos cum aduerſariis ita in gratiam reuoces, vt aut ceruos poſt Ariſtotelem in Africam illatos aut cerui nomen latius ab iis vſurpatum dicas. Sunt certe, quod hiſtoriae naturalis auctores docent, varia ceruorum et capreolorum genera per Africam ſparſa. Verum ceruos etiam proprie dictos *nunc* per oras Africae verſus ſeptentrionem ſitas errare, affirmat, vt *Leonem Africanum, de la Croix*, et alios taceam, *Shaw Travels* p. 243. cf. inf. ad V, 37.

189 — 193 *Cornibus arboreis.* Ecl. VII, 30 *ramoſa cornua. Capita alta cornibus*, vulgari ratione, *capita altis cornibus*, vel *alta c. habentia.* Etiam *ferentes* pro exili voce, *habentes. Miſcet agens turbam*, ornate, pro agit, agitat, perturbat, κλονεῖ, vt promiſcua fuga ſe ipſi inuicem trudant, cum antea *longo agmine* incederent; 192 *ſeptem ingentia corpora* grandius, quam *ceruos. victor*, ornatus poeticus. Mox 194 *portum* non proprie dixit, ſed pro ſtatione nauium: v. ſup. ad 159.

Hinc portum petit, et ſocios partitur in omnis.
Vina bonus quae deinde cadis onerarat Aceſtes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Diuidit, et dictis maerentia pectora mulcet:
O ſocii, (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi grauiora; dabit deus his quoque finem.

tueri licet vſu poetarum, ſubſtituendi modum indicatiuum, quoties vulgaris vſus ſubiunctiuum amat. alii *fundit* et *aequet*, aut *fundat* et *aequat*. Hoc placet Burmanno. Sic iungenda *abſiſtit* et *aequat*. *Fundet* Goth. alt. *humo* Medic. cum aliis praeſtantioribus it. Goth. tert. at Romanus *humi*. pro *numerum* Moret. pr. *meritum*. 195 *deinde bonus quae vina* Hugen. et ſic iam codd. ap. Pierium. 196 *Tenario* Zulich. ſed *c* ſuperſcr. *abeuntibus illis*. Bigot. *abeuntibus hoſpes* Medic. Pierii. non malo lapſu. 198 *enim* abeſt a Moret ſec. *ſumus ignari* Voſſ. *neque enim immemores ſumus* Medic. Pierii. 199 *Et paſſi* Rottend. pr.

195 — 197. *Deinde vina, quae* etc. In Drepani portum, qui Siciliae eſt, claſſis Troiana delata fuerat Aen. III, 707, non longe aberat *Aegeſta* vel *Segeſta*, quam Graeci et *Egeſtam* ſcribunt, condita ab *Aegeſto* Troe, quem Virgilius *Aceſtam* appellat: cf. V, 31. 61 et Exc. I ad e. l. Benigne fuerant ab ipſo excepti, vt etiam inf. I, 558. 570. hinc *bonus*. Idem iterum hoſpitio Aeneam excipit Aen. V, 36 ſqq. Quod vina commendat, vt Aceſtae munus ξενήιον, id vt poeta, et Homeri imitatione, facit: Odyſſ. ι, 197 ſqq. *Vina onerare cadis* quaſi pro onere inferre, infundere cadis, pro vulgari *cados onerare vinis*.

198. 199. In proſa: O ſocii! ſatis meminiſtis, vos grauiora his, quae modo experti ſumus, paſſos eſſe: ſpem itaque retinete, habitura eſſe finem etiam haec mala praeteritis leuiora. *ante mala*, τὰ πρὶν κακά. Horat. I Carm. 7, 30 *O ſortes peioraque paſſi Mecum ſaepe viri*. Locus autem expreſſus ex Odyſſ. μ, 208. Ὦ φίλοι, ἐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονες εἰμέν. Οὐ μὲν δὴ τόδε μεῖζον ἔπι κακὸν, ἢ ὅτε Κύκλωψ Εἶλεν ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ κρατερῇφι βίηφιν.

Vos et Scyllaeam rabiem penitusque ſonantis
Adceſtis ſcopulos; vos et Cyclopia ſaxa
Experti. Reuocate animos, maeſtumque timorem

200 *vos ad S.* Rottend. pr. *Scyllaeus* recte: eſt Σκυλλαῖος. vti ap. Athenaeum VII, p. 311 F. Σκυλλαῖος ποσθμός. 201 *ſcopulis* Moret. pr. *adceſtis* Heinſ. puto reſcripſit, vt ſibi conſtaret. *acceſtis* ipſe Medic. et Rom. *Cyclopea* multi; ſed in hoc et ſimilibus penultimam produci docuit Heinſius. Eſt enim ex ει. Κυκλώπειος. at *Cyclopius*, ex Κυκλώπιος. cf. inf. ad 665. nonnulli etiam *Cyclopeia* male. 202 *animum* ſec. Moret.

Ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ, βελῆτε νόητε, Ἐπφύγομεν· καί πε τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω. Macrob. V Sat. 11 Maronem in his locupletiorem Homero exiſtimat. At inter Seruiana legitur: *Totus hic locus de Naeuio belli Punici lib. translatus eſt.* Scilicet is ipſe Homerum latine loqui fecerat.

200. *Scyllaeam rabiem*, ſeu quoniam Scylla canibus cincta, v. ſup. ad Ecl. VI, 75, quorum *rabies* proprie dicitur; ſeu ſimpliciter, quatenus furor, ſaeuitia, rabies, mari, tempeſtati, procellis, tribuitur. *ſonantes ſcopuli*, fluctibus allifis, et quidem *penitus*, in interioribus adeo rupis receſſibus et antris, ſunt ii ipſi, quibus Scylla inſidebat. *Ter ſcopuli clamorem inter* caua ſaxa *dedere*, III, 566. *acceſſiſtis* ad eos, hactenus, quod iam fretum Siculum ingreſſi non longe ab iis aberant, cum dati ab Heleno oraculi memores ſtatim ad laeuam conuertunt curſum. v. inf. III, 555. 8. 566. 7. *Cyclopia ſaxa*, littus Cyclopum ſaxoſum in Sicilia, cuius illi rupes et antra incolebant in Aetnae vicinia, in orientali littore. v. inf. III, 569. 644. 675. Acceſſerant (doctius dixit, *experti* erant) ſcilicet et ad hoc littus et in portu eſcenderant, ſed ab Achaemenide moniti fugiunt. Eſt quidem in Seruianis docta nota: *Quidam tamen haec ſaxa inter Catanam et Tauromenium in modum metarum ſitu naturali dicunt eſſe, quae Cyclopea appellantur, quorum medium et eminentiſſimum* Galate *dicitur*. Sed ſunt

Mittite. Forsan et haec olim meminisse iuuabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes vbi fata quietas
Ostendunt. Illic fas regna resurgere Troiae.
Durate, et vosmet rebus seruate secundis.
Talia voce refert; curisque ingentibus aeger
Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.

205 *sedes ibi* codd. ap. Pier. *quietis* sc. nobis, vetus MS. ap. eundem. 207 *durare* et *seruare* vnus Heins. 209 *alto corde* Rottend. pr. alter Hamb. Puget. Leid. vn. etiam aliquot codd. Pierii, nec hoc indocte. Exulat h. l. *et* ante *premit*; quod saepe fit — Similem versum videbimus IV, 477. *Consilium vultu tegit ac spem fronte serenat.*

haec a poeta aliena, qui simpliciter littus Siciliae memorat.

203 — 207. *Forsan et haec olim meminisse iuuabit:* nobilem sententiam illustrant Cerda et alii. Sed pertinet huc Euripideum, quod Macrob. VII Sat. 2 laudat, Ὡς ἡδύ τοι, σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, latine conversum a Cic. de Fin. II, 32; et ante Euripidem Homeri locus Odyss. ο, 397 — 400. Ingeniosa imitatione haec sequutus est Statius I Theb. 472 *Forsan et has venturus amor praemiserit iras, Vt meminisse iuuet.* 204. Per hos ipsos casus, per haec *discrimina rerum:* pleonasmus poetis frequentatus. Possunt tamen *res* pro rebus adversis, periculis, accipi, vt v. 178. *sedes vbi fata q. Ostendunt* h. e. oracula et auguria praedicunt, promittunt. *Ostendere* egregie inprimis poetae, hac in re. Iidem *fas* esse dicunt ea, quae fatis volentibus et oraculorum monitu fiunt. De ipsa re cf. sup. Disqu. II f. VI. et Excurs. XV ad lib. II. *Durare* pro durare se, animum suum, poetae primum, mox alii scriptores, vt Tacitus. Τλῆτε, φίλοι. Il. β, 299. cf. Cerda.

208. 209. *Magnanimum* Aeneam vides. *Premit,* occultat, vt saepe. *altum* proprie, alto corde, h. e. intimo, sed docte poeta epithe-

Illi se praedae adcingunt dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis, et viscera nudant;
Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt;
Litore aena locant alii, flammasque ministrant;
Tum victu reuocant vires; fusique per herbam
Inplentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.

210 *Illic* Goth. sec. *Accingunt sese praedae* Puget. Distinctionem ita institui vult Burmannus: *praedae accingunt, dapibusque futuris Tergora deripiunt c.* 211 *Deripiunt* Heins. ex ratione grammatica, quam tamen vnus Rottend. tuetur. Sic iam emendarant Turnebus et Gifan. v. Cerd. 212 *verubus* al. v. Pier. et inf. ad V, 103. 213 *Littoreque aena* Montalb. *flammisque* Hugen. quod dictum esset, vt *velis ministrare* Aen. VI, 302 et alia. Burm. 214 *renouant* Voss. *r. animos* Sprot. ex 202 repetitum. *per herbas* vnus Heins. 215 in sec. Moret. τῷ *ferinae* subiungitur *munere* cum glossa: *hemistichium;* vt sit vnus ex versibus, quos imperfectos Maro reliquit. Sed amat casus secundos Maro. Et laudatur hic ipse versus a Grammaticis eam in rem. v. Heins. *farinae* Rottend. pr. et duo in Exc. Cort.

ton transfert ad *dolorem*, qui eo ipso fit intimus et altus dolor.

210 — 215. Sequentia censenda sunt ex ornatu rerum exilium. cf. Iliad. α, 459 sqq. vbi ἔδειραν· hic ornatius: *Tergora deripiunt* (alii: mox *pars*) *costis* (artubus) *et viscera nudant*. Recte Seru. *viscera*, quicquid sub corio est, h. e. carnes. 212. Totus ex: Μηρία τ' ἄρα τ' ἄλλα, κατὰ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν ibid. 465. *trementia*, adhuc palpitantia, vt et Seru. Non equidem suauem in hoc epitheto imaginem sensui obiici dixerim. 213. *Aena locant*. quorsum? certe non ad elixandas carnes, quibus heroica tempora plane non vtebantur, vt notum est. Et ne forte poetam ab antiquo more recessisse videri putes, quorsum laudare possis Valer. Fl. VIII, 254. aut Ouid. Met. I, 228. *torreri carnes* in antec. versu significatur. Igitur his ahenis aquam calefaciunt, cf. Aen. VI, 218. 219, vt se lauent ante epulas, ex more. vt quoque Seru. Quaerere velle, vnde tot lebetes habuerint, qui

Poſtquam exemta fames epulis, menſaeque remotae:
Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt;
Spemque metumque inter dubii, ſeu viuere credant,
Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos.

216 *excepta f.* Zulich. a m. pr. *exſtincta* Hamb. pr. *epulis exemta f.* Oudarti. 218 *credunt* Mentel. Poſt *inter* diſtinguunt nonnulli Codd. et edd. vt ſit: *dubii ſeu v. credant.* Burm. 219 *ſeu extrema* duo ap. Burm. *ſeu iam e.* Puget.

tanto hominum numero ſufficerent, putidum eſſet in poeta. — *Flammas miniſtrant,* ornate, vt omnia in h. l., pro, *ſubiiciunt aenis ignem.* 215. Satiant ſe et carne ferina et vino. Iam excute ornamenta verborum.

216. Hoc eſt Homericum: Αὐτὰρ, ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἔντο. cf. inf. VIII, 184. *menſae remotae* noto vetere more, quo menſa cum epulis conuiuae apponebatur et auferebatur. At h. l. ſuſi per herbam epulantur? Itaque improprie dictum. 217. *Longo ſermone,* non tam qualis poſt coenam eſſe ſolet, quam potius multis cum querelis. *Amiſſa ſociorum parte dolentes Multaque conqueſti,* Ouid. Met. XIV, 242. — *requirunt ſocios;* declarat voc. *requirere* deſiderium amiſſorum ſociorum. (v. Burm. ad h. l.) lamentantur eos ſibi ereptos, Μνησάμενοι δὴ ἔπειτα, φίλας ἑτάρους ἐκλαιον ἑταίρους, Odyſſ. μ, 309. Vulgari oratione dicere: multa de ſociis amiſſis inter ſe conqueruntur. 219. H. e. ſiue iam eſſe mortuos. *Extrema pati* proprie dicuntur, qui crudeli ſupplicio affecti animam efflant, h. l. ſimpliciter, qui moriuntur morte violenta, fluctibus ſubmerſi, *nec iam exaudire vocatos,* h. e. eſſe mortuos, quos inuocari ab amicis et conclamari notus mos erat, inf. III, 67. VI, 505. cf. Odyſſ. ι, 65. Ad proſaicam ſane ſubtilitatem debuiſſet antecedere: num extrema eos *paſſos eſſe* credant, et iam conclamatos? Sed in poeta illa non requiritur.

Praecipue pius Aeneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat: quum Iuppiter aethere summo

220 *Orontis* plures Codd. et edd. etiam ap. Pier. Scilicet est Orontes, Ὀρόντης, Oronteus, Orontei et Oronti. v. sup. ad v. 30. *Oronti* etiam fragm. Vatic. 221 *Amici* alii. *Tunc Anthei* Hamb. pr. *casus* Leid. et Sprot. Illud *secum* non debet offendere. nam *gemit secum* A. c. 222 *Lycus*. idem memoratur lib. IX, 556. *Giam* multi, etiam nostri, vel *Gian*. *Cloantum* castigatiores, notante Heinsio, vt Goth. pr. *Choantum* Leid. Nomina promiscue posuit, vt poeta. Amycus, Ἄμυκος, ad exemplum regis Bebrycum, de quo Apollon. II. pr. et inf. V, 373. diuersus est ab illis qui inf. X, 704. IX, 772. XII, 509. eodem nomine occurrunt. *Lycus* inter Troianos iterum IX, 545 s. *Gyas* et *Cloanthus* in ludis in Sicilia editis lib. V, 118 sqq. Diuersi sunt Gyas inter Etruscos X, 318, et forte alius XII, 460. 223 Noli in vulgarius incidere, vt emendes: *Et iam finierat*. — Se-

223. *Et iam finis erat* sc. longi sermonis, h. e. querelarum, aut omnino, coenae factae. Pompon. Sabinus *finem diei* interpretatur. nam mox dormitum concedunt, v. inf. 305. Quin omnino sic accipe: *Postquam haec finita erant, s. his factis, Iuppiter prospexit etc.* Fateor, nexum vel transitum mihi non videri esse felicissimi inventi. cf. inf. Exc. I. ad lib. IX. Cogitandum tamen de Ioue stante et Troianorum fortunam in Africa mente voluente, et rationem, qua succurri possit, circumspiciente. Hoc habitu Iouem si semel ante oculos tibi consti-

tueris, bene se habent reliqua, et totus, qui sequitur, locus, e praestantioribus est habendus, cum poeta hoc ipso et miraculum addat hospitio Aeneae apud Didonem, et, quod multo maius, Romanorum animos in carminis statim aditu ad Aeneam et totam adeo carminis fabulam aduertat. Lineas primas huius artificii videas in Odyss. ε, 5 sqq., vbi Minerua apud Iovem (vt iam Odyss. α pr. fecerat) de intercepto Vlyssis reditu conqueritur, mittitur etiam tum Mercurius. Venerem Ioui supplicem nota gemma, sed a recentiore, suspicor, manu, expressam

Despiciens mare veliuolum, terrasque iacentis,
Litoraque, et latos populos, sic vertice coeli
Constitit, et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum talis iactantem pectore curas

quitur *Iuppiter*: in his ac similibus nouare aliquid nolui: Si mei arbitrii res esset, scriberem *Iupiter*, ex antiquiore ac veriore ratione, quam in Virgilio redhibitam esse volumus: vt statim 225 *litora*. Scilicet antiqui litteras in his geminabant pronuntiatione, non scriptura; recentiores etiam scriptura: recte et hoc: sed tum tenendum est alterutrum constanter et in omnibus, quibus eadem ratio subest. 224 *Respiciens* Bigot. *dispiciens* duo, et *prospiciens* duo alii ap. Burm. sed *despiciens* etiam Macrob. VI Sat. 4. *terrasque latentes* Hamb. 226 *terris* Puget. 227 Miror neminem in *tales* haesisse, et *tacitas curas* coniectasse. Sed cf. not.

ad Virgilii plane ductum videre licet (cum alibi tum in *Suite des Pierres gravées par Mme le Hay n. XV.*)

In verss. 223 — 227 plura Homeri loca ante oculos habuit: inprimis Iliad. *ν*, pr. et *Ξ*, 51. 52. *mare veliuolum* exquisite, in quo vela volant, cum proprie naues sint *veliuolae*. *terras iacentes* praeclare, respectu quidem Iouis ex alto prospicientis, porrectae sub ipso et late patentes; quamquam *terrae iacentes*, *gentes iacentes*, et alibi ap. poetas occurrunt simpliciter *positae*: similiter *lati populi* sunt dicti. *sic*, αὕτως, non semper est temere vel frustra, sed, sic, vti res se habet, quo statu illa est: *sicut erat*, Romanorum poetarum, cf. Iliad. *ε*, 255; et habet fere μιμητικὸν aliquid, vt Iliad. *γ*, 220 Φαίης μεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι ἀφροσύνῃ δ' αὖτως. cf. Iliad. *ζ*, 400. *η*, 100. *κ*, 50. *λ*, 388. et al. Non temere Iouem oculos in Africae littora et Aeneae naufragium intentos habuisse, arguunt illa: *defixit lumina — tales iactantem pectore curas*. Igitur accipiendum: *sic*, vt erat, *despiciens constitit*, pro simplici, prospexit terras. Ornate, *constitit*, quod homines facere solent, qui oculos animumque in aliquam rem intendunt, (stantem autem contra morem, non sedentem Iouem hic cogitare necesse est) et *defixit oculos regnis Libyae*, in littore Africae, ad quod Aeneas naues

Triſtior, et lacrimis oculos ſuffuſa nitentis,
Adloquitur Venus: O qui res hominumque deumque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te conmittere tantum,

228 *atque oculos lacrymis ſ.* Priſcianus et Alcuinus ap. Heinſ. *offuſa* Seruius citat inſ. ad 482. 229 *Adloquitur* ſcripſit Heinſ. cum Medic. aliis et numiſmatis antiquis, in quibus *Adlocutio. deorumque* malint Heinſ. et Bentl. ad Horat. I Od. 12, 14. 231 *Quod* Diomedes.

ſubduxerat. Notabili autem orationis breuitate Iouem cogitabundum ſtetiſſe declarat poeta, et *curas*, cogitationes et conſilia, de parando Troianis apud Poenos hoſpitio, (inf. 297.) agitaſſe. Itaque reſpectu τῆ *ſic* ſubiicit, *tales curas iactantem*, h. e. cum hunc in modum oculis animoque in Aeneae fatis eſſet defixus. 228. Obſerua artem poetae. Vt miſerationem faciat Venus, *triſtis, flens* et *pulchra* inducitur.

229. Macrob. VI Sat. 2 *In principio Aeneidos tempeſtas deſcribitur, et Venus apud Iouem queritur de periculis filii, et Iupiter eam de futurorum proſperitate ſolatur. Hic locus totus a Naeuio ſumtus eſt ex primo libro belli Punici. illic enim aeque Venus Troianis tempeſtate laborantibus cum Ioue queritur: et ſequuntur verba Iouis filiam conſolantis ſpe futurorum.* Comparari poteſt etiam Mineruae et Iouis ſuper Vlyſſe altercatio Od. α, 44 ſqq. et multo magis Thetidis alloquium Iouis Iliad. α, 497 ſqq.

230. *Et fulmine terres*, poſſit otioſum videri poſt illa: *qui res — imperiis;* ſed *fulmen* inſigne ſummi imperii; grauius autem *fulmine terres*, quam *fulmen geris, iacis.* 231. Manifeſta adumbratio verſuum ex Iliad. δ, 31 Διμονίη, Iupiter ait ad Iunonem, τί νύ σε Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες Τόσσα κακὰ ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις etc. ipſa autem orationis forma ex Odyſſ. α, 44 ſqq. expreſſa, vbi Minerva apud Iouem de Vlyſſis aerumnis conqueritur, et vbi v. 62 τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο, Ζεῦ. tum Iupiter ſimili modo atque hic reſpondet.

Quid Troes potuere? quibus, tot funera paſſis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, voluentibus annis,
Hinc fore ductores, reuocato a ſanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus. Quae te, Genitor, ſententia vertit?

233 *Cluditur* poſt alios Gudianus. 234 *hinc* abeſt a ſec. Moret. *Certe hic* Ven. *Certe in Romanis* Zulichem. a m. pr. 235 *a* omiſſum in Gud. Moret. pr. et multis aliis, etiam ap. Pierium; et in fragm. Vatic. a pr. m. vt fere et alibi cf. Burm. Equidem abeſſe malim. 236 *dicione* omnes vetuſtiores Heinſ. *terras omnis* fragm. Vatic. a Campiglia expreſſum, cuius lectionis etiam Seruius meminit. Nec diffiteor hanc lectionem multo magis epicae dignitati conuenire videri, quam ſubtilem omnium generum poteſtatis comprehenſionem. 237 vide an lenior fluat oratio, ſi

232. *Quibus tot f.* agnoſce poeticam orationem, pro, quid potuere committere, vt iis — clauderetur? *tot funera* h. e. tot clades et calamitates. *ob Italiam*, propter Italiae aditum, ne ad Italiam accedant, in toto terrarum orbe nullus conſidendi locus iis relinquitur. nam ſeptem iam annos omnibus terris et maribus errauerant, vt Aen. I, extr.

234—236. *Hinc*, ab his Troianis, *hinc, a ſanguine Teucri reuocato*, a ſtirpe Teucri inſtaurata per nouam progeniem, (cf. ſup. I, 19 ſqq.) *fore*, orituros eſſe, *Romanos — ductores*, populum regnatorem, *qui m. qui t. — tenerent*. Si quidem ſup. v. 21 *populum late regem* ſimili modo dixit. Alioqui *ductores Romanos* intelliges Caeſarem et Octauianum. *Volventibus annis* ſc. ſe, nota poetica ratio, quoniam annus in orbem redit: περιπλυμένων ἐνιαυτῶν. *omni ditione*, Seru. omni poteſtate, pace, legibus, bello. Praeſtat dicere: *omni*, hoc eſt, ſumma poteſtate. Eſt enim poetis ſolennis ille vſus; interdum et aliis ſcriptoribus: *omni ope annixus*, ſumma. Aen. X, 53 *magna ditione — Carthago premat Auſoniam*. Sed v. Var. Lect.

237. *Quae te ſententia vertit* exquiſite, quod no-

Hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, Rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achiuis,

distinxeris: *Certe hinc — pollicitus, quae te, genitor, sententia vertit?* h. cum sis pollicitus. Durum enim illud *pollicitus* sine *es* vel *eras*, in fine sententiae absolutae. 238 *casum* quatuor Burmanni. *casus* Bigot. 241 *rex summe* Hamb. sec. in Exc. Cortii. 242 *delapsus* alter Hamb. et Franc. Versus 242—9. recitat Auctor de progenie Aug. c. 10.

vum consilium vertit te, mutauit animum tuum? Vulgari ratione *vertitur* sententia, animus, consilium. Mox 238 *occasum Troiae solabar* etiam exquisite, vt fere semper poetae. Vt semel dicam: proprie *solamur animum*, solamur nos, h. e. fractos nos erigimus, recreamus: tum solamur dolorem, curam, luctum; sic *cantu longum solata laborem* Ge. I, 293: tandem earum rerum caussas, mala et casus *solari* dicimur, h. e. solando aut tollimus aut minuimus seu mala, seu sensum malorum. Sic h. l. *excidium Troiae* solatur Venus, dolorem inde animo conceptum levat. 239. *Fatis contraria fata rependens.* etiam hoc docte; *rependens:* compensans, *fata contraria*, Troianorum calamitates, *fatis* sc. melioribus, nouo Italiae regno, h. e. sperans, fortunam Troianorum futuram esse tanto laetiorem. Plane aliter *contraria fata* dicuntur Aen. IX, 136. 241. Quem *das* finem, pro, facis, constituis? Poeticae orationi et hoc propius: δοῦναι, dare, pro facere.

242 — 249. Antenor, et ipse Troia profugus, nouas sedes nactus est condito Patauio: cur Aeneas simili fortuna non potitur? Locus est valde ornatus. v. Excurs. ad h. l. vbi de toto loco iudicium fertur. Liuius I, 1 — *casibus deinde variis Antenora — venisse in intimum maris Adriatici sinum;* hic sinus poetae doctius *Illyrici sinus*, namque maiori Adriatici sinus parti Illyricum prae-

Illyricos penetrare ſinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem ſuperare Timaui;
Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arua ſonanti;
Hic tamen ille vrbem Patauï ſedesque locauit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa; nunc placida conpoſtus pace quieſcit.

245 *magno* Parrhaſ. ex v. 55. *cum vaſto* alter Hamb. 246 *proruptum* defendit Heinſius hic et alibi. cf. inprimis ad Silium III, 51. Eſt ſane exquiſita vox hoc ſenſu, pro *prorumpens*. multi *praeruptum*, cf. Cerda. etiam Fragm. Vatic. a pr. m. et ap. Senec. Qu. nat. III, c. 1. quod ſane defendi poſſet. cf. ſup. 105. *praereptum* Ed. Ven. *in mare proruptum* Moret. pr. et Franc. 247 *vrbes* Zulich. *ſedemque* Exc. Burm. 249 *Troïca* tres ap. Burm. *cum placida c. p. quieuit* Menag. alter.

tenditur; idem *intima regna Liburnorum*, nam verſus interiores receſſus habitarunt Liburni, Illyrici populus, tum Iſtri, hinc Veneti et Euganei, in quorum ſedes Veneti ſucceſſerant. Spectat autem ad dignitatem orationis poeticae, vt declarentur regiones non vulgari, ſed exquiſitiore nomine, v. c. a finibus ac finitimis populis petito: quod ſi teneas, poetam male a Seruio accuſatum dices, quod Antenorem Illyricum et Liburniam tenuiſſe ille dixerit, nec minus male poſt Corradum a Burmanno defenſum ex vſu voc. *penetraſſe*, quod h. l. ſit, transiiſſe. Immo vero a poeta finibus latius conſtitutis Venetorum ora his ipſis vſſ. 243. 4 doctius declaratur, quam nudo nomine geographico. Quod vero *tutus*, ſeu incolumis, ad Venetos peruenit, hoc ſimpliciter ad errorum discrimina referam. Potuere tamen et alia eſſe Antenoris fata, quae nunc ignorantur. Ita colligo ex Sex. Aurel. Victor. de orig. G. Rom. c. 1 *Quare autem addiderit* tutus, *ſuo loco planiſſime annotauimus in commentatione, quam conſcribere coepimus, recognitam ex eo libro, qui inſcriptus eſt de Origine Patauina.* (Sic enim

locum illum forte constituas). Tandem etiam, poetarum more, qui a finitimis locis clarioribus aut notabilioribus multa designant, (scilicet vt ornatum inde et nouarum rerum notionibus suauitatem versibus suis quaerant,) *Timauum*, quamquam paullo remotiorem fluuium, sed notiorem et veterum forte poetarum vsu frequentatum, ad situm eundem declarandum commemorat. *Fontem Timaui superauit* Antenor, quatenus classe littora legens (neque enim aliter, nisi cursu propius ad Illyricum littus seruato, mare Adriaticum tuto nauigari potest: cf. Liu. X, 2) praeteruectus erat sinum Tergestinum, in quem Timauus immittitur. Non longe a mari in Carnorum finibus ille inter rupium cauernas compluribus ingentibusque aquarum fontibus erumpit, qui paullo post in vnum alueum delati flumen faciunt, quod, vbi vix M. passus emensum est, lato ostio in mare exit. Fontes olim habiti sunt *nouem;* ex iis prorumpit aqua magno cum fragore: *vasto cum murmure montis;* statimque in vnum flumen collecta maris speciem refert late agros inundantis: *It mare proruptum et pelago premit arua sonanti.* Latius haec illustrata v. in Excursu ad h. v. *Hic tamen*, noli haerere ad fontem Timaui; sed latius, in oris his littoris Adriatici, et quidem, cum ad intimos sinus recessus penetrasset, inter Euganeos, qui tum haec loca tenebant, Patauium ille condidit, et *genti nomen dedit;* at quale? dicunt *Antenoridarum:* apud poetas vtique; non vero vulgare nomen. sed *Venetorum* nomen, quod vulgo veteres ab *Henetis* Paphlagoniae, quos Antenori viae socios fuisse aiebant, ductum esse volunt. *armaque fixit Troia*, pace sc. et tranquillo otio parto; quod suaui rerum imagine reddidit, petita illa ab iis, qui militia missi arma suspenderent et figerent. cf. Pompon. Sab. ad h. l. *Nunc placida compostius pace quieuit:* quo sensu haec dicta sint, dubitare licet; aut enim de morte aut de otio et tranquillitate, qua Antenor reliquam vitam exegit, accipi potest; in vtroque tamen duri aliquid inest. Sane *componi* absolute mortui dicuntur, et iidem *quiescere*. inf. IX, 445

Nos, tua progenies, coeli quibus adnuis arcem, 250
Nauibus (infandum) amissis, vnius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?

251 *Infande* duo Burm. (et sic apud Seruium legendum: *infandum* pro *infande* posuit.) *amissis infandum* Doruill. 252 Dubitat Burmannus, an *aque* sit scribendum. Verum etsi non scribitur, subintelligendum tamen: *atque* ab *Italis oris disiungimur*, interiacente mari et aliis terris. *aruis* Leid. vnus et Hamb. pr. pro var. lect. 253 *in regna* pro var. lect. Hamb. sec. et Oudart.

placidaque ibi demum morte quieuit. VI, 321 *Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam.* Veneris tamen consilio, dum Aeneae calamitatibus Antenoris fortunam secundam comparare vult, parum conueniret, Antenoris *mortem placidam* laudare; At si de quietis sedibus, rebus placatis, vita tranquilla agitur, tum fere *res compositae* memorantur, non *ipsi homines;* aut si hoc fit, tum adiectum aliquid videas: *ad pacem, ad modestiam* etc. Atque ita etiam in iis ipsis locis fit, quae h. l. a Burmanno laudantur. Dicendum itaque, aut poetam h. l. *compositum* nouo exemplo adhibuisse, vt et voc. *quiescere*, pro, vitam quiete exigere; quiescit *rebus compositis*, adeoque et ipse *compositus;* aut manendum in priore significatu: vt a Venere interpositum hoc sit, tranquillitatem Antenori ad extremam vsque vitam contigisse. Ita *pace* pro morte.

250 — 253. Argumentatur Venus ab exemplo simili. Magno autem cum artificio se ipsam facit vnam ex Troianis, qui iniuriam tulerint: *Nos, tua progenies, quibus annuis arcem coeli*, h. e. coelum, promittis Aeneam post mortem inter deos iri relatum. cf. mox v. 259. Callide et inuidiose etiam illa: *vnius* ob iram sc. Iunonis, et *nauibus a.* pro nauium parte et *prodimur*, per fraudes perdimur, per insidias Iunonis calamitatibus vexamur. 253. *Pietatis*, qua Aeneas insignis. At ipsa suam personam interponens: haec pietatis et amoris erga te praemia? *in sceptra*, in promis-

Olli ſubridens hominum ſator atque deorum
Voltu, quo coelum tempeſtatesque ſerenat, 255
Oſcula libauit natae; dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea; manent inmota tuorum

255. *tempeſtatemque* Bigot. *therea.* Mirum ex τὰ Κύθηρα, Κυθήρεια, factum eſſe Κυθέρεια, etiam Ennius, vtut oratio horrida ſit, multo viuidius rem expreſſit: *Ridet Iupiter; et tempeſtates arridet.* Apud Gudium Inſcr. p. V, n. 3 *Ioui Opt. Max. Serenatori* legitur. *Oſcula libare* poteſt ſane cum Salmaſio poſt Seruium accipi, os alterius leuiter labiis ſuis perſtringere; ſed ſi *libare*, delibare, ſummo ore carpere, pro *oſculum*, baſium, *ſumere, eripere*, accipias, poeticae dictionis genio et carminis dignitati conſules. *libare*, (vt XII, 434 *Summa per galeam delibans oſcula*) *oſcula*, libando, leuiter attingendo, ſumere; vt in illis, *amnem, fluuium, libare. Natae* cum energia adiectum, licet iam *olli* anteceſſiſſet; vt reuocaretur in animum perſona eius, de quo agitur. Ita ſemper fere Homerus: τῷ δ'—Ἕκτορι et al. Non videbat hoc Seruius.

257—260. *Parce metui*, parce metuere, noli—φείδεο

256 *dein* tert. Goth. 257 *Cy-*

ſum Italiae regnum, cum Troiano exciderat, *reponis*, pro vulgari, reſtituis.

254—296. Sequitur nobiliſſimus locus, in quo ſub vaticinii ſpecie, arte non improbabili, explicantur Romae origines, incrementa ſplendorque imperii Auguſti.

254—256. Aliter haec Virgilius adſtruxit, quam Homerus ſua, cum Thetidi annueret Iupiter Iliad. α, 517 ſqq. in quibus Iouis maieſtas auguſtior. At hic placidi, μειλιχίῃ, Iouis ſuauis imago. Oſculum Veneris ori impreſſum ex Iliad. ε, 372 poetae in mentem veniſſe videtur, vbi Dione mater Venerem amplectitur. In ſingulis tamen obſerua decorem. Vs. 254 ſecundum Ennium: *Olli reſpondet rex Albai longai* et alia. *ſubridens*, μειδιόων. In v. 255 Ennium ante oculos fuiſſe notat Seruius: *Iupiter hic riſit; tempeſtatesque ſerenae Riſerunt omnes riſu Iouis omnipotentis.* Sed

Fata tibi; cernes vrbem et promissa Lauini
Moenia, sublimemque feres ad sidera coeli
Magnanimum Aenean; neque me sententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et voluens fatorum arcana mouebo)

Κυθερήϊα. Itaque aliam originem vocis petunt grammatici ἀπὸ τοῦ κεύθειν τὸν ἔρον s. ἔρωτα apud Hesych. et Etymolog. In vtroque Hesiodi versus est, qui laudatur Theog. 198., non Homeri. 258 *et* in al. deest, monente G. Fabricio, conterraneo nostro, quem sequutus est Cuningamus. *Lauini* scripsi v. ad vs. 2. 260 *vertet* Rottend. sec. Moret. sec. 261 Antiquae edd. iungunt fere: *Hic tibi.* Ex Graeu. notat Burm. *Hinc (Tibi f. enim) q.* Duo *hinc. quando te haec* Menag. alt. 262 *euoluens* Hamb. pr. Paris. a pr. m. τὲ δεδοικέναι. *Cernes vrbem;* sentis quam ἐνεργῶς sit expressum. Mox *manent* pro exili *sunt.* 259. Propter v. 250 *coeli quibus annuis arcem.* Bene addidit *feres,* vt gratius esset, quod per ipsam fieret, monente Seruio. Recipietur vtique olim Aeneas inter deos Aen. XII, 794 *Indigetem Aeneam scis ipsa, et scire fateris, Deberi coelo fatisque ad sidera tolli.* Vtrumque ex Ennio I Annal. *Vnus erit, quem tu tolles ad caerula coeli Templa;* qui versus non ex Veneris, vt Columna putat ad e. l. p. 34, sed ex Martis oratione seruatus est. Docent hoc sequiorum poetarum loca, qui Ennium ante oculos habuerunt, inprimis Ouidii Fast. II, 487, vbi Mars ad Iouem: *Redde patri natum* (Romulum) — *Vnus erit, quem tu tolles in caerula coeli,* (quae ipsa lectio ex Ennio tuenda) *Tu mihi dixisti. Sint rata dicta Iouis.* Adde Met. XIV, 813 sqq. 260. *Neque me sententia vertit.* ad v. 237 *quae te g. sententia vertit?* Caeterum *magnanimus,* vt semel moneamus, male de generosa animi indole accipiunt; est *fortis, animosus,* ex μεγάθυμος, μεγαλήτωρ, μέγα Φρονέων, quae omnia ad bellicam virtutem referenda.

262 — 266. Quandoqui-

Bellum ingens geret Italia, populosque ferocis
Contundet; moresque viris et moenia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo

Doruill. Ed. Ven. vti Waddel. Animadu. Crit. p. 10. emendarat; et sane de temporum historiis commode *τὸ euolui*. Sed non bene copula desideretur; et epicae orationi accommodatissimum: *mouebo voluens longius*, pro petam, repetam. Hoc fere Ge. II, 295 Aesculus — *immota manet multosque nepotes, Multa virum* voluens *durando saecula* vincit, et sic alibi *voluens* simili sensu: *Tum genitor veterum* voluens *monumenta virorum — ait* Aen. IV, 102. *ac voluens* Parrh. Sed *et v.* etiam fragm. Vatic. *monebo* ed. Dan. et quae eam sequuntur. *docebo* Puget. et vn. Guelf. in Exc. Cort. 264 *mortesque* Zulich. *moenia condet* Oudart. et Hamb. pr. pro var. lect. a glossatoris manu. 266 *transierant* qu. Moret. *cum* alter Hamb. 267 *Iulus* Exc. Burm. sed *Iulo* defendit etiam Rusn.

dem haec cura te mordet, cruciat, rem tibi exponam et *longius voluens fatorum arcana mouebo*, h. e. fata altius repetam. Vsum τῦ *mouere* exemplis bene declaravit Bentlei. ad Horat. III, Carm. 7, 20. Ratio in eo inest, quod quae ἐκφέρομεν, proferimus, promimus, manifesta facimus, declaramus, proprie *mouere* dici possumus. *longius voluens*, euolvens, repetens. Praeclare autem poeta *e Iouis persona* fata Aeneae et posterorum potiora recenset. Ad totum locum cf. Exc. III ad lib. XII, 189. 263. *Italia*, in Italia, more Graecorum adoptato a Virgilio et hinc ab aliis. *populos*, viros, *feroces contundet*. vides praelia cum Rutulis et Etruscis per victoriam declarari. 264. *Moresque viris et moenia ponet*, vrbem condet Lauinium et nouum imperium fundabit legibus, (leges ponet, νομοθετήσει,) per illud triennium, quo regnum tenebit. Haec ornat: 265. *Tertia dum* h. e. *donec. terna hiberna*, pro hibernorum temporibus h. e. per tres hiemes, tres annos. 266. *Rutulis subactis*, Turno victo ac caeso.

267. Inter Troianos, dum Troianum regnum fuit incolume, Ilus dicebatur. *regno*,

Additur, (Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno)
Triginta magnos voluendis menſibus orbis
Imperio explebit, regnumque ab ſede Lauinî
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos

de Schem. Lex. p. 33. ap. Burm. *quoi* fragm. Vatic. 268 Verſus ſuſpectus. aut totus inſertus, aut ſuppletus poſt *additur*. v. Excurſ. ad h. v. Erat tamen verſus in codd. iam tempore Auctoris de progenie Auguſti, qui vſ. 267. 268 recitat. 269 *annos* Longob. Pierii, ſollenni lapſu. 270 *ab ſ.* Heinſ. e Medic. et al. adde Rom. antea: *a ſ.* Sprot. et Parrhaſ. *a ſede Latini*. Caeterum ſi *Lauinium* vnice verum eſt, cf. ſup. ad v. 2, ſcribendum hic et v. 258 *Lauinî*. 271 *magna vi* Zulich. vt et alibi. v. Burm. *vi multa* Oudart. et ſic alii ap. Pier. *muniet vrbem* ſec. Hamb. 272 *ter centos* Montalb. et Ven. *trescentum* fragm. Moret. *Hinc* Seru. et

ſub regibus; at nunc euerſa Troia, Iulus dici coepit. Sed v. Excurſ. ad h. v.

269—271. Trigeſimo regni anno Aſcanius Albam Longam condidiſſe, ſedemque regni a Lauinio in nouam vrbem transtuliſſe traditur. Quod ſi is verborum ſenſus eſſe debet, antique locutus eſt poeta pro: Aſcanius XXX annos imperio explebit, *cum* regnum transferet. Si tamen ad communem rationem grammaticam verba accipias, nihil definit poeta, ſed Aſcanium XXX annos eſſe regnaturum, et in hoc regni tempore vrbem nouam conditurum ait. Prius tamen illud cum poetae rationibus conuenit: cf. inf. VIII, 42, 47, 48. *orbes*, annos, *magnos*, longos, vt alibi, epitheto ex natura anni depromto, quatenus plurium menſium ſpatia in ſe comprehendit. Argutatur Macrob. in Somn. Scip. II, 11 et Seru. cum aliis interpretibus in h. v. In Ecl. IV, 12 *magni menſes* vim habere poſſunt ex reliqua oratione. *voluendis menſibus*, qui voluuntur, voluunt ſe. *muniet* exquiſitius quam *exſtruet*. *multa vi*, magnis opibus, magno hominum rerumque apparatu; at Burm. contendit eſſe, magno impetu, animi ardore, ſtudio.

272. 273. Per CCC annos reges e Troiana ſtirpe Albae

Gente ſub Hectorea; donec regina ſacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fuluo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem, et Mauortia condet
Moenia, Romanosque ſuo de nomine dicet.

MS. Bersmanni, quos ſequitur Cuningamus; et ſic aliquot Heinſiani; *hoc* duo. Cum *regnabitur* abſolute dictum ſit, tum autem ex more dicendum eſſet, *genti Hectoreae* h. e. ab *g. H.* Burmannus. Vir latiniſſime doctus, emendat: *Haec* ſc. Alba regnabitur. Neſcio tamen, annon vulgata ad eundem loquendi modum accedat: *regnatur* eſt regnum tenetur, habetur, *ſub gente H.* vt Homeri ὑπὸ, cum notatione obſequii aut imperii, quod patitur quis. Il. ζ, 159. Ζεὺς γάρ οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ ἐδάμασσεν Argiuos. *Haec* tamen expeditior eſt lectio. 274 *Partu geminam* ſec. Hamb. 275 *tectus* Vratisl. 276 *accipiet* Hamb. pr. cum vno Guelpherb. in Exc. Cort. nec hoc male. 277 *ducit* alter Hamb.

Longae eſſe regnaturos ait ad Romulum vsque. De rationibus hiſtoricis olim in Excurſu III ad lib. XII, 189 disputabitur. *Gens Hectorea* eſt Troiana ſimpl. vt V, 190 *Hectorei ſocii*. ſic et alii: v. Burm. Ex Troiana ſaltem ſtirpe, ſi forte non omnes ex Aeneae proſapia, oriundi fuerunt reges, qui Albae Longae imperarunt, quamuis illa non modo Troianos ſed etiam Latinos Aborigines haberet incolas. *regnabitur ſub gente Hectorea*, regnum durabit ſub Troianae ſtirpis regibus. cf. Var. Lect. Aen. XII, 826 *Sit Latium; ſint Albani per ſaecula reges* etc.

274. *Ilia*, tamquam Troiana ſtirpe oriunda, poetis dicta, ab Ilio Troiae, Rhea Siluia, *ſacerdos*, Virgo Veſtalis, *regina*, h. e. regio ſanguine orta, vt βασίλισσα, *Marte grauis*, e Marte gravida, gemellos vno partu edet.

275—277. Romulus Romam condet. Quam ornate et ſplendide hoc poeta extulit! Vt *lupam nutricem* attingeret, Romulum, antiquorum heroum more, pro caſſide lupi exuuias, ſeu lupinam pellem, geſſiſſe narrat. *Et galea hirſuta comta lupina coma*, etiam Propert. IV, 10, 20 de Romulo. Hoc

His ego nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu coelumque fatigat,

278 *metam* Bigot. minus poetice. 280 *quae terrasque* quidam codd. ap. Burm. et Pier. sed sic melius *que* abesset.

igitur habitu occurrere debuere vetera Romuli signa. *laetus tegmine*, pro ornatus, aut, qui habet. *tegmen lupae* pro exuuiis lupae. v. Burm. Nec vero accipiendum, quasi lupae ipsius, a qua nutritus fuerat, pellem detractam sibi imposuerit; sed ornat epitheton *nutricis lupae:* quia ex eo genere fuit illa, a qua ipse nutritus esset; vt bene obseruat Meierotto V. C. *Romulus excipiet gentem*, proprie, *regnum gentis*, imperium gentis Hectoreae, s. Troianae; succedet in regno Albano Romulus. De voc. *excipere* de rebus, quas nanciscimur, aut nacti sumus, v. ad Ge. IV, 207. Sunt haec omnia, vaticiniorum et oraculorum more, per ambages ac pleniore ore expositа, quam in oratione Iouis ad filiam exspectari poterat. *Moenia Mauortia*, Roma a Martis filio condita; vt saepe al.

278. 279. *Rerum metas*, h. e. limites *imperii*. *sine fine*, aeterna vrbs, vt in numis et monumentis. A poetis haec innumeris in locis ornata et variata.

280. 1. 2. Ipsa Iuno aliquando studio Romanorum tenebitur. Fuit enim cum Ioue et Minerua Romanarum rerum praeses. *Quae m.* — *metu c. fatigat*. si *metu*, h. e. prae metu, Iuno fatigat omnia sc. precibus, hortatu, minis; habes auctoritatem v. 23 *Id metuens veterisque memor Saturnia belli* etc. Sic tamen tenue nescio quid infertur orationi. Sin *Iuno fatigat metu* h. e. terroribus, *mare, terras, coelum*, verearis forte, ne turgere videatur oratio. Sed dicta haec sunt ad vulgarem loquendi modum: terroribus omnes agitare et vexare. itaque, Iunonem omnia *versare, miscere*, vt Troianos perdat. Inf. XI, 400 *Proinde omnia*

Consilia in melius referet, mecumque fouebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,

281 *mecumque iuuabit* sec. Moret. sollennis varietas. cf. Burm. 282 *Progeniem rerum dominos* Bigot. Sed *Romanos* firmat Sueton. Aug. 40 et, qui et ipse versum repetit et ad Domitiani laudes transfert, lib. XIV, 124, Martialis. 283 *placitum est* Leidens. male cum aliis ap. Pier. v. Burm. ad Lucan. II, 5, et inf. ad Aen. II, 428.

magno Ne cessa turbare metu. et VII, 301 *Absumtae in Teucros vires caelique marisque. Fatigare,* vt *exercere,* de rebus, quibus vel abutaris vel frequenter, multum, nimium vtaris; vnde est turbare, affligere, vexare. cf. ad VIII, 93. 281. Iunonem animo mutato in meliorem partem, εἰς τὸ βέλτιον, iam consulentem (sic XI, 426 *Multa dies — Rettulit in melius,* tulit, mutavit) Romanisque placatam ex Horatio reminiscēris Carm. III, 3 *Gratum elocuta consiliantibus Iunone diuis* etc. 282. Augusto frequentatum hunc versum, ex Sueton. Octau. 40 notum. Versus dignitatem in prima parte facile percipias; at post *Romanos rerum dominos,* annon languet *gentemque togatam,* h. e. a vestimenti genere designatam? Quis enim nunc simile quid ferret in Gallis, Anglis, designandis? Scilicet Romanos *belli pacisque artibus claros* memorat poeta: *Romanos, rerum dominos,* h. e. orbis terrarum regnatores, an hoc fine armis? fine bellica virtute? Iam *gentemque togatam* intelligas spectare ad togae, h. e. pacis, artes ac virtutes. Et cogitandum, maiorem dignitatem in toga olim fuisse quam nunc in vllo vestimenti genere. *The enrob'd people* diceret non minus grauiter Britannus aliquis; vt belle monebat me Brandes. V. C. *Sic placitum,* ita ego constitui, decreui. De formula agit Burm. ad Aen. II, 428.

283—285. Splendide Romanorum bella cum Graecis, et Achaiam in prouinciam pop. Rom. redactam, designat. In simili acumine versatur Epigramma Adriani

Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris;
Iulius, a magno demissum nomen Iulo:

284 *Pythiam*, *Phythiam* male scribitur. 285 *Imperio* Parrhas. ex interpretatione. *et v.* duo. *cunctis* Hamb. pr. cum nonnullis Pierianis. 287 *Et famam* sec. Hamb. *fama* deleta lit. *m* Regius. *terminat* Oudart. et duo Leid. a m. pr. 288 *dimissum* ple-

Imp. seu verius Germanici, in Ilium nouum Anthol. Gr. lib. I, p. 98 Steph. Analect. Brunck. T. II p. 285. II. et latine, sed minus venuste, Anthol. Lat. lib. I, ep. 103. *Placitum est*, de iis, quae in fatis habentur. *lustris*, doctius quam, annis. *domus Assaraci*, Romani a Troianis oriundi, inter quos Assaracus, Trois filius, ex Aeneae fuit maioribus. v. Apollod. III, 12, 2 et Not. Conon. c. 12. Graecia praeclare per *Phthiam*, vtpote Achillis patriam, et *Mycenas*, Agamemnonis regiam, declarata; nec non per *Argos*, quos tum Diomedes tenebat; (Iliad. β, 559 sq.) erant tamen illi tantae tum dignitatis, vt apud Homerum tota Graecia per *Argos*, et totus exercitus *Argiuorum* nomine insigniretur. inf. VI, 839 *Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas.* Grauissima vocabula et ista: *Seruitio premet — dominabitur.*

286 seqq. Ad Augustum referas haud dubie verius quam ad Iulium Caesarem cum Seruio, Cerda et aliis ap. Burm. Nam nec terrarum imperium v. 287 facile Caesari tribuitur, neque *is spoliis Orientis onustus*, neque ab eo pax restituta v. 290. Contra de Augusto illa vbique obuia. v. inpr. Aen. VI, 793 sq. Et *is Caesar, Iulius* adoptionis iure, hinc *Troianus*, ab Ascanio Troiano genus ducens; itaque *Iulius, nomen demissum a magno Iulo*, h. e. nascetur Caesar, Iulius nomine, quod nomen ab Iulo in eum venit. *pulchra origine* simpl. clara. Nec ad Venerem respici posse puto, per

Hunc tu olim coelo, ſpoliis Orientis onuſtum,
Adcipies ſecura; vocabitur hic quoque votis.
Aſpera tum poſitis miteſcent ſaecula bellis.
Cana Fides, et Veſta, Remo cum fratre Quirinus,
Iura dabunt; dirae ferro et conpagibus artis

rique vitioſe. 289 alii olim *honeſtum*, ſec. Seru. natum ſcilicet ex *honnſtum*, vt ſcribebatur. 290 *Adſpicies* Fabricii MS. cum Goth. tert. et quatuor ap. Burm. qui *accipies* Schol. Cruqu. Horat. auctoritate et Ge. I, 23. *et te maximus orbis — Accipiat.* Sed eſt omnino grauius, et habet plus ἐνεργείας reſpectu Veneris. Sic v. 259 *ſublimemque feres.* 291 *miteſcunt* Hamb. alt. Caeterum Burm. coni. *Aſpera quum p. — Cana Fides — iura dabunt.* Sed hoc eſt, vaticinationis impetum et vim infringere. Sunt ſcilicet talia abruptis ſententiis efferenda. 293 *Et* deeſt Bigot. *arctis* al. vt male ſcribi ſolet.

ſermonis vſum. 289. *Hunc — ſpoliis Orientis onuſtum.* haec illa perpetua poetarum inprimisque Virgilii de Auguſti in Parthos expeditione vaticinatio. v. Vit. Virg. ad ann. 724. 725. 734. cf. ad Georg. II, 170. neque in vnum certum annum ea cogere neceſſe eſt; quin, adeo ante ſigna a Parthis reddita, poeticus ingenii feruor haec ita recte efferre potuit. 290. *ſecura*, nemine intercedente, Iunone placata. *vocabitur hic quoque votis*, praeclare honores diuinos habendos Auguſto oſtendit, vt Georg. I, 42.

291. Ad Ianum clauſum V. C. 725 et pacem per terrarum orbem reſtitutam recte refertur. cf. Virg. Vit. ad h. a. Nec tamen hinc probare aliquis ſuſcipiat, hoc ipſo anno primum Aeneidos librum eſſe ſcriptum. *ſaecula aſpera miteſcent*, tempus illud erit pacatum, finitis bellis. Tribuitur tempori, quod hominum eſt. Quae ſequuntur, v. 292 — 296 magnifice expreſſa ſunt: v. Excurſ. ad h. v. Ait fidem, religiones patrias, et ciuium concordiam, exſtinctis bellis et discordiis, rempublicam eſſe temperaturas. *Fides cana*, priſca, antiqua, qualis maiorum fuit. *Veſta*, patria eaque antiquiſſima religione Romanis culta. Cum his *Romulus* et *Re-*

Claudentur Belli portae; Furor impius intus,
Saeua sedens super arma, et centum vinctus aenis
Posi tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Haec ait: et Maia genitum demittit ab alto;
Vt terrae, vtque nouae pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aera magnum
Remigio alarum; ac Libyae citus adstitit oris.

295 *Sceua* Franc. et Parrh. 297 *Maiae* sec. Moret. et sic Rom. a m. pr. *demittit* ex melioribus reposuit Heins. Vulgo *dimittit*. *demisit* Ald. et Iunt. et sequitur *arceret*. Verum in poeta epico non locum habet ea obseruatio e Cicerone petita. *dimisit* pr. Goth. *demittit Olympo* Goth. sec. 298 *atque* al. et sic vulgo ante Heins. 300 *aethera* Leid. et al. *aera multum* ed. Ven. 301 *ac* deest pr. Moret.

mus iura dabunt, imperio Romano praeerunt, ita vt ad pristinam illam temporum sanctitatem et integritatem, quae ante parricidium Remi a Romulo commissum fuit, rediisse res videri debeat. *Bellum*, ὁ Πόλεμος, h. l. dei personam sustinet; idem mox *Furor*. *Belli portae* respiciunt Iani templum (cf. Aen. VII, 607), quod pace restituta clausum quasi pro carcere et custodia Belli haberi potest. Reliqua vss. 294, 5, 6 ad terrorem animorum composita sunt.

297—304. Obserua, quam succincta in seqq. narratio sit. Bene autem in hospitio Teucris parando ministerium deorum interponitur, ne res miraculo careat. 299. *Fati*, seu, quo Troianis Italia erat petenda; seu omnino numinis voluntate ac iussu, adeoque fato Troianos ad Libyae littus esse delatos; quod ignorans Dido, ne aduenae in his littoribus sedem figere vellent, vereri, eosque ab escensu in terram prohibere poterat; cf. 527 sqq. Mox 301. *remigio alarum* ornate. Alae auium cum nauium remis comparari solent. Lucret. VI, 743 et Graeci: πτεροῖς ἐρέσσει Eurip. Iphig. in T. 289. et

Et iam iussa facit; ponuntque ferocia Poeni
Corda, volente deo. In primis regina quietum
Adcipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Vt primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare nouos; quas vento adcesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne feraene,

302 *Omnia iussa* Oudart. *At iam i. gerit* Hamb. pr. 306 *alta* sec. Moret. *locosque Quaerere constituit, quos vento a.* — *Explorare* Menag. pr. Ex quibus illa possis tenere: *locosque Explorare nouos, quos vento accesserit; oras Qui teneant,* — *hominesne feraene.* Apud Rufin. de Schem. Lex. p. 253 corrupte: *Expl. locos, q.* 307 *accesserat* Leid. 308 *vident* Medic. a m. pr. *feraeue* male multi.

in Ione 162 ἐρέσσει νύκτος· primoque loco Aeschylus Agam. 52. 302. Ponunt feroces animos; mites et placidos animos accipiunt, ne aduenarum conspectu exterriti armis eos propulsent. *quietum animum*, ἔκηλον, l. εὔκηλον, pro placidum, propitium, εὐμενῆ. Ingeniose autem hoc ad *Mercurii* operam refertur, cum ille sit deus commerciorum, persuasionis et humanioris cultus. Vt Horat. *qui feros cultus hominum recentum Voce formasti.*

305—308. Paratur nunc Aeneae ad Carthaginem accessus; cui et ipsi mater Aeneae interuenit. *Per noctem plurima voluens.* ἐκ Ἀτρείδην — Ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ Φρεσὶν ὁρμαίνοντα Iliad. ν, 4. *lux alma*, grata, iucunda. Vt semel moneamus, *almus* conuenit fere cum nostro *wohlthätig*, quo poetae vtuntur. 307. Explorat loca noua, et explorat, ad quas oras accesserit, venti vi, seu tempestate, appulsus — *exacta*, quae explorasset, comperisset, *referre.* 308. Color ductus ex Odyss. ξ, 119 sqq., vbi Vlysses in Phaeacum insula expergiscitur; et multo magis ex Odyss. κ, 144 sqq., vbi Vlysses ad Aeaeam insulam appellit.

Quaerere conſtituit, ſociisque exacta referre.
Claſſem in conuexo nemorum, ſub rupe cauata,
Arboribus clauſam circum atque horrentibus vmbris
Occulit; Ipſe vno graditur comitatus Achate;
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Cui mater media ſeſe tulit obuia ſilua,

309 abeſt *que* a Longob. et al. Pierio non probante. 310 *conuexu* Zulich. Oudart. Leid. a m. ſec. et Exc. Burm. 311 iidem fere verſus inf. III, 229. 230. 312 *Achatae* Medic. ſed *Achate* firmat Heinſ. Priſciani auctoritate. *atque vno* Hamb. pr. et Puget. 313 *lati ferri* Hamb. pr. pro var. lect. quod ex Seruio eſſe deriuatum Burm. vidit. cf. IV, 131. 314 *ſeſe obtulit* nouem ap. Burm. quod recte reiicit. Sed ratio eſt, quod *ſeſe tulit* exquiſitius eſt; vt et illud: *obuia ſe tulit*, quam *tulit ſe obuiam*. Sic inf. 439. *Infert ſe ſaeptus nebula*. III, 598. *mox ſeſe ad littora praeceps — tulit*. Nec tamen ſemper hoc ſequitur poeta. Nam inf. 603 *talem ſe laeta ferebat*. non, *talis*.

310. Claſſem occultat ſub conuexa rupe nemoribus conſita 162 — 165. *horrentibus* vmbris; arboribus. v. ad X, 237 et ſup. prooem. 4. I, 165. 312. 313. *Criſpans*, exquiſitius quam vibrans, habens. Criſpantur, quae incuruantur, inflectuntur; Eſt τὸ πτύσσεσθαι de haſtis Il. ν, 134. Binas haſtas gerere, mos fere heroum cum apud poetas, cf. XII, 165, tum apud artifices. Res vana eſſet, exempla congerere. *Achates* Aeneae comes datus, vt ap. Homer. θεράποντες heroum et ἑταῖροι· Idomenei Meriones, Diomedis Sthenelus, Achillis Patroclus.

314. Antequam ſiluam littoris eſſet egreſſus, *ſeſe tulit*, ſe egit, inceſſit, facta *obuia* (cf. inf. 503) ei Venus, puellae venatricis vultu et amictu. Habuit, quem imitaretur, Homerum Odyſſ. η, 19 ſqq.: ν, 221 ſqq., vbi Minerua altero loco puellae, aqualem geſtanti, in altero paſtori aſſimulata Vlyſſi obvia et viae dux ſit. Sed non infeliciter rem variauit Virgilius.

Virginis os habitumque gerens, et virginis arma 315

315 *ferens* Sprot. et Hamb. pr. *Virginis — et virginis Spartanae* miror nemini displicuisse sic iuncta, quippe parum suauiter. Assimulauerat se facie ac vestitu *puellae*, et erat armata *puellae Spartanae* more. Nec importunitatem mutata interpunctione sustuleris. Exspectabas Nympham vel Dianam: *Naidos os habitumque gerens*, aut simile quid; vt Ouid. Met. I, 691. 5 *Naias vna fuit — ritu quoque cincta Dianae Falleret, et credi posset Latonia.*

315 — 320. Arcum cum sagitta habebat, et veste succincta, coma sinuque soluto, erat, puellae Spartanae vel Thressae more. Hoc structurae forma variauit. De Spartanarum puellarum exercitatione, quam huc vocant interpretes, palaestrica nota res. Enimuero tum *nudae* erant, vt tot loca docere possunt; vel Plutarchi ille classicus in Lycurgo p. 47 F. et — *More tuae gentis nitida dum* nuda *palaestra Ludis*, Paris ad Helenam apud Ouid. Epist. XVI, 149. cf. Propert. III, 14, 1, vbi v. Intpp. et Crag. de rep. Laced. lib. III. t. 9. inst. 4. In nostro autem poeta *vestitae* illae sunt et *arcu pharetraque instructae*. Itaque ad communem potius puellarum Lacaenarum habitum erit referendum, cum militaria opera tractarent, atque ideo breuibus tunicis, iisque ad femur vsque dissutis, vterentur, vt nudum femur in incessu appareret (vnde φαινομηρίδες Spartanae puellae; qua de re loc. class. Plutarch. in Lycurgo p. 76. F. Eurip. Andromache 596 sqq., vbi v. Barnes. et hic Cerdam. Pollux VII, 55. adde Clem. Alex. II, Paedag. 10). Hic tamen, idque obseruatione dignum, ab eo potissimum Spartana virgo designatur, quod arcum cum sagittis gerit; et probabile fit, puellas Spartanas venationibus quoque operam dedisse. Nam coma soluta ad eas non spectat; si vel Horatium memineris: *in comtum Lacaenae more comam religata nodum* II, Carm. 11, 23 (quem locum intactum esse relinquendum putamus). — *vel* (talis virginis) *qualis fatigat* (est, cum fatigat) *equos*, equo incedit: quod proprium

Spartanae; vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce, volucremque fuga praeuertitur Eurum.

316 *Virginis arma Sarranae* h. e. Tyriae (cf. Georg. II, 506) ingeniosa est emendatio Marklandi ad Statii Silu. V, 2, 118. Burmannus eam h. l. exagitat, quod de Tyriis colonis Aeneas nondum aliquid cogitare poterat; Spartanae autem vel Threissae virginis species occurrere iam ante Aeneae debuerat. De Spartana tamen non minus dubitare licet, an vspiam Aeneae visa fuerit. Enimuero poeta non declarat, qualem sibi Aeneas deae speciem animo nunc finxerit; sed lectori delineat formam et habitum Veneris, qualem lector suo animo eam repraesentare sibi debeat. Marklandi autem emendatio locum habet nullum propterea, quod ipsam comparationem iugulat. *Spartanarum* virginum vel Thracicarum formae habitusque notissimi sunt; his igitur vti debuit poeta ad declarandum id, quod per se sensibus legentis subiici satis clare non poterat. Infra autem Venus, ne dea crederetur, recte se Tyriam aliquam puellam simulare poterat, cum iam expositura esset, qui essent, qui haec loca incolerent. *Threissa*, Θρᾷσσα, Θρῆσσα, Θρήισσα, vt Θρᾴξ, Θρήιξ. 317 al. *Arpalyce. Harpalice.* Sed est Ἁρπαλύκη. Mox vulgo legebatur *Hebrum;* at *Eurum* Rutgersii, Huetii aliorumque (v. Cuningam. ad h. l.) emendatio est, obuia sane et in quam quilibet facile incidat. Docte de ea egit Burm. ad h. l. cf. Bentl. ad Horat. I Carm. 25, 20, vbi recte Euro Hebrus cessit; etiam nuper in Epit.

Amazonibus. *Threissa Harpalyce.* Si omnino puella Thressa memoraretur, de Amazone haec acciperem: cf. inf. ad lib. XI, 659. Idem sequerer, si de Harpalyce Amazone mihi constaret. Tradita tamen de Amazonibus fuere multa, quae nunc accurate non tenemus. Caeteroqui *Harpalyces* in vetustis fabulis notum nomen. Alia est ab Iphiclo spreta, a qua cantilena *Harpalyce* dicta. Ex Aristoxeni ὑπομνήμασι narrat Athenaeus XIV, 3 p. 619. F. Alia Clymeni filia, de qua ex Euphorione Parthenius Erotic. c. 13 narrat. Hic tertia, paullo notior illa caeteris, Harpalyci, Amymnaeorum (ita legendum, sic Amymnos Epiri memorat Steph. Byz.) Thraciae regis filia, quae in siluis educta venatibus et cursibus sese durauerat. De ea v. h. l. Seru. et Hygin. f. 193. Ea nunc v. 317. ventos cursus velocitate superat. *fuga*, Φυγή, *fugere*, Φυγεῖν, sollennia poetis de *cursu* celeri.

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis. 320

Iliad. 737 ap. Wernsdorf. In nostro loco *Hebrus* defendi potest vsu poetarum comparandi motus cursusque celeritatem cum fluuiorum impetu. Neque obstat, quod Hebrum nonnulli leni et placido flumine procedere tradunt; poetarum enim non semper est in his summa subtilitas. v. Burm. ad Valer. Fl. V, 180. Assumi quoque in indicium animi potest: venari Harpalycen ad ripas Hebri; itaque eam secundum amnem decurrere velociorem ipso amne. *Eurum* tamen toti comparationis consilio accommodatiorem esse, negari nequit; nec satis in fluuium, etiam rapidissimum, cadit *fuga, volucer, praeverti*; at de ventis haec verba sunt sollennia. Itaque, Bruncki quoque V. C. exemplo, *Eurum* reduxi. Inf. VIII, 223 *fugit ilicet ocyor Euro*. 319 *comam* Heins. ex scriptis, vt magis poeticum; et sic omnes meliores, etiam Pieriani. Al. *comas*. *defundere* Sprot. et Rottend. pr. *dispergere* Leid. vn. ex gloss.

318. *De more*, qui venantum mos esse solet. Vulgaris fuisset oratio: *more venatricis*. *habilem arcum*, qui facile haberi, tractari, potest; εὔ ἁραρότα. cf. inf. ad IX, 365. h. l. leuis, vt Valer. Fl. III, 523 *leuis omnibus arcus*: I, 109 *Tela puer* facilesque *humeris gaudentibus arcus Gestat Hylas*. Sane alias *habile telum* potest et de magno gravique dici, si scilicet is, qui gerit, sit robustior, v. c. de Aeneae clipeo Aen. XII, 432. cf. ad Tibull. I, 9, 7 et Burm. ad Ouid. II Met. 531. 319. *dederat ventis comam diffundere*, ὥπνεν ἀνέμοις φέρεσθαι, h. e. ὥστε, diffundendam; scilicet comam solutam habebat. Amplificauit haec, vt solet, Claudianus de R. P. 30 sqq. 320. *Nuda genu*, adeoque succincta, vt venatrix; v. ad Callim. in Dian. v. 11, vbi v. Spanhem., et ad Oppian. I Cyneg. 97, cothurno tamen suras reuincta, vt v. 337 subiicitur. — *Sinum collegerat nodo*; possis intelligere sibulam, vt inf. IV, 139 *aurea purpuream subnectit fibula vestem*, vbi cf. not., et de Charonte VI, 301 *Sordidus ex humeris nodo dependet*

Ac prior, Heus, inquit, iuuenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Subcinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,

321 *Et prior. At prior. Ac prius* in al. *inquit, nobis m.* Goth. sec. 322 *Si quam hortantem* Zulich. 323 *pharetram* habebant codd. Prisciani tempore et sic Hamb. sec. et aliquot Pieriani. Ita scribendum etiam esset *tegmina*, vt Gudian. a m. pr. *maculoso* Mentel. pr. *aut m.* Menag. pr.

amictus; et Claudian. de R. P. 40 *Collectae teneri nodantur iaspide vestes.* Sed, fibula *sinum* non colligit *in pectore*, nec in tunica; nam, si bene meminimus, fibulae in humeris, non in pectore, vsus in tunica est. Nec in chlamyde et aliis vestibus tunicae superiniectis, talem fibulae vsum memini; sed subiectum pectori est cingulum. Occurrunt quidem feminarum signa, in quibus palla medio corpori circumiecta nodo ex pallae oris facto collecta est; at in tunica hoc fieri nequit. Igitur melius de cingulo accipiemus. Cerdà Liuii Andronici notos versus apud Terentian. Maur. p. 2426 Grammat. Putsch. poetae ante oculos fuisse suspicabatur: *Et iam purpureo suras include cothurno, Balteus et reuocet volucres in pectore sinus.* Scilicet *Nodus* omnino pro quouis vinculo.

321. Quo sermone ac lingua hic in Africae oris, Venus et mox Dido, et sic alii in Sicilia et Italia, cum Aenea vti potuerint, vt, quae dicerent, ab hoc, Troiano homine, intelligi possent, aliena a poesi epica est quaestio, ne dicam inepta. Omnem enim eius vim, illecebras et gratam fraudem interciperet talis subtilitas. Conuentum est inter poetam et lectorem tacite in hoc, vt communi sermone inter se vti putentur Troiani et Achivi et sic porro. Semel monuisse satis est. 323. *Succinctam pharetra,* vt gladio, ferro, succinctum dicimus: scilicet non modo *vestis succingitur adducta,* sed *succingere* est interdum instruere ita, vt cinctus ope adiungamus rem. Pharetra autem

Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra ſic filius orſus:
Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum,
O, quam te memorem? virgo; namque haud tibi voltus
Mortalis, nec vox hominem ſonat; o, Dea certe;
An Phoebi ſoror? an Nympharum ſanguinis vna?
Sis felix, noſtrumque leues, quaecumque, laborem:

326 *at* Seru. et edd. Ald. Iunt. Scilicet erat ea vulgaris lectio, quam Pierius e codd. conſenſu emendauit. *ſic f. inquit* ſec. Hamb. quod meliorem ſonum facit, addit Burm. niſi forte *inſit* praeſtat. 326 *mihi eſt* Franc. *nec* Goth. pr. 327 *O quid te* ed. Ven. *voltus* e Gudiano. *cultus* Hamb. ſec. Interpunctionem horum verſuum mutaui. 328 *vox hominum* Gud. a m. pr. cum al. *neque vox vm.* Moret. 329 *Aut - aut* vet. exempla ap. Pier. it. Oudart. et Bigot. praeſtat *an - an.* Sed, ſi accuratius interpungas: *An P. ſoror? an N. ſ. vna?* non vero: *an P. ſoror, an.* Non enim eſt pro *vtrum an;* ſed ſunt duae diuerſae interrogationes. 330 *quemcunque* Hamb. ſec. et Parrhaſ.

humeris pendet cingulo vincta. Apud Homerum eſt ἀμφὶ vel περὶ — ἐβάλετο εἵφος ſimili more. *tegmen lyncis* vid. ad v. 275. 324. Georg. III, 413 montisque per altos *Ingentem clamore premes ad retia ceruum.* Hic etiam doctius pro *apro, curſum apri premere,* inſequi.

327 ſqq. Lineas horum verſuum videas in Odyſſ. ζ, 141 ſqq. 149 ſqq., vbi Vlyſſes in ignota terra Nauſicaam ſimili modo alloquitur; et Nauſicaa reſpondet fere v. 192 ſqq. vt Venus v. 338. Adde Odyſſ. δ, 376 ſq., vbi Menelaus cum Idothea ſermonem habet. cf. Hymn. in Vener. 92 ſqq. 107 ſqq. Imitatus eſt vsque ad faſtidium copioſus Statius IV, 746 ſqq. cf. mox ad 334.

328. Nec tibi vox humana eſt. *homo* pro abstracto: humanum quid. 329. *ſanguinis,* e genere Nympharum vna. 330. *Sis felix,* χαῖρε θεὰ, ἵληθι, ſis propitia. Ecl.

Et, quo sub coelo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris vrbem:

331 *et quo sub tandem coelo* Parrhas. 332 *iactamur* Leid. *locorum* et *locumque* nonnulli. 333 *et vastis* Heins. e libris, suadente iam Pierio. antea *vastis et*, vt multi boni codd. cum Romano, quos v. ap. Cuningam. item, omnes Gothani. 335 *tum* Heins. e scriptis. v. *tunc*. 336 *pharetras* Bigot. et Exc. Burm. 337 *que* abest a Reg. *altae* Gudian. *aptare* Seruius citat ad Ecl. VII, 32. 338 *vrbes* Medic. a m. pr.

V, 65. *Sis bonus o felixque tuis.* petitum ab auspiciis et ominibus. *quaecunque*, qualiscunque dea es, nostris malis succurre, docendo, sub qua parte coeli etc. 332. *iactemur*, versemur; nam et hoc exilius erat: et mox *erramus* pro sumus. Haec et similia nisi obseruaveris, poetici sermonis vim et indolem non assequeris. Caeterum Odyss. π, 183 sqq. Telemachus Vlyssem a Minerua augustiore forma ac corporis specie ornatum, tamquam deum aliquem, alloquitur simili fere oratione. Neque dissimile Alcinoi dictum Vlyssisque responsio Od. η, 199 sqq. 208 sqq.

335. *Tali honore*, ex v. antec. int. hostia, sacrificio. Vult enim mortalis virgo videri, non dea. 337. Ad venantum habitum spectat cothurnus. Res nota; ne a sentibus et silicibus laederentur crura. Versus ex Liuio Andronico adumbratus: *Sed iam purpureo suras include cothurno.* cf. sup. Ecl. VII, 32.

338. *Agenoris vrbem;* a progenie Agenoris conditam, quem Graecorum mythi (v. Apollod. II, 1, 4. III, 1, 1) Phoenicum conditorem, ex

Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta,
Germanum fugiens. Longa eſt iniuria, longae
Ambages; Sed ſumma ſequar faſtigia rerum.
Huic coniunx Sychaeus erat, ditiſſimus agri

339 *ſunt fines L.* Bigot. *Libyci fines* Dorvill. *fines Libyae* Goth. tert. et Guelpherb. vnus a Cortio collatus. *genus inſuperabile* Pieriani aliquot, Moret. quart. et Goth. ſec. Leid. et Reg. pro gloſſ. forte ex IV, 40. *intractabile ferro* Oudart. 342 *Veſtigia* Parrhaſ. Menag. pr. Hamb. pr. et Rottend. pro var. lect. Nec hoc male. ſed *faſtigia* ſunt capita narrationis. 343 Mirum, in *Sychaeus* priorem ſyllabam produci, mox autem v. 348 (vbi ſcribi poterat *Is Sychaeum)* poſt tam paucos verſus corripi; vt ſemper aliis in locis corripitur. *Sychaeus* ad ſcripturam Medicei Cod. aliorumque vetuſtiorum ſcripſit Heinſius; cum antea eſſet *Sichaeus:* quam ſcripturam retinuerat lib. IV, 502, 552. In Pier. nonnullis *Suchaeus* erat. Heinſius tamen *Synchaeum* a poeta exaratum fuiſſe autumabat. nam ſic ſcribi ap. Graecos (apud Euſtath.

Aegypto oriundum, et eius poſteros Sidonis reges faciunt, non Tyri, quae multo ſerius et floruit et Graecis innotuit. Sidonii — *Tyron vrbem ante annum Troianae cladis condiderunt,* Iuſtin. XVIII, 3. Noli itaque mirari, Sidonem, non Tyrum, Homero memorari. 339. *Sed fines Libyci* ſunt, h. e. ſolum eſt Libyae pars; (fines ſaepe pro ipſa regione, vide vel Burm.) ſimulque *fines* pro incolis, Libybus, dixit, qui erant populus indomitus, aſper et ferox. Nam ad Libyes, non ad Phoenices, hoc ſpectat: *genus intractabile bello,* indomitum, ἀμαμάκητον, ἄπτον. Mox 340. *imperium regit* exquiſitius quam, tenet, habet. 341. 342. In proſa eſſet: longa eſſet narratio; ſed rem ſummatim exponam. Etiam in talibus poeticam vim agnoſce. *faſtigia* ſunt rerum capita, κορυφαὶ λόγων. Pind. O. 7, 125.

343. Narrationem quae ſequitur, Iuſtinus perſequitur XVIII, 4, 5. cf. Excurſ. XI. Sichaeus ditiſſimus inter Phoenices agris ſ. agrorum poſſeſſione. (vid. Burm.) *miſerae dilectus,* τῇ σχετλίᾳ, pro *a miſera,* graece; et

Phoenicum, et magno miserae dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque iugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat

tantum, si recte memini, ad Perieget. v. 196). Brunckius V. C. *Sychaeus* edidit, Συχαῖος, praeclare. Verum sic alia, eaque multo magis ingrata, varietas eiusdem vocis intra decem versus diuersimode scriptae infertur. Alioqui simile exemplum variatae pronuntiationis est in *Sicania* I, 557, et *Sicani* V, 293, et al. Collegit plura Drakenb. ad Silium IV, 778. Ex *Sicharba* nomen *Sichaei* fecisse poetam Seruius ait. *Acernas* aut forte verius *Adherbas* Iustino dictus. *Huic Sichaeus erat coniux* Goth. tert. *ditissimus auri* iam Huetiana emendatione tritum est. Me non tam v. 349, 358. 9 et 363 moueret, quam hoc, quod in tali gente, qualis Phoenicum, mercatu et nauigatione inclita, ex *auri* potius copia quam ex latifundiis declarari debuisse videntur diuitiae. Et Iustinus XVIII, 4, 6 *Huic* (Elissae marito) *magnae sed dissimulatae opes erant*, aurumque *metu regis non tectis sed terrae crediderat*. Enimuero potuit et inter illos esse, qui multas terras in ditione haberet adeoque seruorum et clientum opibus valeret; et habuit forte poeta historicos, quos sequeretur, vt ex scriptoribus apparet, sequioribus quidem, sed qui vetustiores exscripsere, vt Io. Malala p. 206 ed. Oxon., qui Seruium compilauit, sed alium, quam qualem nunc habemus, et Cedren. Hist. Comp. p. 149 B, διαφθονέμενος αὐτῷ ὡς πολυευπόρῳ καὶ δυνάστῃ. Verbo: speciosa est emendatio *auri*, quam et ipse amplectar; nec tamen talis, vt alteri renuenti hoc idem persuadere possim, aut vt altera lectio pro inepta et absurda haberi queat. Etiam inf. X, 563 *ditissimus* agri *Qui fuit Aufonidum et tacitis* regnauit *Amyclis*, et Silius V, 260—266. 344 *misere* Zulich. sed hoc iam in *magno amore* latet. 345 *iugauit* Menag. pr. 346 Pro *Ominibus*, *Connubiis* Hamb. alter, Menag. sec. *annis* Bigot. vtrumque ex interpretatione,

hoc pro, *ab ea*, ornate. *Misera* autem amore; vti aliqua *misere* amare dicitur pro, valde amare. 345. *Intactam*, Homericum κεριδίην ἄλοχον pulchre expressum, *primisque iugarat Ominibus*, h. e. nuptiis, pro quibus auspicia nuptialia dici solent; vnde traxit *omina*. Guellius laudat e Propertio (III, 19, 14): *Contineant nobis omina prima fidem* pro amore. *Pater* autem Belus, ex poetae narratione v. 621. 346. *Germanus* int. Didonis. Rem Iustinus exposuit paullo aliter lib. XVIII, 4 sq.

Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnis.
Quos inter medius venit Furor. Ille Sychaeum
Inpius ante aras, atque auri caecus amore,
Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum
Germanae; factumque diu celauit, et aegram,
Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.
Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago
Coniugis; ora modis adtollens pallida miris,
Crudelis aras traiectaque pectora ferro
Nudauit; caecumque domus ſcelus omne retexit.

348 *quos inter medios* Medic. et Moret. pr. Leid. vnus a m. pr. etiam nonnulli in Seruianis, duoque Gothani. Vtrumque dicitur; ſed *medius*, puto, exquiſitius. 349 *aram* ſec. Moret. *incautum ante aras* — *Clam ferro immitis ſuperat* Bigot. 350 *amorem* Medic. *amore* videtur Rufinianus legiſſe, vt Rottend. ſec. habet. 352 *vna ſpe* Pierius ex vno ant. et ſic Goth. pr. *ſpe vana* Bigot. *eluſit* Zulich. *Multa malus, ſimulans*, male in Burm. edit. interpungitur. 353 *in ſomnos* Voſſ. ſec. 354 *tollens pallentia* ed. Ven. Diſtinctio poſt *coniugis* eſt a Burmanno; antea non niſi poſt *miris*. 355 *Transiecta* Menag. alt. Goth. pr. 356 *domus et ſcelus* Medic. *caecumque dolis* Doruill. non male. *ſcelus eſſe* vn. Heinſ. *ſcelus ore retexit* Goth. pr.

Quos inter, int. Sichaeum et Pygmalionem. *Furor* quanto potentius quam ira, inimicitia! 350. *ferro ſuperat* vt δαμᾷ ſimpliciter caedit, nulla cum vincendi notione. *Securus amorum g.* nil curans; ne ea quidem cogitatione a ſcelere reuocatus, quod ſorori, quae miſere coniugem amabat, ſummos luctus crearet. VII, 303 *optato conduntur Tibridis alveo Securi pelagi atque mei*. Mox 352. *malus* ad fraudem ac dolum ſpectat.

353 — 356. *Inhumati c.* auget rei atrocitatem et ſomnii narrati probabilitatem epitheton hoc, ſi memineris, inſepultos, niſi humentur, quieti reddi non poſſe. In verbis ante oculos habuit notum Lucretianum: *ſimulacra modis pallentia miris,*

Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His conmota fugam Dido sociosque parabat.
Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat; nauis, quae forte paratae,
Conripiunt, onerantque auro. Portantur auari
Pygmalionis opes pelago; Dux femina facti.
Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernes

357 *patriaeque* Medic. quod illustrat Heins. *patriamque* antiquissima aliquot exemplaria Pierii, alter Hamb. Franc. et Witt. quod haud dubie doctius. Sed *fugam* praecesserat; vnde errori illud deberi potest; tum minus ingratum est auribus *patria*, quod praefert post Henr. Steph. Burmannus. 358 *auxilioque viae* Mediceus Pierii. *veteris* nonnulli, sed ambigua fieret oratio. Burm. 359 *thensauros* veteres scribunt. v. Pier. ad h. l. *ingens* Zulich. sed altera lectione superscripta. 362 *metus aeger* Goth. sec. non male, sed *acer* fortius spirat. *naues sunt forte p.* Zulich. an: *naues tunc s. paratas Corripiunt.* Burm. 363 *arripiunt* Graeu. *ornarunt auro* qu. Moret. idem *portentur.* 364 *facta est* Puget. *facta* Goth. tert. 365 *cernes* recte defendit Burm. superato demum colle inf. 419. Mediceus tamen cum multis *cernis.*

h. e. miro modo pallida. *Crudeles aras*, h. e. scelus crudele ad aras in se commissum, *traiectaque pectora ferro*, h. e. caedem suam, *Nudauit*, cum clam facta esset, manifestam fecit; nam *nudare* exquisite pro retegere, recludere, monstrare. hinc *caecum scelus*, occultum, *domus*, a fratre in fororis marito commissum. cf. Ouid. Ep. VII, 113. De reliquis v. Excurs. ad h. l.

361. *Odium crudele*, μῖσος ἀπηνές· proprie quale est immanis animi. Sic *saeuus, crudelis, atrox*, et similia, poetis pro, magnus, ingens. *metus* autem *acer*, ὁρμὺς, vehemens, proprie de animo exasperato. 364. In *Pygmalionis opes* vis et acumen inest; scilicet quas ille animo et spe iam praeceperat; vt et in illis: *dux femina facti*, pro, *suadente Didone.*

Moenia, ſurgentemque nouae Carthaginis arcem;
Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris,
Quoue tenetis iter? Quaerenti talibus ille
Suſpirans, imoque trahens a pectore vocem:

366 *ſurgentesque — arces* Oudart. 367 *Burſam* Zulich. Leid. Goth. ſec. *mercatique* ſc. ſunt *ſolum*, etſi durius, maluit poeta, quam *mercatumque ſolum*, emtione paratum, ſc. cernes, vt orationem variaret noua iunctura. Sollicitat verſum 367 *Beck* V. C. *de ſenſu crit.* II. p. 62. quippe ſimilem ei, qui ſupra erat 109. *Saxa vocant.* Poteſt tamen h. l. ferri ex hiſtoriis petitum, et iis declarandis inſeruiens. 368 *Taurinum* Goth. pr. *quantum taurino* Sprot. *poſſint* Medic. *poſſunt* pr. Voſſ. 369 *quibus aut veniſtis* Heinſ. e Medic. aliisque reuocauit; et confirmant id Nonius Marcellus et Priſcianus. Romanus tamen cum Oblongo et Mediceo Pierii aliam codicum ſectam facit, *quibus aduenisti;* hanc ſequitur Cuning. ſcriptura per *t* cauſſam varietati dedit. 370 *quaue* Mentel pr. *quodue* Menag. pr. *quoque* Hamb. pr. 371 *ab p.* fragm. Moret. *de p.* Franc. et Menag. pr.

366. Sane Didonem arx Byrſa tamquam propriam conditricem habuit; vrbem enim iam illa aduentante ſtetiſſe probabile ſit. At hic nolim ita argutari. *Arx Carthaginis* eſt Carthago. Ἴλιὸς ἄκρα. 367. *Deuenere — et mercati* ſunt *ſolum, Byrſam* h. e. locum, in quo poſtea Byrſam arcem condiderunt, ſeu *Byſram* verius; vt poſt Scaligerum ad Euſeb. Chron. multi, quos enumerare ambitioſum foret, docuerunt. Sed recte βόειον βύρσαν, fabulam, a Graecis haud dubie ortam, poeta ſequitur. In *taurinum tergum* prouide vulgare *corium* euitat.

369. *Qui tandem* operoſe eliquat Burm. Praeſtat ſimpliciter dicere, interrogationis vim augeri particula *tandem*, (τί ποτε. τίπτε ap. Homer.) et deſiderium ſciſcitantis intentius inde eluceſcere. *qui veniſtis*, h. e. qui eſtis, vos, qui veniſtis. vt Graeci: τίς δ' οὕτω κατὰ νῆας ἀνὰ ϛρατὸν ἔρχεαι οἶος. Il. κ, 82. et ſaepe. 371. Βαρυϲενάχων Homer., vt Iliad. α, 364 et

O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annalis nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso componet vesper Olympo.

372 *primum* Hamburg. alt. *tantorum a. l.* Macrob. III Sat. 2, *nostrorum a. parentum* vetus codex Pierii, quod frustra ille firmat. 374 *vesper componet* Hamb. pr. v. Burm. Sunt scil. codd. ap. Pierium. Post v. 374 in Graeu. cod. spurius versus subiectus erat: *Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum.* 373 *et placet* Franc. a. m. pr. componat Corradus ait alios legere. sed alio loco vulgata exhibetur.

saepe alibi. ἐξ ὑπάτοιο κήδεος ἀμπνεύσας Apollon. II, 207.

372 — 374. Si ego fata nostra ordine exponere, et tu ea audire velles, dies nos deficeret. Quam ornate singula! Homerus minus sobrie Od. γ, 113 sqq. et ξ, 196 *annos* pro *die* ponit. *repetens pergam*, pro, si repetam. In *annalium* nomine argutatur Macrob. III Sat. 2 et post eum alii. Grauius est vocabulum quam narratio, historia, adeoque magis epicum. *Coelum clauditur* modo nubibus obductis, modo tenebris noctis praetentis, vt h. l. Nec huc trahenda *porta coeli* Georg. III, 261. *Vesper componet diem* quasi mortuum et sepultum; inquit Cerda post Scaligerum et Turnebum; „qua imagine poetae noctem repraesentare non refugiunt.“ Vel-lem idoneis exemplis hoc firmassent viri docti. Dies *obire* et *occidere* alio modo dicitur: petitum a sole. Recte Burmannus monuit, *componere* simpl. esse *finire*. Sic et Seru. ad XII, 109; sed quaeritur de caussa vocis. Ducta scil. notio a cogitatione Solis s. Diei *quieti se reddentis* et componentis se ad somnum, dum occidit. Ducit eo quod adiectum est *clauso Olympo*: vti quis clauso thalamo se quieti tradit, somno componit: cf. sup. ad 249. Alioqui omnino dicuntur *componi*, quae ordinata et absoluta de manu deponimus. Neque simile est illud: *condere diem*, vt Ecl. 9, 52 *condere soles*, et illud Horatii: *Condit quisque diem collibus in suis*, IV, 5, 29. Nam in his occultare, tegere, est, adeoque exigere diem, donec sol occiderit.

Nos Troia antiqua, si vestras forte per auris
Troiae nomen iit, diuersa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam, genus ab Ioue summo.

375 *Vestras si forte* Heins. vnus. 376 *init* Zulich. *iactos* vnus ap. Pierium. 377 *forte* Bigot. a m. pr. et al. *forte mala* Zulich. pro var. lect. *applicat* Sprot. quod Burm. praeferre malit. Equidem vim ac virtutem lectionis non capio. 378 *qui* non agnoscit Moret. pr. et sane concinnius subintelligitur. v. Heins. 379 *aequora* Menag. pr. et sec. Rottend. 380 *et* ante *genus* sustulit Burm. auctoribus libris Montalb. Hamb. alt. Bigot. cf. not. *ab I. magno* Romanus.

375 — 377. *Troia antiqua*, epitheton cum dilectu positum; tanto clarior vrbis fama esse debet, quo antiquior illa est. *si per aures iit*, variauit vulgare: si peruenit ad aures vestras. *diuersa aequora*, simpl. alia via quam qua iter parabamus; ex illis: Οἵηισδε ἴέμενοι, ἄλλην ὁδὸν, ἄλλα κέλευθα Ἠλθομεν. *tempestas appulit*, δεῦρο πέλασε κῦμα. *forte sua*, casu, qualem tempestas afferre solet. Habuit in his, quam sequeretur, poeta orationem Vlyssis ad Polyphemum Od. *ι*, 259 sqq.

378. *Sum pius Aeneas*. v. Exc. ad h. v. *pius* est religiosus, quoniam omnia ad deorum oracula exsequutus est. Itaque *casum* dixit Horat. C. S. 42. *Penates*. v. lib. II, 293 et ad e. l. Exc.

380. Fabulam poeta sequitur, qua Dardanus a Corytho Tyrrheno genus ducere ferebatur, cum Corythus Samothracicus in eum esset translatus similitudine nominis. v. Aen. VII, 205 sqq. 240 sq. VIII, 134 sq. adde III, 167, 8, vbi v. Excurs. III. Hinc lib. VII, 122: *Hic domus, haec patria est*. II, 620 *tutum patrio te limine sistam*. Hactenus Italia est Aeneae patria; et hactenus *genus, a Ioue* ductum, h. e. stirpem et originem generis a Ioue ducti, quatenus Dardanus, Iouis filius ex Electra, et generis auctor, ex Italia

Bis denis Phrygium conscendi nauibus aequor,
Matre dea monstrante viam, data fata secutus.
Vix septem conuolsae vndis Euroque superstant.
Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem

381 Inepte Grammatici super *Bis denis* commentantur: *viginti* fuisset pedestris orationis forma. 382 *ata fata* Graeu. erasa prima littera, quasi voluerit *rata*. Sed vulgatam firmat Burm. *data f. sequuntur* Goth. pr. 383 *conuolsae* Romani et Medic. adeoque optimorum scriptura. 384 *pererro* Hamb. pr. eadem diuersitas IV, 72. Burm.

oriundus est. cf. III, 94 sqq. hoc *quaerit*, petit, h. e. terram, in qua progenitor ille ortum habuerat. At Burmannus eam rationem sequitur, vt *genus* nominandi casu positum accipiat: *ego Aeneas, genus a Ioue*, h. e. Iouis, vt V, 45, quaero patriam. Quae ratio per se est bona, sed dura est oratio, et haec stirpis memoratio paullo serius, quam reliqua oratio fert, subiici videtur.

381. *Phrygium aequor*, littori Troadis seu Phrygiae minoris praetentum. *conscendi aequor nauibus* doctius dictum, pro vulgari, *conscendere naues*. Qui enim *in altum* euehitur, is et *aequor conscendere* dici potest. 382. *Matre dea monstrante viam*. Aen. II, 589 sqq. nihil de via a Venere monstrata monetur, sed tantum de fuga v. 619, 620. Verum fuere aliae in eam rem fabulae: v. sup. Disquis. II, s. VII. p. LXX. Quae Seruius et Pomponius ex Varrone de Veneris stella hic incommode satis memorant, potuere insidere poetae animo in libro II, 693 *de coelo lapsa* etc. *data fata*, monstrata cum per auspicia tum per oracula III, 95 sq. 163 sq. 375 sq.

In 383 — 385 obserua magnificam dictionem ex verborum delectu. *ignotus* Seru. exponit *quasi* propter v. 379 *fama s. a notus*. Enimuero est in terra ignota, inter homines, quibus ipse ignotus

Passa Venus medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud, credo, inuisus coelestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui aduèneris vrbem.
Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio, et in tutum versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.

386 *est* abest a nonnullis. v. Burm. 388 *carpis vitalis* Montalb. 389 *ad r. l.* Exc. Burm. *ad* omittit Rottend. sec. quod forte doctius. *teque hinc r.* Parrhas. et Venet. quod est lenius. *ad lumina* fragm. Moret. et edit. Geneu. *profer* Leid. sed v. Burm. 390 *socios reduces* Doruill. *classemque receptam* Sprot. Hamburg. pr. Leid. vn. et Zulich. sed *relatam* recte defendit Burm. Ego addam: hoc exquisitius esse altero; et, vt *ferri in portum* proprium in re nautica est, sic poetica oratione *referri* ex alto vel tempestate iactatum in portum bene dictum. *relictam* Goth. tert.

est. Sic *solus* aliquis errare dicitur in solitudine. 385. Eum interpellauit, vel, non *passa querentem*, pro, *non passa eum queri plura*, graeca ratione; vel, *interfata querentem. non passa* sc. queri *plura:* οὐδ' εἴα πλαίειν Iliad. η, 427. Semper autem apud Homer. ἐᾷν cum infinitiuo; non cum participio.

387. 388. Ornate. O carum te superis, cum Carthaginem delatus sis! Expressit autem illud, quod aliquoties apud Homerum: ἐ γὰρ ὄΐω Οὔ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε, vt Od. γ, 27. *vitales auras* ex antiquo sermone habet, v. c. ap. Lucret. III, 406 et al.

390. *Classem relatam*, reductam, reducem. *versis aquilonibus*, h. e. ventis simpliciter. Mox 392 *vani* ad ornatum egregie. *Vanus*, non modo qui pollicetur, quae praestare nequit, sed et qui profitetur vel falsam vel inanem doctrinam. cf. Serv.

Adſpice bis ſenos laetantis agmine cycnos,
Aetheria quos lapſa plaga Iouis ales aperto
Turbabat coelo; nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam deſpectare videntur.
Vt reduces illi ludunt ſtridentibus alis,
Et coetu cinxere polum, cantusque dedere:
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.

393 Heinſius varie tentat, aegre ſcilicet ferens procedentes eodem tenore caſus *bis ſenos laetantes*. Malit *laetanti bis ſenos*, vel *bis ſeno laetantis a.* vel *bis ſenos laetanti examine*. Sed vulgatam et codd. et Priſcianus defendunt; vnus Sprot. pro var. lect. *luctantes*. Tu vitio ſic occurre, vt accuratius interpungas et legendo moram facias: *Adſpice bis ſenos, laetantes agmine, cygnos.* 394 *Aetheria quos ſorte plaga I. ales ab alto* vn. Heinſ. et Parrhaſ. 395 *turbauit* Doruill. *turbarat* ed. Ven. cum aliquot codd. Pierianis. *turbabit* Romanus. 396 *captis* Mentel. tert. pro var. lect. Reg. a m. pr. ſed aduerſatur ſententiae. *reſpectare* Gudian. a m. pr. *iam nunc ſpectare* Doruill. *iam* abeſt Franc. *deſperare* eſt vitium operarum edit. Heinſ. 398 *vt coetu* Moret. pr. a m. pr. v. inſ. 486. *coetum* Medic. ſed *m* notatum. *cinxere ſolum* coni. Burman. ſed v. not. 399 *pubesque tuae puppesque* Bigot. v. Burm. 400 *portus* Hamb. pr.

393—400. Duodecim naves cum Antheo, Sergeſto, Cloanthoque ſeruatas mox videbimus. Has totidem olores innuunt, quos, ab aquila modo agitatos et diſperſos, hoſte abacto ludibundos plaudentesque terram aduolare oſtendit Venus. *turbabat* eleganter pro agitabat ἐκλόνει, inſequebatur. *aperto coelo* alii ſereno, vt ſup. v. 155, ego malim pro libero, peruio volantibus. Quae ſequuntur, 395. 396. varie accipiuntur et accipi poſſunt. Difficultas eſt in voce *capere* et *captas*, cuius ea notio exquirenda eſt, quae cum voc. *deſpectare* conueniat: ſiquidem terra *iam capta*, occupata, *deſpectandi* locus eſſe non videtur. *Capere* autem eſt aut occupare, aut oculis deſignare, eligere, petere. Plerique Interpp. *terras aut capere* h. e. tenere, inſidere, aut *captas*

iam despectare, h. e. despicere in terram iamiam *capiendam*, cui iam appropinquant volatu, vt capiant, occupent; qui quidem modus loquendi, etsi durus, non infrequens est, vt in illo: εἰ δύναμαί τελέσαί γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστίν. Od. ε, 90. Burmannus *captas* intelligit a prioribus, qui in terram iam descenderant, captas. Quod ieiunum esset. Aliam vocis notionem esse diximus, *oculis animoque designare, eligere, appetere*. In hunc sensum Seru. *capere*, eligere. In Georg. II, 230, quem laudat, est *capere oculis*. Iam si *despectari* aliquid dicitur, quod iam *captum* est, debuit vtique τὸ *capere* antecedere; praeferendumque adeo videri possit hoc, vt sit: cygnos terram aut petere, volatu ex alto deorsum facto, aut ad eam, petitam et oculis volatuque designatam, iam propius ferri, ideoque eam despectare; et nunc ludere facto in orbem volatu, donec humi considant aut amne mergantur. Scilicet cogitandum est, cygnos adhuc recto volatu per aerem fugisse, nunc deorsum ferri versus terram, littus puta maris vel fluminis, quod antea insederant: (nam 397 *vt reduces illi*). Igitur haec ratio per se optima esset, nisi id, ad quod mox comparatio transfertur, alio duceret: nam v. 400 classis *aut portum tenet* (atqui hoc erat *terras capere*) *aut pleno subit ostia velo* (hoc, *despectare*). Haec igitur satis declarant poetam aliter haec non accepisse quam, cygnos aut *capere* occupare, tenere, terras, aut eas *despectare*, volatu deorsum facto. *Captas iam* videri debet adiecisse ornatus poetici caussa, cum in eo essent vt iam caperent, et, tantum non captam, terram e propinquo prospicerent. Conueniunt haec cum participiorum vsu apud poetas. Iam et ii, qui deuolabant, et ii, qui consederant, ex terra euolando per aerem ludunt: quippe metu depulso. 397. *stridentibus alis* exquisitius quam clangentibus. 398. *coetu cinxere polum*, agmine facto *cingunt* (ad oculorum sensum; vt alias coelum subducunt oculis in aere visa) *polum*, coelum, aerem; in hunc alis sublati ludunt volando in orbem, vt solent, vel gyrum. Ita puto omnia

Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit, et auertens rosea ceruice refulsit,
Ambrosiaeque comae diuinum vertice odorem

401 *quo te* Pierii Longob. et multi ap. Burm. quod equidem dicerem vulgarius esse. *ducet* ed. Ven. *duxit* Zulich. *via ducit* Bigot. *derige* Gud. et Rom. 402 *aduertens* Hamb. sec. male. 403 *A vertice* octo ap. Burm. quod probat vir doctissimus propter τὸ *auertens*. Sed semper lubricum in talibus iudicium; poetica enim eaque exquisitior ratio praepositionem respuit; et tamen plurimis locis poetae vulgari ratione vtuntur; vt, vbi ea a librario potius quam a poeta profecta sit, dictu sit difficile.

satis expedita, in quibus et Burm. haerebat. Cur autem augurio e cygnis vtatur poeta, subtiles rationes afferunt interpretes. v. Seru. et Cerda. Praestat hoc vnum monere, quod *Cygnus in auguriis nautis gratissimus ales: Hunc optant semper, quia nunquam mergitur vndis;* laudat versus Seruius ex Ὀρνιθογονίᾳ, Macri scilicet Aemilii. (v. Brouckh. ad Tibull. p. 275, ex Isidoro XII, 7.) Nec prorsus alienus a Venere ales est cygnus; nam et curru cygnis iuncto fertur Venus; vt alias columbis aut passeribus. *Disident autem olores et aquilae* auctore Plinio X, 74 f. 95. cf. Cerda. Athen. IX, p. 393 D μάχεται δὲ (ὁ κύκνος) καὶ τῷ ἀετῷ, αὐτὸς μάχης μὴ προαρξάμενος. Et hinc ap. Homerum in cygnorum ansere rumue gentem irruens aquila inducitur, egregio v. c. loco Iliad. ο, 690 sqq. 399. *Pubes tuorum* dictum puto vt *turba tuorum*. *Ostia* docte, h. l. vt V, 281 aditus portus.

402. Numen suum Venus sub discessum prodit, more deorum, qui speciem humanam mentiti mortalem aliquem conuenerunt. Declaratur autem diuina Veneris forma per summam pulchritudinem ceruicis, comas ambrosia delibutas et odorem late spargentes, tum per pallam et per incessum. Vid. Excurs. ad h. v. Si in *rosea ceruice* non tam Horatii I Carm. 13, 1 auctoritatem, quam rationem desideras, aut puta *roseum* esse omnino suaue vel pulchrum, aut colorem floridum exprimi in tenera cute etiam candidissi-

Spirauere; pedes veſtis defluxit ad imos;
Et vera inceſſu patuit dea. Ille, vbi matrem
Adgnouit, tali fugientem eſt voce ſecutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falſis
Ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incuſat, greſſumque ad moenia tendit.
At Venus obſcuro gradientis aere ſaepſit,
Et multo nebulae circum dea fudit amictu:

406 *eſt* abeſt Menag. pr. et Hamb. ſec. male. *fugientem tali eſt v. ſ.* Longobard. Pierii. 408 *dextras* Rottend. pr. *dextram i. dextrae* Hamb. pr. 409 *aut veras* alter Rottend. *et v.* tert. Goth. *ac reddere* ſec. Hamb. *et notas audire ac r.* Parrhaſ. ex VI, 689. 410 *vertit* Bigot. *ducit* Puget. 411 *gradientem* Hamb. ſec. *ſaepſit* ſcriptura eſt Medicei et Romani. 412 *fundit* Bigot. *fulſit* Wallian.

ma pellucentem. *Ambroſias comas*, ambroſia, deorum hoc vnguentum eſt, delibutas, ab Homero habet, Iliad. *α*, 528. *palla* Veneris vel ex illo nota, quod legitur Iliad. ε, 315 πέπλοιο φαεινῆ πτύγμα et 338 Ἀμβροσίῃ διὰ πέπλῳ, ὅν οἱ Χάριτες κάμον αὐταί. habitum itaque deae declarat; *inceſſum* autem cogita leuem illum et volatui ſimilem, columbarum inſtar.

407. *toties*. Saepius igitur Venus iam ante nato viſa fuerat. Sic Aen. II, 589 *Quum mihi ſe, non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulſit Alma parens* etc. cf. Disquiſ. II. p. LXX. 408. 409. Cf. verba Vlyſſis ad matrem inter vmbras. Od. λ, 209 ſqq.

412. Denſa nube circumfudit eos. Ab Homero eum hoc traxiſſe notum eſt, apud quem ſaepe hoc occurrit; inprimis compara Odyſſ. η, 14. 39—43, quem locum iam monſtrauit Macrob. V, 4, de Vlyſſe, quando Alcinoi regiam intrat; ad cuius exemplum totus Aeneae ad Carthaginem et Didonem aditus eſt adumbratus. adde Apollon. III, 210—214, et alios. cf. h. l. Cerda. Totum lo-

Cernere ne quis eos, neu quis contingere poſſet,
Moliriue moram, aut veniendi poſcere cauſſas.
Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedesque reuiſit
Laeta ſuas: vbi templum illi, centumque Sabaeo
Ture calent arae, ſertisque recentibus halant.

413 aberrant codd. in *ne quis* et *neu quis*. v. Burm. *poſſit* plurimi, male. *neu qui cognoſcere poſſint* Voſſ. vnus. 414 *Moliriue viam* Hamb. pr. *que* Bigot. *moram veniendi ac p.* ed. Ven. *diſcere cauſſas* poſt Longobard. et alios, Pierio inſpectos, Rottend. vterque et Hamb. vn. pr. var. lect. forte ex Aen. VI, 488 in edd. nonnullis eſſe videtur *expoſcere*. aliquot codd. ap. Pier. *exquirere*. 415 *Paphon* Hamb. pr. cum al. ant. *adit* aliquot ap. Burm. et Pier.

cum expreſſit Valer. Fl. V, 400 ſqq. Facile vero principes huius phantaſmatis auctores ipſe oculorum ſenſus, nebulis ac nubibus vicina loca obducentibus, illud docere debuit; multo magis cum deos quoque nube amictos et oculis ſubductos vulgo narrarent. 413. 414. *Contingere*, vim, iniuriam inferre iis tanquam aduenis: barbarorum populorum more. *moliri moram* ponderoſius quam facere, excitare. Eſt enim ſtruere vel mouere poetis *moliri*.

415. Cf. ad v. 16. Verſus ex Homero ſed ornatius expreſſi Odyſſ. ϑ, 362 ſq. Compara Hymn. in Vener. 58, 59 ſqq. et Odyſſ. η, 80, 81 ſqq. de Minerua. At ex Virgilio Statius V Theb. 61 *Illa Paphon veterem centumque altaria linquens*. Quod autem turis et ſertorum odores exhalantium tantum ſit mentio, non victimarum caeſarum, ſatis docte interpretes referunt ad morem ſacrorum Veneris, quod arae nullius ſanguis offundebatur, maxime Paphiae Veneri. v. Tacit. Hiſt. II, 3. cf. h. l. Cerda. Alius cum elegantiae ſenſu ad id, quod deam deliciarum et voluptatis arbitram decere poſſit, referat: quomodo enim, inquit, aut victimarum nidore illa delectari, aut inter odores turis et florum iſtum nidorem deſiderare poteſt? Comparat locum Callimachi de Apollinis Carnei ara H. in Apoll. 80 ſqq. Guellius. *laeta* v. 416 accipe, quoniam gaudet Papho. *Sabaeo* v. Georg. II, 117.

Conripuere viam interea, qua ſemita monſtrat;
Iamque adſcendebant collem, qui plurimus vrbi
Imminet, aduerſasque adſpectat deſuper arces.
Miratur molem Aeneas, magalia quondam;

420 *adſpectant*, vt ad Aeneam cum comite referatur, Gudianus a m. ſec. cum Rottend. pr. Hamb. pr. et aliis ap. Burm. quem vide; item fragm. Vatic. Bottar. p. 170. Sed collis *adſpectat* haud dubie melius; nec temporum conſequentia aliter permittit. *exſpectant* Leid. vn. *exſpectat* Puget. 421 Vnus Leid. aberrat in *mapalia*. Haec ſup. Georg. III, 340 vidimus eſſe *aedificia calamis cannisque plexa*, (v. Silius XVII, 89, 90) *oblonga, incuruis lateribus tecta, quaſi nauium carinae ſint* ex Salluſt. Iug. 211, qualia adhuc ſunt tuguria in conum exeuntia plurimorum populorum, et ea quidem *plauſtris vecta*, adeoque *mobilia*. At *magalia*, priore etiam ſyllaba producta, ſunt agreſtia aedificia *ſtatiua*, eoque nomine inprimis veniebant ſuburbia Carthaginis. v. Bochart. Chan. I, 24 et II, 9: Waſſe ad Salluſt. l. l. et Geſner. in Theſ. h. v. Omnium fundus Seruius ad h. l.

418. *Corripere viam*, doctius quam, *iter*, h. e. celeriter, raptim, facere, exigere; ſic *corripere greſſum*; doctius etiam V, 144 *corripuere campum currus*. Similiter *rapere* dictum occurrit. v. ad Valer. Fl. I, 4.

419. *Qui plurimus vrbi imminet* ad magnitudinem refero montis ſub ipſis vrbis moenibus accubantis; Seruius *longum*, Cerda *altum* exponunt. Simpliciter in vulgari oratione dixiſſes: *Imminet vrbi collis aliquantum editus, et Byrſam deſpicit. Hunc iam adſcenderant.* Pro *magno monte* poeta diceret *multum montem*, vt Georg. III, 52 *plurima cervix*, longa et craſſa. Minus commode diceres dictum pro *collis plurimum imminet*. Caeterum poeta hoc ſumſit ex topographia Carthaginis. Tales enim colles aſperos et difficiles in ipſo aditu Iſthmi, in quo Carthago ſita erat, deſcribit Polyb. lib. I, c. 46 τῶν γεωλόφων τῶν ἐπιζευγνύντων τὸν αὐχένα τὸν συνάπτοντα τὴν K. etc.

421. Sic Vlyſſes Phaeacum vrbem: Θαύμαζεν δ' Ὀδυσεὺς λιμένας καὶ νῆας ἐίσας etc.

Miratur portas, ſtrepitumque, et ſtrata viarum.
Inſtant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus ſubuoluere ſaxa;
Pars optare locum tecto, et concludere ſulco.
Iura magiſtratusque legunt, ſanctumque ſenatum.

422 *aſtra v.* fragm. Vatic. ſed *ſtrâta* in márg. *virorum* Hugen. 423 *ardentes inſtant* Moret. ſec. 424 *moliriue* a. *ac* m. Parrhaſ. *ſubducere* Rottend. alter. Vulgata eſt ap. Schol. Cruqu. Horat. III, Carm. 1. 425 *aptare* plurimi Heinſio et Burm. inſpecti. etiam Rom. a pr. m. perpetua varietate. cf. inf. 552. *conducere* tert. Moret. cum gloſſa, id eſt, *deducere*. perperam. *tecta et c. ſ.* tert. Goth. a m. pr. *tecto* ſingulari numero magis poeticum h. l. 426 Verſus a loco alienus: de quo ſecundis curis ſtatuendum fuiſſet a

Od. η, 43 ſeqq. quem totum locum poeta ante oculos habuit. Magnum aedificii opus bene cum caſis et tuguriis componitur: ea ſunt *magalia*, de quibus v. var. lect. Dixeritne autem poeta hoc, *magalia quondam*, ex Aeneae perſona, an ex ſua, dubitare poſſis cum viro docto (*Meierotto* in *Dubiis* p. 34), et, ſi illud, an recte dictum ſit. Poterat tamen etiam Aeneas auditu haec accepiſſe; nec neceſſe poetae vt hoc moneret. *ſtrata viarum* doctius quam viae ſtratae. Exempla ſimilia collegit Cerda. Viarum autem cura in noua colonia ſatis eſt memorabilis: occurrit ea quoque in Cyrene recens condita apud Pindar. P. 5, 117—124.

423—425. *Inſtant* operi Tyrii; vt plene extulit Silius II, 407 ſqq. in loco hinc expreſſo. *ſubuoluere* bene, vt declaret, in altum educi arcem. *optare*, vt III, 109, eſt eligere h. l. v. Cerdam et al. *concludere ſulco*, foſſam ducere, definire aedium ſitum ac locum foſſa facta, in quem fundamentum immittatur ſeu crepido. Male de aratro cogitant.

426. *Iura* ſunt iudicia, vſu ſollenni, adeoque h. l. ipſi iudices. Habentur igitur *comitia creandis iudicibus, magiſtratibus et ſenatoribus*. ita equidem interpretor. Nam ſi *iura* loca ſint, vbi ius dicitur, durum ſic, *legere iura;* et quid tum, *legere magiſtratus? ſena-*

Hic portus alii effodiunt; hic alta theatris
Fundamenta locant alii, inmanisque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate noua per florea rura

Marone. v. not. Nisi conflictus ille fuit alia manu ex 507 vbi Dido *Iura dabat legesque viris.* 427 *Hinc* sec. Hamb. *portas* Montalb. et Leid. cum al. etiam ap. Pier. Sed de his iam v. 422. *fodiunt* qu. Moret. *lata* fragm. Vatic. Desidero vtique aliud epitheton pro *alta*, quod tertio versu iterum legitur: in quo offendebatur quoque b. Schraderus; etiam Iortin (*Tracts* Vol. II p. 463.) *theatris* lectio est fragmenti Vaticani; porro codicis Romani cum tota familia, quae eum sequitur; et hoc Heins. praetulit. Alteram ducit Mediceus, *theatri*, quod Burm. reuocauit, quia non verisimile sit, vt in noua vrbe theatra exstitant. Si tamen ad hanc subtilitatem descendere velimus, theatri mentio hic omnino nulla fieri debebat. v. not. Sed alterum est magis epicum. 428 *Fundamenta petunt* alii ap. Pier. etiam fragm. Vatic., quae alterum in marg. habet. 429 *exscindunt* Zulich. 430 *florida* pr. Moret.

tum? Debebunt scilicet et hi pro *curiis* positi intelligi, h. e. pro locis, vbi illi conveniant. Burmannus *iura magistratusque* magistratus iuridicos, qui ius dicant, explicat. Sed cogitandum erat, Aeneam de monte prospicientem ea omnia, quae hic ponuntur, oculis suis cognoscere. Vnde igitur intelligere e longinquo poterat, magistratus iuridicos nunc legi? Si mecum omnino ad *comitia*, quae habentur, referas, tolerabilis saltem est ratio. Sed vel sic hic versus inter reliquos quasi alienigena aliquis habitat; quandoquidem neque grammatico aliquo vinculo caeteris adnectitur, nec sententia ipsa colligatur; nam reliqua omnia ad aedificia noua, quae excitantur, spectant.

427 — 429. An theatri structuram Phoenicibus recte, atque adeo in ipso rerum initio, dederit, viderit poeta: Graecarum sane ciuitatum coloniis hoc accommodatius. Sed res praeclare ob oculos posita. Portus *cothon* dictus proprio nomine ap. Liu. et al. v. Bochart Chan. I, 24.

430 — 436. Expressa ex Georg. IV, 163 — 169, vbi v. quae ad interpretationem

Exercet ſub ſole labor; quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas;
Aut onera adcipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus a praeſepibus arcent;
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam moenia ſurgunt!
Aeneas ait, et faſtigia ſuſpicit vrbis.

431 *gentis adultae* Hamb. ſec. Traducta nonnulla e Ge. IV, 163 ſqq. 432 *excidunt* Graeu. a m. pr. *perducunt* Oudart. an *producunt?* addit Burmannus. Sed *educunt* ex aluearíis; et Macrob. V Sat. 2 defendit. *et conliquentia* Goth. tert. *ſtillantia mella* Hamb. pr. cf. Ge. IV, 164. 433 *distentent* malit Cuning. ſed v. ad Ecl. IX, 31. adde Ge. IV, 164. *aut d.* Zulich. 434 *excipiunt* Bigot. 436 *Fragrantia tecta* malit vir doctus in Obſſ. miſc. crit. T. II, p. 29, quia *mella* iam v. 432: ratione parum idonea. cf. Burm. *flagrantia* etiam hic codd. vt alibi; ſic Goth. tert. 438 *ſuſcipit* tres ap. Burm. c. Goth. pr. *conſpicit* Hamb. pr. *proſpicit* Vratisl. meraé vtique aberrationes. Aedificia alta et excelſa *ſuſpicimus* proprie. Commode itaque poeta hac voce vſus eſt, vt altitudinem aedificiunt, inprimis de mellificio, cf. Aen. VI, 707. 8. 9. Comparationem, quam mireris cuipiam displicere potuiſſe, aduerſus H. Stephanum diſſ. de Criticis p. 111 defendit Burmann. Praeiuerat Homerus Iliad. β, 87—90. Deeſt quod τῷ comparanti *qualis* pro qualiter, quomodo, reſpondeat: *tales*, eodem modo. *ſub ſole* Burm. vult eſſe, ſole oriente, ſummo mane. Georg. IV, 185 *mane ruunt portis*. Sane ita res fert; nec intercedo, quo minus ſic accipias. Alioqui *ſub ſole* per ſe eſt, ſimpl. interdiu, per diem. Ita nec *ſub die, ſub nocte*, tam anguſte accipitur a poetis. Ouid. Met. I, 602. 3. *Et noctis faciem nebulas feciſſe volucres Sub nitido mirata die.* Supra quoque Ecl. II, 13 *ſole ſub ardenti* aliter dictum non eſt.

437. Egregie ad affectum haec exclamatio! quid enim his rebus conſpectis Aeneae per maria et terras erranti, vt nouam ſedem quaereret,

Infert se saeptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris; neque cernitur vlli.
Lucus in vrbe fuit media, laetissimus vmbrae,
Quo primum, iactati vndis et turbine, Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno

ficiorum eo ipso subiiceret animis. Hinc etiam *fastigia vrbis* dixit pro tectis. 439 *se saeptum* alter Menag. at vide ad 314. 440 *viros* Bigot. et vnus Heins. Et sic iam Pierius fuisse memorat, qui legerent: *Per medios miscetque viros* sc. se. 441 *vmbrae* tamquam exquisitius recepit et docte illustrauit Heins. Adde Markland. Ep. crit. p. 121. Vel Probi auctoritas in Seruianis, et latius in Pomponio Sabino, satis erat grauis; accedebat Codex Montalb. et inter Burman. codd. Bigot. et tert. Mentel. a m. sec. Vulgo *vmbra*. 443 *effudere* vitiose Exc. Burm. *locum signo* ed. Ven. ap. Maittair. *quo r. I.* Leid. et Voss.

noua vrbe condita optabilius videri debuit!

439. 440. Obserua, quomodo in singulis vulgarem formam euitauerit; etiam ipso graecismo: μίσγεται ἄνδρεσσιν, immiscet se turbae, nec cernitur ab vllo, ἔδενἱ ὁρᾶται. Confer tamen Homerica Od. η, 37—42.

441. Praeclare poeta hoc adornauit, vt epica dignitas inesset omnibus, quod Didonem conuenit Aeneas in templo, ad quod eum via ipsa duxerat; regina autem in eius vestibulo pro tribunali sedens, negotia publica curat. Templum in luco conditum, ex vetere more; et quidem *eo in loco, quo* portentum se obtulerat terram fodientibus, caput equinum, pro omine acceptum. 443. *Signum*, omen intelligam. *Ostentant caput effossa tellure repertum Bellatoris equi, atque* omen *clamore salutant*, Silius II, 411. seruatum inde in numis Carthaginiensium *equi caput*. v. c. Raschii Lexic. numismat. voc. *Carthago*. Poetam agnosce in hoc, quod non simpliciter inuentum, sed *a Iunone monstratum*, obiectum fodientibus, narrat. *Sic nam* (per hoc *signum*) portendebatur, fore Poenos gentem bellicosam (cf. inf. III, 539 sq.)

Monſtrarat, caput acris equi; ſic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per ſaecula gentem.
Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine diuae:

444 *Monſtrabat* Gud. Zulich. Graeu. *monſtrauit* Montalb. et Hamb. alter. *monſtraret* fragm. Moret. *ſignam* (ex *ſic nam*) et ab alt. manu *ſignum* Gudian. *ſignum* tres al. ap. Burm. et iam ap. Pierium. 445 *facilem victus* coni. olim Burm. ad Val. Fl. VI, 323, ſed *victu* eodem ſenſu accipi poſſe ad h. l. fatetur. Eſſet tamen alterum elegantius. Turbas, de quibus in Exc. ad h. v. egi, fecit in hac forma, quod permutata fuit cum altera illa, quaſi *facilis victu* eſſet dictum ac *facilis viſu, auditu, cognitu.* ductum quoque illud modo a *viuere*, modo a *vincere:* vnde fuit vir doctus, qui *haud facilem victu* corrigeret. Sed *victu facilis* ducendum erat ex *victus facilis.* Qui victum habet facilem, is *victu facili eſſe*, et exquiſitius *facilis victu* vel *victus* dicitur. Gens *victui facilis* iterum diuerſum quid deſignaret, vt vel exemplo intelligas: *ager pecori facilis*, qui praeclaris ſuis paſcuis pecus facile alit.

et *facilem victu*, hoc eſt, quae habitura eſſet victum facilem et expeditum, annonam affluentem ex agrorum vbertate et cultu. De hoc v. Excurſ. XIV ad h. v.

446. *Templum donis opulentum et numine diuae.* *dona* de vaſis, vtenſilibus totoque apparatu ſacro intelligo: *numen* cum Seruio accipio de ſimulacro deae ex auro aliaue pretioſa materia facto, quod τὸ *opulentum* poſtulare videtur; (nec tamen ſic *numen* eſt ſimulacrum, ſed *numen diuae* pro *diua*, et haec ad ſimulacrum refertur). Alii *numen* eo referunt, vt numinis praeſentia horrorem intrantibus incutiat, quod Burmannus mallit. Ita vero *opulentum* paullo durius dictum. Ad magnificentiam templi, in quo condendo occupati erant Poeni, declarandam magis idonea eſſe videtur prior interpretatio; neque omnino in templo exſtruendo numinis praeſentia operis faciendi pars eſt.

Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque
Aere trabes; foribus cardo stridebat aenis.

448 *nixae* multos legere iam Seruius notauit. Eandem lectionem codices a Burmanno enumerati habere videntur, non, *nexae*: *Trabes aere nixae* Catroeo arriserunt, vt sint columnae aeneae epistylio subiectae, quod adeo columnae ex aere innititur: vti constat *capitulis aereis columnas* vsitatas aliquando fuisse. cf. Plin. XXXIV, 7. Enimuero de portarum postibus agi ea, quae vtrinque adiunguntur: *surgebant limina — foribus cardo st. a.* satis declarant. Possent et ipsi postes aeneis basibus innixi dici: verum sic de limine bis poeta memoraret. 449 *cardo str. ahenus* vir doctus legit Miscell. Obss. Voll. II T. I p. 85, inutili plane emendatione.

448. 449. Ad heroicorum temporum magnificentiam pertinet, quod omnia ex aere fecit. Vnam laudabo Alcinoi regiam Odyss. η, 86 sqq. Homerus eandem elegantiam ad deorum sedem, Olympum, transtulit. Quid? quod Romae talis magnificentia erat frequens, cuius adhuc in Pantheo vestigia deprehenduntur, vt Spencius bene monuit. Ornatissime autem singula extulit. *Aerea gradibus surgebant limina*, h. e. limen erat ex aere: seu vt *limen* pro foribus dictum accipias, seu vt *proprie* dictum sit, id quod malo; quia fores mox memorantur. *Surgere* non modo aedificium, sed et singulae partes dicuntur, quae in eo sunt, inprimis editae et altae: surgunt itaque limina gradibus, per gradus, siunt subiectis gradibus per quos ad ea adscenditur. Sed quid est alterum: *nexae aere trabes surgebant? trabes* haud dubie sunt postes; *aere nexae* vulgo sic accipi videas, vt *postium*, h. e. trabium ex ligno, v. c. abiegnarum, vincula et claui seu vnci sint ex aere. At hoc pro reliqua templi magnificentia quam esset ieiunum: quod recte sensit Catroeus. Alii indutos postes aereis laminis intelligunt; at nec hoc siue sensui siue iudicio nostro satisfacit. *Nexas aere trabes* putabam olim dictos postes aeneis cardinibus iunctos; idque patere vel ex Claudiani imitatione XXXIII, 237 *ferrati postes; immensaque nectit claustra chalybs*, h. e. ex chalybe erant cardines immensarum

Hoc primum in luco noua res oblata timorem
Leniit; hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus, et adflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit vrbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem,

450 *Hic* tres ap. Burm. *in templo* Puget. *res ablata* Hamb. pr. 451 *Hoc* primum (sc. in luco) Longob. Pierii. *spectare* Zulich. Goth. tert. 455 *labores*, quod in vulgaribus nonnullis edd. vsitur, duo Goth. Menag. pr. et sic alibi variatur. v. Burm. Vide porro annon accuratius distinguatur: *dum, quae s. sit vrbi, artificumque manus inter* se, (sc. quae sint) *et* (dum) *o. l. miratur.* Sed *miratur manus inter se* est exquisite, sc. dum *inter se comparat.*

valuarum. Non videram verborum ordinem esse hunc: *nexaeque* liminibus, adiunctae et impositae limini *trabes*, postes, *surgebant*, erant ex, *aere*. Tandem *foribus cardo stridebat aenis*, h. fores erant aenae. Quod autem toties materiam repetit, facit Homeri exemplo. cf. Burm. ad Ouid. II Met. 107.

452. *Afflictis melius confidere rebus.* de *rebus afflictis* explet Seru. et caeteri. Sed et absolute sic ponitur etiam apud Ciceronem; nunc *magis* fiduciam habere fortunae suae coepit, bene de ea sperare.

455. *Artificum manus* h. e. opera, et *operum labores*, opera affabre elaborata. *inter se*, dum varii generis et artificii opera *comparat*. Picta autem in pariete fuisse ea putanda sunt, quorum argumentum mox exponitur, area dispertita in plures areolas, quae singulae singula argumenta capiebant. Commemorantur ex iis *septem*, obseruatu etiam pictorum ingeniis digna: 1) pugna Troianorum et Achiuorum, fortuna varia. 2) Rhesi noctu oppressi caedes. 3) Troilus fugiens. 4) matronarum Troianarum pompa peplum in Palladis templum deportantium. 5) corporis Hectorei

Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et saeuum ambobus
Achillem.
Constitit; et lacrimans, Quis iam locus, inquit, Achate,

457 *Volgante* Sprot. 458 *Atridem* Seneca Ep. CIV, forte ille cauſſae, inquis, quam ibi agit, ſeruiens. *Atridam* Bigot. et *Atridem* ex Seneca Cerda recepit. *Atriden* etiam Cuningham. Iam ſi rationes criticas audias, leuior iſta eſt auctoritas, quam vt ei aliquid tribui poſſit. Poſſunt tamen altera ex parte librarii videri reposuiſſe pluralem *Atridas* tamquam ſibi notiorem; cum non viderent, durum eſſe et inſolens, vt *ambobus* ad tria capita referatur; tum vni tantum Atridae, Agamemnoni, ſaeuum fuiſſe Achillem, non vtrique. Studioſe tamen poeta *ambobus* poſuiſſe videtur, cum *ſaeuum cuſpide Achillem*, vel alio modo dicere potuiſſet (locum Homer. Odyſſ. ϑ, 335—339, poſſit aliquis pro exemplo laudare, nam et ibi νεβροὶ cum matre cerua in ἀμφοτέροισι ſpectati videri poſſunt; ſed himnulos ibi poeta binos a matre relictos ponit). *ſaeuum* Moret. qu. *Priamum ſaeuumque* Voſſ. *ferumque* Goth. alt. *Achillen* Probus et Cledonius Grammaticus, vt Doruill. et al. 459 *Quis non* Bigot. *quis nam* Leid. vnus. *qui* Cuning. edidit e cod. Mark.

redemtio. 6) pugna Memnonis. 7) pugna Amazonum ad Troiam. Occurrere autem in pluribus tabulis Achillis perſona debuit, modo in acie pugnans, modo Hectoris corpus Priamo reddens, modo Troilum caedens, modo Memnonem, modo Pentheſileam. De caeteris v. Excurſ. ad h. v. 458. *Saeuum ambobus Achillem; ſaeuus* fuit in Priamum, Hectore caeſo; in Agamemnonem ſaeuiit ira et peruicaci odio propter ereptam Briſeidem: itaque ſaeuum omnino accipiam, exquiſite pro infeſtum, iratum. (nam *ſaeuus* poetis de iracundo). Si *Atridas* recte legitur (v. V. L.) *ambobus* ita poſitum eſt, vt *et illos et hunc*, adeoque tres, deſignet; etſi non ſine exemplo, cum alterum nomen collectiuum ſit duorum. Si tamen alteri ex Atridis infenſus fuit, quidni et fratrem odio habitum dicat poeta? Vt *ambobus* de vtroque ex-

Quae regio in terris noſtri non plena laboris? 460
En Priamus. Sunt hic etiam ſua praemia laudi;
Sunt lacrimae rerum; et mentem mortalia tangunt.

460 *in* omittunt tert. Mentel. et Regius, hic cum gloſſa: *ſcilicet in. noſtris* ed. Iunt. — *in noſtris terris* alter Menag. 461 *ſunt hic et* Franc. *haec* Parrhaſ. 462 *En lacrimae* Parrhaſ. Heinſ. in ora cod. ſui mutauerat diſtinctionem: *ſunt lacrimae: rerum et m. m. t.* Arridebat hoc Burmanno, vt *mortalia rerum* ſint, res mortales; quod illuſtrat. Et hoc quidem ita dici poſſe, nemo dubitet. Sed primum illud durum, quod interſertum ita datur: *rerum et mentem mortalia.* Senſiſſe hoc videtur ipſe Burmannus; itaque apponit alterum: *ſunt lacrimae, et rerum m. m. t.* Tamen vel ſic manet alterum, quod monere volebamus, vt illud nude poſitum: *Sunt lacrimae,* ſibi quid velit, non videas. Tentabat idem vir ſagaciſſimus: *et gentem mortalia tangunt;* ita vero poetica vis plane iugulatur. Scilicet accidere hoc noſtrum cuique ſolet, vt ſemel offuſa menti nube in ſudum emergere nequeamus. Burmanno ſenſu carere videbatur illud: *lacrimae rerum.* Sed *res* ſimpliciter pro rebus humanis, caſibus mortalium, atque etiam de rebus aduerſis paſſim dici, virum doctiſſimum non latebat; vt in illo *quantum ſpes vltima rerum libertatis habes?* Lucan. VIII, 454. *tanta homines rerum inconſtantia verſat* Ouid. Met. XIII, 646. Rebus humanis ſi illacrimamur, ferunt illae et accipiunt lacrimas, quae ipſis debentur; ſunt *illis* lacrimae; et doctius: *ſunt lacrimae rerum.* Imitatus haec Valer. Fl. I, 723. 4. ſed alium in ſenſum. Pelias vindictam de Iaſone ſumturus: *Sunt hic etiam tua vulnera, praedo; ſunt lacrimae carusque parens.* h. eſt hic, quo lacrimae tibi exprimi poſſint, parente necato.

ercitu accipiam, nihil praeceſſit, quod, vt faciam, inducat me.

460. *Noſtri laboris* pro, laborum, πόνων. h. e. famae de noſtris calamitatibus. Eſt autem hoc rhetoricum. Ap. Seuerum in Ethopoeia III in Gale Rhet. ſelect. p. 222 Hercules: τόπος ἀδεὴς τῶν ἐμῶν ἀμάρτυρος πόνων καθέστηκε. 461. *Laudi* pro virtute et rebus geſtis, quae laudem merentur, vt ſaepe. v. Cerd. et Burm. ſcil. ex Homerico κλέος. vt contra ἀρετὴ pro laude ſaepe apud Pindarum. Virtuti etiam hic honos ſuus habetur. 462. *Sunt* etiam hic *lacrimae,* h. e. miſeratio, *rerum;* deflentur res, h. e. caſus humani; ſunt hic pectora, quae lacrimas impertiant caſibus et calamita-

Solue metus; feret haec aliquam tibi fama ſalutem.
Sic ait, atque animum pictura paſcit inani,

463 *metum* multi ſcripti et editi. ſcilicet hoc vulgare et pedeſtri orationi magis conſentaneum. Ita etiam doctius dixit: *ſoluere metum* quam *ſoluere metu* ſc. animum. *ſert haec* Franc. v. Burm. 464 *Hic ait* Franc.

tibus aliorum. *et mentem mortalia tangunt*, et res humanae caſusque, quibus iactari ſolent mortales, afficiunt hominum, qui has terras inhabitant, animos miſeratione. Tali interpretatione ſatis lucis affuſum verſibus videtur; niſi fallimur. Illud vero praeclarum, quod humanitatis cultum ex conſpectis artis operibus, ex eorumque argumentis, colligit; paullo aliter quam Ariſtippus, qui, naufragio ad Rhodum cum enataſſet, conſpectis in littore figuris geometricis, bono animo eſſe iuſſit comites, hominum enim ſe veſtigia videre: Vitruu. VI, praef. Imitationem loci habes in Val. Flacco lib. I, 723. 724. Iam 463. *Haec fama*, quod Troianorum calamitates in his ipſis terris innotuerunt, hoc nobis horum hominum animos reddet propitios. Sed, cum maiore beneuolentiae ſignificatione, ad Achatem amicum retulit: *tibi*.

464. De *pictura* v. Exc. ad 453. *paſcit*, βοσκεῖ. vt ſpe vana *paſci* dicimur. *inanem* appellat epitheto ornans a natura artis, non ipſas res, ſed rerum imagines quocunque modo repraeſentantis, petito. Caeterum in ſeqq. obſerua artificium poetae in deſcriptione rerum et h. l. quidem tabularum, quando v. 474 tempeſtiue transit ad eam orationis formam, qua res quaſi ante oculos geri videntur, non pictae adſpici. Mox *largoque humectat flumine vultum* ad noſtri ſermonis morem non eſt exigendum: non magis, quam Homericum, δακρυχέων ὥστε ῥήγνη μελάνυδρος· et *humectat* eſt exquiſite pro irrigat; neque adeo *humectat* ieiunum putandum poſt, *largo flumine*. Tum *multa gemens*, πολλὰ στενάζων. Habuiſſe autem inter Graecos videtur poeta, quos in hoc loco ſequeretur. Apud Ariſtot. enim Poet. c. 13, al. 16,

Multa gemens, largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, vti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuuentus;
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria velis
Adgnoscit lacrimans; primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus;
Ardentisque auertit equos in castra, prius quam

467 *Grai* Mentel. 468 *Ac* nonnulli ap. Burm. 469 *haud* vel *non p.* Gud. *haud* etiam Montalb. et tert. Rottend. pro *niueis* Graeu. *iuuenis;* librarii errore. 470 *adgnoscit* scriptum cum Medic. et Gud. hic et al. vt inf. 438, consentiente adeo Vaticano fragm. *agnouit* Zulich. *dedita somno* Zulich. frustra. nam proprie poetis: *prodi somno*, et cf. Heins. 471 *Vastauit* alter Hamb. *cruentis* alter Gud. 472 *albentes — equos* sec. Moret. habet; quem sane colorem constanter Rhesi equis tribuunt Homer.

l. 15, 3, inter agnitionum genera in tragoedia etiam est ex Dicaeogenis Tragici Κυπρίοις (fabula erat οἱ Κύπριοι, a choro inscripta) aliquis, qui ἰδὼν τὴν γραφὴν ἔκλαυσεν — ὅθεν ἀνεγνωρίσθη.

465—468. Respicit potissimum pugnam Patroclo occiso factam, cum versus castra fugerent Achiui insequentibus Troianis et instante Hectore, Iliad. ρ, quo facto die sequenti Achilles nouis a Thetide acceptis armis prodit et Troianos fugat, Hectorem occidit Iliad. τ — χ. Cum adeo Rhesus mox sequatur, noluisse poeta temporum ordinem seruare dicendus est. Cum v. 467 bene comparant Iliad. ξ, 14 Τὰς μὲν ὀρινομένας, τὰς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν et Iliad. ο, 7. In *cristatus* v. 468 Servius vim quaerit; nam secundum Homerum in Achillis cristis terribile quiddam fuisse Iliad. τ, 380. Verum id quidem; sed, vt ab caeteris armis, ita a galea et crista saepe petunt epitheta poetae. Sic κορυθαίολος Ἕκτωρ.

469—473. De Rheso Iliad. κ, 433 sqq. 470 sqq. *tentoria primo somno prodita*, h. e.

Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.

l. l. 437 τῶ δὴ καλλίστω ἵππω ἴδον, ἠδὲ μεγίστω· Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Et sic Rhesi drama v. 304 Πώλων — χιόνος ἐξαυγεστέρων. cf. 616 — 619. Sed sic *candentes* equi erant dicendi vt XII, 84. Homericum transtulit, *qui candore niues anteirent, cursibus auras.* et Epit. Iliad. 735 de Rhesi equis: *multo candore nitentes.* Nam *albus* color minus gratus Georg. III, 82 *color deterrimus albis.* An poeta euitare voluit concursum τῶν: *niueis velis et candentes equos*? Itaque *ardentes* dixit, forte illa Homeri sectatus v. 547, vbi equi hi Αἰνῶς ἀκτίνεσσιν ἐοικότες ἠελίοιο? Quamquam et hoc ipsum *candore* potius fuisset exprimendum. Verum probabile sit, insedisse poetae animo ἵππους αἰθωνας Homero dictos β, 839 et μ, 97. incerto tamen et ibi sensu: referunt enim illud et potest referri ad splendorem, ad colorem, ad ardorem animorum. Aut itaque manendum est in hoc, vt *ardentes*, acres, alacres, impetuosos accipiamus; vt *calentes, igneos*, aut, quod mihi plus quam probabile videtur, scribendum *candentis*: priore littera extrita restabat *andentes*, vnde factum *ardentes*. Porro *arbentes* a m. sec. Hamb. prior habere dicitur. Videtur et is *albentes* a prima manu agnouisse. Idem *euertit* habet, et alii ap. Burm. *aduertit*. male. *Auertere* de praeda abigenda satis frequens, vt h. l. Burm. Drakenb. ad Sil. III, 311, et al. v. inf. X, 48.

Thraces in tentoriis cubantes. Pulchre autem somno tributum τὸ *prodere*, quod per somnum factum. *Diomedem* sine Vlysse nominare, liberum erat poetae. *niveis tentoria velis.* De his vid. Excurs. ad h. l. Dixit ea poeta deserto priscae aetatis more: erant enim Achiuorum et Troianorum κλισίαι potius tuguria, stipitibus viminibusque intertextis, et terrae aggere munita. *ardentes equos* acres dixit; si loquendi vsum audias. Si de colore accipias, quod durum esse puto; non *candentes* cum Sernio, sed *fului*, αἰθωνες, essent. at hoc repugnat Homero et Euripidi. v. var. Lect. *auertit* est abigit exquisite; non, intercipit. 472. 473. Fatale hoc fuisse siue Rheso siue Troianis, si equi gustassent herbam et aquam Scamandri, Homerus non habet; vt ex poetae lectione promtum cuique esse potest; neque is, quem Euripidem non esse nuper post alios euicit Valkenarius, et Beckius, V. C. auctor Rhesi. Nam v. 600 — 604 vix eo referre possis. At memorat eam rem, tamquam oraculo

Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque inpar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic ceruixque comaeque trahuntur
Per terram, et versa puluis inscribitur hasta.
Interea ad templum non aequae Palladis ibant

475 potest per parenthesin interpositus accipi. Olim ap. Seruium interpunxere quoque *Infelix*! *puer atque impar congressus Achilli.* 477 *tenens tantum* Montalb. Quintilianum VII, 9, 7 mireris dubium facere, sitne *tamen* ad *tenens* an ad seqq. trahendum. *tenet* aliquot ap. Pier. male. *Hinc* duo Burm. 478 *versa* est κεκλιμένον δόρυ· a *verrendo* duci nequit. Sic enim *puluis* verritur, non *hasta*.

proditam, Eustath. et Schol. ad ν, 435, nec non Seru.

474—478. De *Troilo* v. Excurs. ad h. v. Congressus hic Priami filius in curru cum Achille, ante Iliadis tempora, vulnere accepto exciderat curru, pedibus inter lora impeditis, ita vt supina ceruice traheretur, *armis amissis*, clipeo ex manu dimisso; nam hastam tenebat, sed inuersam, vt adeo per terram tracta illa sulcos faceret. Non enim accedam Seruio, qui Troilum hastam Achillis, qua transfixus erat, vulneri inhaerentem traxisse ait. Aliter enim enuntiata essent illa: *et versa puluis inscribitur hasta.* Obserua autem poetam recedere a more Homerico, quo heroes, qui pugnant de curru, habent alium qui regat equos; nam Troilus solus et pugnare et regere equos debuit. Notandus quoque locus propter monumenta artis priscae, in quibus heros bigis fertur habenas et clipeum, vel habenas et hastam tenens.

479—482. Ex Iliad. ζ, 269—312, vbi Heleno monente Hector ad vrbem regressus Hecubam ad Minervae templum in acropoli Troianarum matronarum *(Iliadum)* pompam ducere, donariique loco deae peplum egregie elaboratum consecra-

Crinibus Iliades paſſis, peplumque ferebant
Suppliciter triſtes, et tunſae pectora palmis;
Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat.
Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo:

480 *Sparſis* multi a Pierio et ab Heinſ. inſpecti, et ed. Ven. Sed, *ſparſos* crines furentibus, ſupplicibus *paſſos* conuenire arbitratur Burm. 481 neſcio an melius *ſuppliciter ferebant* iungas. *tonſae* al. *tonſis* Parrhaſ. 482 *aduerſa* multi. 483 *tractauerat* alii ap. Conrad.

re iubet, vt Diomedis impetum illa reprimeret. *Interea* non ad tempus poſſe referri in aperto eſt; ſed inter caetera tabularum argumenta, ecce, occurrit hoc, quod — *non aequa*, iniqua, Troianis infenſa, irata Pallas. *Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat*. quippe in pictura expreſſa. at in narratione poetae Hom. l. c. v. 311 Ὣς ἔφατ' εὐχομένη, ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη. Sed in Virgilio vt picturae accommodatior, ita ſuauior rei imago eſſe videtur, *auerſa* dea facie, *oculis in terram fixis*, quam in Homero *renuens caput*. Peplum autem illud interdum deae ſigno iniiciebatur pro amictu, v. c. ap. Statium Theb. X, 65. 66. interdum tantum ad genua apponebatur; vt apud Homerum l. c. et ſic Athenis in Panathenaeis Mineruae; cf. inf. ad Cirin v. 21 ſeq. Iunoni Olympiae et ſic porro. cf. Excurſ. de Palladio inf. ad II, 293.

483—487. Nouum argumentum in pariete expreſſum: *redditio corporis Hectorei*, ex Iliad. ω. Bene vel ad artis rationem: *raptauerat*; nam hoc anteceſſerat, et corpus lacerum et foedatum immanem eam contumeliam vel in tali opere arguere poterat. Expreſſum autem putetur Achillis tentorium, ipſe Achilles ſedens, *ſupplex ei factus Priamus* (vide Iliad. ω, 478 ſqq.) et diuinum illud: Μνῆσαι πα-

Vt ſpolia, vt currus, vtque ipſum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conſpexit inermis.
Se quoque principibus permixtum adgnouit Achiuis,

486 *Currum* fragm. Moret. et Hamburg. pr. ſed magis poeticum: *currus*, vt ap. Homer. ἄρματα. *curſus* Hamb. alter. *atque* alii. male. 487 *conſpectat* Voſſ. Non bene cum Burmanno tollas diſtinctionem poſt *inermis*, vt continues proſaica aliqua forma: *vt conſpexit* et ſe *quoque agnouit*. Porro *inermem* Goth. alter. 488 *agnoſcit* praeſens tempus picturae conuenientius arbitrabatur Ge. Fabric. idque iam v. 470 vidimus. Et hoc habet Romanus, cum fragm. Vatic. teſte Bottario p. 170, vt adeo, ſi auctoritatem ſequaris, quod etiam Cuning. feciſſe videmus, recipiendum ſit, cum totus orationis tenor id flagitet. Nec minus tamen ferri quoque poteſt alterum, *adgnouit*, et variaſſe videri poteſt poeta. Sic et cenſebat Brunck.

πρὸς σεῖο — iamiam fari incipiens; in conſpectu, adducta a Priamo redimendi corporis pretia; ἀπερείσι' ἄποινα (— χρυσῷ δὲ σήσας ἔΦερε δέπα πάντα τάλαντα. vnde v. 484 *auro corpus vendebat Achilles.*) adſtant alia ex parte *ſpolia*, h. e. arma, quibus caeſum Hectorem ſpoliauerat victor, *currus*, cui illigatum eum raptauerat, et *ipſum corpus amici*, ſc. Hectoris, ex curru ſupinum, pulueri incumbens, quod die quoque orto ter circa Patrocli tumulum ductare ſolebat Achilles. v. Iliad. ω, 14 ſqq. Si ita repraeſentata ſingula fingas, nihil iam eſt, quod cum Conrado, Burmanno aliisque vel deſideres vel haereas. Poſſis et illa 485—487, diuerſum aliquod opus facere, *raptationem caeſi Hectoris*, non illam circa muros factam, ſed hanc, qua ad naues oneratum ſpoliis et cadauere alligato currum agitaret victor; ex Iliad. χ, 395 ſqq. (cf. Dictys III, 15, 16) non tamen, vt arbitror, ſatis commode. De decurſu Achillis circa vrbem *ter* facto v. 483 vide Excurſum. 487. *Manus inermes* noli inertem putare ornatum. Nam eo ſpectat, quod intrauerat hoſtilia caſtra ſupplex ad genua Hectoris procubiturus. Totus hic locus eſt ex feliciſſimis.

488. Cum Achiuis *permiſtum* praelio, προμάχοις μι-

Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens, mediisque in millibus ardet
Aurea ſubnectens exſertae cingula mammae
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,

490 *duxit* Menag. pr. et Zulich. *ducit* etiam Schol. Stat. et Nonius habet. v. Burm. In v. 491, 492 diſtinctionem in fine verſuum ſuſtuli. 492 *Exſectae* codd. ap. Pier male. cf. Aen. XI, 649 et 803. 494 *haec cum* Doruill. et ita Rufin. ap. Burm. Idem *Aeneae* pro

χθέντα, ſeu pugnantem, Aeneam ſaepe ap. Homer. invenias, inprimis Iliad. ε et υ· at h. l. ad ſeriora tempora reſpicitur: v. Exc. I* ad Aen. IX.

489. Agnouit Memnonem pugnantem, quod autem *nigrum* appellat et *Eoas acies* memorat, id eo pertinet, quod, quandoquidem auxilia ex terris ab oriente ſitis, quae tum ſub Aſſyriorum ditione fuiſſe videntur, Aurorae ille filius adduxit, re in maius aucta, Indos et Aethiopes adduxiſſe fabuloſe dicitur. Vide Excurſ. ad h. l.

490—493. De Amazonibus duce Pentheſilea auxilium Ilio ferentibus v. Quintum Smyrn. libro I. et de Amazonibus artificum operibus expreſſis v. Excurſ. ad h. l. *peltae lunatae* proprie Amazonum fuere. *ſubnectens cingula mammae*, ſ. mammis, exquiſitius quam *ſubnectens*, ſubnexam habens, *mammam cingulo*, ſ. balteo, quem in monumentis videre in promtu eſt. Dextra ſcilicet papilla erat nudata. Nota omnia. Loca claſſica ap. Strabonem ſunt lib. XI et XII. vid. Petitum omnino *de Amazonibus*. cf. inf. ad XI, 649. *ardet*, furit, fortiter pugnat, *mediis in millibus*, doctius quam in turba vel acie. *audetque viris concurrere virgo* ex Homerico — Ἀμαζόνας ἀντιανείρας Iliad. ζ, 186, γ, 189, natum videri, notarunt iam alii. Totus hic de Amazonibus locus eſt pulcherrimus.

494 ſqq. Interea, dum miranda haec opera contem-

Dum ſtupet, obtutuque haeret defixus in vno:
Regina ad templum, forma pulcherrima, Dido
Inceſſit, magna iuuenum ſtipante caterua.
Qualis in Eurotae ripis, aut per iuga Cynthi,
Exercet Diana choros; quam mille ſecutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas ſupereminet omnis;

ab Aenea poſitum eſſe docet. Recte, ſi quid video. Nam, ſi exponas: *ei videntur eſſe miranda*, pedeſtrem habeas orationem, non poeticam. 495 *obtuituque* duo. *diffixus* pr. Rottend. *in imo* duo Goth. frequente lapſu. 497 *iuuenum magna* Sprot. *comitante* poſt Romanum Menag. pr. Hamburg. pr. *Iuuenes* Tyrios principes eſſe, nil dubites cum Burmanno. 499 *ſecuntur* Parrhaſ. 501 *ingrediensque* ap. Macrob. ſcripta nonnulla; ſed v. Heinſ. *gradiensque dea* ex ſcriptis Giphan. Ind. Lucret. et Rom.

platur Aeneas, dum ab eo *videntur*, inſpiciuntur, et dum vnice intentus in ea quae intuetur: Dido aduenit. Cum hac oeconomia rerum cf. laudatum locum Odyſſ. η, 133 ſqq. et de v. 498—503. v. Exc. ad h. v. Comparatio eſt ſplendida Didonis cum Diana, quam tractauit poeta poſt Homerum Od. ζ, 101 ſq. et Apollon. Rh. III, 875 ſqq. II, 938. *qualis*, pro qualiter, quo habitu; pro qualis eſt, cum *exercet choros*, ducit, inſtituit. Frequentantur autem a poetis Nympharum chori, ducente eos Diana. Colebatur illa praecipuo cultu Lacedaemone et in Delo inſula. *Illa pharetram fert humero:* debebat iunctum eſſe: *ferens gradiensque*; adiecta autem haec ſapienter, obuerſatur quippe oculis noſtris extans inter caeteras dea humeris tenus. Decus autem eius potenter declarauit poeta per tacitam laetitiam matris Latonae: *tacitum pertentant gaudia pectus*, h. e. gaudia tacita. Sic IV, 364 *totumque pererrat luminibus tacitis.* Etiam *pertentant* feliciter pro, ſubeunt; cf. lib. V, 828. Ge. III, 250.

Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus diuae, media testudine templi,
Saepta armis, solioque alte subnixa, resedit.
Iura dabat legesque viris; operumque laborem
Partibus aequabat iustis, aut sorte trahebat:

cum al. ap. Pierium, it. Goth. alt. Sed maior vis in *deas*, et absorptus sibilus sequente littera. 502 *Latonae et* vn. Heins. et Parrhas. male. *praetentant* pr. Hamb. *pertentat* duo Heins. 504 *opere* Rom. a pr. m. 505 male iungunt alii post Seruium: *instans o. r. futuris*, *Tum foribus Diuae. in foribus* Nonius in *testudines. in media* Parrhas. *media in t.* Goth. sec. Offendebat aures b. Schraderi, *medios* et *media* in binis versibus. Medelam tamen nullam video. 506 *Saeptam* fragm. Vatic. *alto* Mentel. pr. et Moret. sec. vt veteres nonnulli ap. Pierium. Sed *alte subnixa* exquisitius, ad ornandum τὸ *resedit*. Cogita sedes dearum et heroinarum. Sic Helena Odyss. δ, 136 ἕζετο δ' ἐν κλισμῷ, ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἧκεν. *residit* al. male. 508 *ac s.* Hamb. alter. *haut s.* fragm. Vatic. *sorte ferebat* Goth. tert.

504. Vrbem condendam praeclare *opus regnumque futurum* appellat. 505. 506. *Media testudine templi*, h. e. medio templo, latino vsu, quatenus intra fores consederat; cum omnia dicantur *media*, quae sunt post principia, adeoque non sibi repugnant: *in foribus et in media testudine templi. Septa armis*, armatis, satellitibus; quod vulgare est monitu; vt et hoc, *iura legesque dare* nihil esse aliud quam *ius dicere*. In templis senatum cogi, ad fores tribunalia poni, notus Romanorum mos, ad quem poeta hoc respinxit. *solio alte subnixa resedit* ornate. Erant autem throni excelsi, ideoque pedibus subiecta scabella.

507. 508. Opus aedificationis *partiebatur* inter cives suos vel de sententia vel sorte. *sorte trahebat opus* doctius, quam trahere sortem, ducere, ad assignandum opus; sorte ducta opus

Quum ſubito Aeneas concurſu adcedere magno
Anthea Sergeſtumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos aequore turbo
Dispulerat, penitusque alias auexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul percuſſus Achates
Laetitiaque metuque; auidi coniungere dextras
Ardebant: ſed res animos incognita turbat.
Diſſimulant; et nube caua ſpeculantur amicti,
Quae fortuna viris; claſſem quo litore linquant;

509 *tum ſ.* Leid. *iam curſu* alter Moret. *cum curſu* Zulich. Voſſ. *aſcendere* Victorin. ap. Heinſ. 510 *Sereſtum* Montalb. vitioſe. 512 *auexerat*, non, *aduexerat*, meliores ap. Pier. et Heinſ. cum binis Goth. In Medic. *d* appictum ab alia manu. *auerterat* Gud. et duo Rottend. cum fragm. Vatic. *aduerterat* Sprot. et Montalb. *aduxerat* Doruill. et *adduxerat* vnus Pier. *altas* alter Goth. 513 *Obſtipuit* veterrimos ad vnum omnes hic vt et in aliis poetarum exemplaribus (et inf. 613) ſcribere, monet Heinſ. cf. Pier. Etiam ita Romanus; et *obſticuit* vetuſtiſſ. fragment. Vatican. a Bottario editum; idem cum Romano aliisque Pierianis (item binis Goth.) *percuſſus* habet, cum in Mediceo aliisque optimis Heinſianis miro conſenſu legatur *percuſſus*, quod bene reiectum ab Heinſio, cum, *percuſſus laetitiaque metuque*, coniungendum ſit. Malim adeo maiorem diſtinctionem poſt *metuque* ponere. 514 *Laetitiamque metumque* alter Hamb. *laetitiaque auidique metu* Montalb. *contingere* alter Hamb. et Zulich. ac Gud. a m. pr. 515 *animos ſed res* quartus Moret. 516 *quia nube* Menag. ſec. 517 *claſſes* Hamb. pr. *claſſim* Sprot. *quo in litore* vnus Heinſ. *linquent* alter Goth. In *linquant* ſentis continuatam actionem, adeoque pro, *liquerint*, poni potuit. Sic v. 546, 547 *quid* eſt ex τίπτε pro διὰ τί.

aſſignare. Mox 509 *concurſus* aut *cum* plurium concurſatione, aut eſt ſimpl. curſus, accurſus. 510. ſup. 220 ſq. inter amiſſos memorati.

516. *Diſſimulant*, pro vulgari, reprimunt ſe, continent ſe, quo minus prorumpant: quia rerum euentus et praeſentem ſtatum non ſatis perſpectum habebant.

Quid veniant: cunctis nam lecti nauibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Maxumus Ilioneus placido sic pectore coepit:
O Regina, nouam cui condere Iuppiter vrbem,

518 *cuncti*, quod mireris, lectio antiquissimorum fere et optimorum est codd. interque eos Romani, Vatic. fragm. a m. pr. Medicei, qui alias non facile in dubia lectione in idem consentiunt, nec non Seruii et Donati. *cunctis*, quod haud dubie verius, in paucissimis occurrere videtur; vt in duobus Heins. et binis Gothanis; fuit tamen lectio vulgata iam ante Pierium. *cunctis nam lectis* Gud. a m. pr. *lectis* et *laeti* aberratur etiam in aliis. *leti* in Rom. a m. pr. 519 *et* ab Hamb. pr. abest. 521 *placito* duo. *nunc* pro *sic* Hamb. pr.

519. *Orantes veniam* simpl. propitiam et beneuolam voluntatem, vt ne escendere ac littus tenere prohiberentur. Scilicet, vt sequens oratio v. 525 sqq. ad intelligendum expedita sit, cogitandum, naues illas in littus, quod raro adiri solebat, reiectas pro praedatoriis, λῃστρικαῖς, fuisse habitas. Accurrerant itaque Poeni, prohibuerant Troianos escendere, sin facerent, igni naves comburere velle minati erant.

521. *Maximus I.* sc. natu; vt 654 *natarum maxima* absolute: nisi vniuerse est princeps inter ipsos, et auctoritate eminens. Ita simpliciter alibi Aen. III, 107 *Maximus vnde pater — Teucrus. placido pectore*, h. e. nil turbatus, nullo rerum metu impeditus ac perculsus; nihil aliud. *Ilioneus* hic aliunde notus non est; male h. l. a Pomponio et aliis ad eum refertur, qui Iliad. ξ, 489 sqq. occiditur, Phorbantis f. Alium in Troiae euersione ab Diomede caesum, δημογέροντα, videbis apud Quint. Cal. XIII, 181 sqq.

522 sqq. Oratio egregie ad consilium et ad affectum dicentis audientisque comparata; cum qua non sine fructu compares alteram ad Latinum R. habitam Aen. VII, 213 sqq. Praeclarum

Iuſtitiaque dedit gentis frenare ſuperbas,
Troes te miſeri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a nauibus ignis;
Parce pio generi, et propius res adſpice noſtras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas:

25 *Seruare* alter Hamb. 524 *circum m.* Hamb. pr. ex v. 32, et Cuningham. coniiciebat: *circum* vel *huc per*, ad ductum Aen. VII, 228, fruſtra. Nam praepoſitiua docte a poeta ad Graecorum ductum omittitur. 525 *infandis* Zulich. a m. pr. 526 *parce, precor* alter Hamb. *et* deeſt Montalb. *res accipe* pr. Hamburg. ſed vid. not. 527 *Tyrios* Bigot. *Iliacos* Sprotianus; neutrum male: ſed in *Libycos* conſentiunt libri. 528 *aduertere litora praedas* Venetus Heinſii. *ad litora tollere* Sprot. *a litore vertere* Leid. cum aliquot codd. Pierii.

hoc: *nouam cui condere Iuppiter vrbem.* haec enim ex Troianorum ſenſu votorum ſumma; et graue ex altera parte ad humanitatis officia argumentum apud Didonem. Similiter expende reliqua. 523. *gentes ſuperbas*, feroces, int. Afros, non Poenos. *iuſtitiam* ad totum mitiorem vitae cultum *legesque ac iura data* refer, quibus feritatem eorum mitigavit Dido.

525. 526. *Infandos ignes*, qui aduerſus fas iusque gentium inferuntur. *pium genus*, Troiani h. l., qui nullam iniuriam, nullum nefas, commiſerant, praedas agendo. *Pietas* pro iuſtitia interdum dicta, quatenus haec a metu deorum et religione proficiſcitur. *propius adſpice res noſtras*, conditionem et locum, quo ſumus, accuratius inſpice: ſc. deprecatur iudicium de ſe ex primo rerum adſpectu fortunaeque ſpecie, poſtulatque a regina, vt accuratius ſibi, qui ſint, exponi patiatur.

527. Non ſe ad depraedandas incolarum terras ac ſedes veniſſe ait. Comparat Cerda Orphica Argonaut. 827 ſqq.: ſententia ſaltem non adeo dispar eſt. Add. Apollon. III, 386 ſqq. 528. *Vertere praedas* exquiſite pro auertere, abigere: vt eſt lib. VIII, 208. X, 78.

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.
Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebae:
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.

529 *animo eſt* Sprot. *animis non tanta* ed. Venet. 530—533 repetuntur III, 163 ſqq. 531 *Patens* Goth. pr. *aruis atque v. g.* mera aberratio. 532 male al. *Oenotrii.* Graecum eſt Οἰνωτροι. cf. l. l. a Burm.

529. *Ea vis*, audacia, vt alias. eadem mox *ſuperbia*, inſolentia.

530. Ex Enniano: *Eſt locus, Heſperiam quam mortales perhibebant*, expreſſum eſſe, iam Seruio notatum et Macrobio VI, 1, elegantiore vtique oratione. Caeterum ad hos vſſ. 530—533. cf. Excurſ. *Eſt locus* h. l. pro regione. Non hic locum habet grammatica ſubtilitas. Quod autem *Heſperiam* pro Italia dicit, maiorem habet antiquitatis auctoritatem. Quod Graecum nomen inter Tyrios memoret, ſuper hoc argutari in poeta epico nefas. cf. ſup. ad v. 321. 531. Nobiliſſimus inter veteres verſus. *Terra antiqua*, a prima inde hominum memoria habitata, adeoque non ignobilis et obſcura; *potens armis atque vbere glebae*, incolarum fortitudine et ſoli vbertate excellens. *vber glebae* ductum videri poteſt ex Homerico Il. ζ, 141. οὔθαρ ἀρούρης, vix tamen priſco illo ſignificatu, quo vber ſeu mamma ac lac ſoli de fertilitate vſurpari ſolebat; ſed *vber* pro vbertate dictum Grammatici docent. Poetae tamen veterem loquendi morem non ignorarunt. Callimach. in Del. 48 νήσοιο διάβροχον ὕδατι μαστὸν dixit. *Oenotri* Pelasgi, qui principio agrum in interiore littore inferioris Italiae occupauerant: vnde Oenotria dicta primum ager, tum tota regio. *minores*, proprie *natu*, Virgilius ad poſteros vel ſeriores transferre ſolet, vt v. 733 et al. *gentem* autem doctius poſuit pro *terra* Homerico more; δῆμος Φαιήκων pro inſula.

Huc curſus fuit:
Quum ſubito adſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada caeca tulit, penitusque procacibus auſtris
Perque vndas, ſuperante ſalo, perque inuia ſaxa
Dispulit; huc pauci veſtris adnauimus oris.
Quod genus hoc hominum, quaeue hunc tam barbara morem

534 Medic. cum multis bonis: *Hic curſus fuit;* quod accipiendum eſt: is fuit c. — *huc cunctis* (fuit) *ire voluntas*, expletur verſus in Doruill. inepte. 538 *Perpulit* Doruill. a pr. m. *voſtris* Aruſian. Meſſ. laudat. *aduenimus* aliquot ap. Pier. ex interpretatione. 539 *Nam g.* Goth. ſec. *Quae genus haec h.* fragm. Moret. *Quod g. eſt h.* Menag. pr. *quae hunc* tres ap. Heinſ. *quaeue tam* Leid. Poteſt interpungi: *Quod genus hoc hominum?* ſc. eſt. Sed non hoc quaeri poterat; verum: qui homines, *quae patria*, quae tam barbara, eſt *haec terra veſtra*, vt permittat hunc morem?

535—538. *Subito fluctu*, repentina tempeſtate commota, *aſſurgens*, vt *mare aſſurgit fluctibus*, cum proprie *fluctus aſſurgant in mari*. *Orion* dictus omnino de tempeſtatibus ac procellis, quales fere eius ortu vel occaſu exoriri ſolent; alioqui Orion etiam cum iudicio a poeta poſitus eſſe videri poteſt. Incidit enim eius ortus, etiam in his Africae plagis, in menſem Iunium. Aeſtas autem agebatur tum. v. inf. v. vlt. *in vada caeca*, latentia, vid. v. 111. *procacibus Auſtris*, ornate; ventorum procelloſorum vi ac tempeſtate victos, partim per altum, partim inter ſcopulos, penitus nos disiecit. *procaces auſtri*, venti vehementes: Horatio *proterui*. Gr. ὑσελγεῖς. vid. Cerda. *ſuperante ſalo*, fluctibus, victa a maris ac procellarum vi nauigantium arte et labore. Ita ſup. *vicit hiems*, et inf. II, 311 *Vulcano ſuperante*. *adnauimus*, appulimus, vt poetae ſolent.

539. Furium, ſiue is M. Furius Antias ſeu Bibaculus fuit, VI. Annal. praeiniſſe poetae Macrob. VI, 1, exiſtimat: *Quod genus hoc hominum? Saturno, ſancte,*

Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenae!
Bella cient, primaque vetant conſiſtere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma:
At ſperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo iuſtior alter,
Nec pietate fuit nec bello maior et armis.

540 *patriam* pr. Moret. a m. ſec. *hoc ſpatio* Menag. pr. miro caſu. 541 *conſidere* Oudart. ſollenni varietate. 542 *et* deeſt in nonnullis, etiam Pierianis. 543 *deas* Voſſ. *fandique nefandi* quinque ap. Heinſ. 545 *Non pietate* Doruill. *bello nec* ſec. Moret. Argutatur

create. Sed ex his et ſimilibus poeta vix multum proficere potuit: nec nos ex talium comparatione. Antiquitati tamen debetur hoc, ne eius auctoritatem in his negligamus. — *quae tam barbara patria*, terra, *permittit*. graeco more pro: quae terra tam barbara eſt haec, vt permittat. 540. *Hoſpitio prohibemur arenae*, ornate, pro, a littore, ab eſcenſu in littus; mox *primam terram* dixit.

542. Agnoſce poetici ſermonis indolem; pro abstracto: ſi *humanitatem*, humanitatis iura et officia, et vindictam iniuriae, quam humana ira exigere a vobis poteſt, (haec enim ſunt *mortalia arma*) pro nihilo ducitis: ſaltem illud reputate, deos eſſe iuſti iniuſtique inſpectores iniuriaeque adeo vltores; θεῶν δ' ὑποδείσατε μῆνιν Odyſſ. β, 66. In *ſperate* ineſt notio τῷ *metuere*, quod frequens eſt Graecis Latinisque poetis.

544. Oeconomia carminis in hoc occurſu Aeneae et ſociorum, et in horum laudibus Aeneae, quem ignorabant eas audire, eſt praeclara. *Iuſtior pietate*, vt vulgo iungi video, mihi quidem duriſſimum videtur. Praeſtat iungere et interpungere: Quo *iuſtior alter, Nec p.* h. e. Quo nec alter iuſtior, nec maior fuit pietate, bello et armis. Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής, de Agamemnone Iliad. γ, 179.

Quem si fata virum seruant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat vmbris:
Non metus, officio ne te certasse priorem
Poeniteat. Sunt et Siculis regionibus vrbes,
Aruaque, Troianoque a sanguine clarus Aceſtes.

h. l. Burm. qui cum Seruio discrimen facit inter *bellum* et *arma*; sane eandem rem declarant sed tropis diuersis. 546 *et vescitur* pr. Hamb. 547 *neque adhuc* constanter codd. Heins. et multi Pier. alii *nec. occupat* tres Burm. 548 Vulgata erat lectio: *officio nec te:* in quam mirum est optimum quemque codicem, atque etiam Grammaticos, (v. Heins.) conspirare; est enim manifesto falsa: *nec te c.* vel *neque te.* Sensus quidem qualiscunque extorqueri inde potest; sed occurrit vnicuique in oculos, legendum esse: *Non metus, officio ne te c. p. P.* ὐ φόβος, μή. Non metuendum est, ne te poeniteat aliquando beneficiis nos priorem demeruisse. Et exstat haec lectio in Hamb. a m. sec. Habent edd. vt, Cerdae. Cuningh. In fragm. Vatic. totus locus desideratur. *Nec metus* Medic. Pierii cum aliquot aliis. 550 *Aruaque.* Vulgo legebatur *Armaque.*

546. 547. *Vesci aura* antiquum est, et ex Lucretio notum, pro *frui. occubat vmbris,* exquisite secundum illam formam, *occumbere morti* lib. II, 62. A tautologia hos duos versus liberatum it Cerda. Sed ratio in hoc quaerenda, quod ea maxime notio distertius et significantius exponitur, quae rei summam continet, et cui adeo animus maxime immoratur seu deliberatione, seu animi affectu. cf. v. 555 et 556. Ante oculos habuit poeta illa: Εἶπέ ἔτι ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο. εἰ δ' ἤδη τέθνηκε, καὶ εἰν ἀίδαο δόμοισιν etc. Odyss. υ, 207. ξ, 44 et al. 548. *Non metus, ne:* non metuendum est, ne te poeniteat aliquando, beneficiis nos prouocasse. 549. Sunt duo quae per hunc et sequ. versum praestruit. Ostendit, Troianos in his terris sedes haud petere nec vt petant necesse habere; sed aut superstite Aenea in Italiam traiecturos, aut eo interemto in Siciliam habitatum redituros esse. 550. De *Acesta* cf. sup. ad 195. Eiusdem vrbs *Aegesta* intelligenda.

Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et ſiluis aptare trabes, et ſtringere remos.
Si datur Italiam, ſociis et rege recepto,
Tendere, vt Italiam laeti Latiumque petamus.
Sin abſumta ſalus, et te, pater optume Teucrum,
Pontus habet Libyae, nec ſpes iam reſtat Iuli:

Etiam hanc lectionem prauam eſſe arbitrati mutauimus, etſi a Seruio, Cod. Romano aliisque praeſtantioribus libris agnoſcatur. *Arma* quidem aiunt memorari ad timorem Poenis incutiendum. At alienum hoc a toto orationis conſilio rerumque facie, potiusque ad animos exaſperandos idoneum. Medic. cum Colot. Vrſini legit *arua*; et hoc verum. Nam eo ſpectat oratio, vt metum intercipiat, ne in his terris conſidere velle videantur. Sunt in Sicilia vrbes, et agri, et popularis noſter Aceſtes. Et explicatur hoc idem v. 557 *At freta Sicaniae ſaltem* ſedesque paratas — *regemque petamus Aceſten.* adde reſponſionem Didus v. 572 et inſ. IV, 311. Porro *Troiano a. ſ.* Moret. qu. 551 *vento* Hamb. pr. 552 *optare* Montalb. quod ornat Heinſ. *tangere* Hamb. ſec. 553 *Auſoniam* ſec. Moret. 554 *at I.* Heinſ. coni. at ſequitur hoc v. 557 et vide not. 555 *abrupta* ſolus Hugen. *nec iam ſpes* tres Burm. 556 *Libyes* Oudart.

551. 552. *Subducere claſſem:* ἐρύειν ἤπειρόν δε Homero. vulgo καθέλκειν. κατάγειν. 552. In *ſiluis trabes aptare* nauibus, et *ſtringere* ferro, amputare, dolare, adeoque, id quod antecedit, omnino incidere arbores, quae *pro remis* ſint, h. e. naues reficere. Mox *rex* pro duce, vt ſaepe. 554. *Vt Italiam petamus:* docte omiſſo, ex Graecorum more, verbo, a quo *vt* cum ſubiunctiuo pendeat: curabimus, efficiemus, vt. Nam ſi continuares: *aptare trabes et ſtringere remos, eo conſilio, vt I. p.*, proſaicum id foret: ſimiliter v. 557. 558. ſed fine *vt:* quod communius eſt.

555. 556. *Sin abſumta ſalus*, adeoque nulla eſt ſalus, nulla ſalutis ſpes; ſin periimus, ſiquidem is periit, in quo res noſtrae poſitae ſunt, vna cum Iulo; *ſpes Iuli* bene pro Iulo.

At freta Sicaniae saltem, sedesque paratas,
Vnde huc aduecti, regemque petamus Acestien.
Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.

Tum breuiter Dido, voltum demissa, profatur:
Soluite corde metum, Teucri; secludite curas.
Res dura, et regni nouitas me talia cogunt

557 *Ad* quatuor ap. Burm. *Sicaniae*, priore longa, altera breui, vt III, 692. VIII, 416. at aliis locis prima breuis et altera producta: *portus venere Sicanos* VIII, 328. V, 24. 293. VII, 795. XI, 317. Ecl. X, 4. Occurrit similis varietas in graecis: Callim. Di. 57. Αὖε δὲ Τριναχρίη, Σικάνων ἔδος — at Lycophr. 1029. ἔμπλην Παχύνου Σικανὸς πρόσμασσεται. 558 *hunc* Rom. *petemus* sec. Hamb. *Acestem* multi. 559 *cunctis* Medic. a pr. m. e sequente littera. 561 *vultu* alter Mentel. *dimissa* tres Burm. 562 *Soluite corda metu* Parrhas. forte cum aliis. v. Burm. quod vulgarius esset. *corde metu* vn. Moret. *pellite corde metum* Bigot. Sed *soluere metum* exquisite; vt sup. 463 *s. c. metus* plurali numero, antiqui plerique codd. teste Pierio; et hoc doctius. *seducite curas* Bigot. 563 Malit Burmannus cum edd. quibusdam antiquis distinguere et legere: *Res dura: at regni*, h. e. durum quidem est, fateor; sed — Enim-

557. Siciliam iterum petere liceat.

559. *Fremitus* h. l. ac murmur adsensum commotis hominum animis indicat. Simplicius Homericum: Ἐνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοί.

561. *Vultu demisso* et *breuiter* fatur Dido. Adde haec ad 496 sqq. et obserua, qua arte poeta descriptionem faciat; et vide quid adhuc desit, vt Didonem vnice studio tuo dignam habeas. Iam in ipsa oratione pudor cum dignitate, prudentia cum summa humanitate maxime eluceſcunt.

562. 563. *Secludite curas:* exquisitius quam excludere, eiicere, deponere, sollicitudinem ac metum. cf. Serv. *Res dura*, quod vulgo: res durae, dura rerum conditio, quae cogit aliquid vel inuitos facere *(moliri)*. Mox *custos* pro viris in custodia finium et praesidio locatis.

Moliri, et late finis cuſtode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Troiae neſciat vrbem, 565
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtuſa adeo geſtamus pectora Poeni;
Nec tam auerſus equos Tyria Sol iungit ab vrbe.

vero, ferri quidem poteſt, fateor; ſed doctior eſt vulgata lectio. v. not. *res dira* Goth. ſec. 564 *finis* ex Medic. *lato* ed. Ven. *forti* c. Bigot. *teneri* ſec. Hamb. et a pr. m. alter Rottend. 565 *Troiam* Graeu. *neſcit et vrbem* ed. Venet. 566 *tanta* in vulgg. edd. ante Heinſ. *ac tanti* duo Burm. *et t.* ed. Dan. et aliae iam ante Pierium. 567 *obtunſa* ſcribit Rom. Medic. cum aliis Heinſ. *obſcura* Zulich. 568 *aduerſus* multi, vt ſemper. Bene Burm. Gronou. laudat ad Senecae Medeam 10. *ſubiungit ab v.* ſec. Hamburg. *ſol mergit* Menag. pr. *vergit* Ven. Heinſii ſed v. Burm.

566. Poſſis ſane per *virtutes virorum* exponere. Sed proprie tamen vtrumque vim habet ſuam; nec amplectar facile ieiunam figuram hendiadyein. *virtutes*, res praeclarae, fortiter geſtae, vt ἀρεταί v. c. apud Pindarum. 567. 568. Non adeo *obtuſa pectora*, h. e. ſtupida ingenia, habemus, non tam barbari ſumus, vt Troianorum res praeclare geſtas et fata ignoremus. *Nec tam auerſus equos Tyria ſol iungit ab vrbe*, h. e. nec tam remotas a ſole, a ſolis curſu et orbita, terras incolimus. id quod tandem ad eandem ſententiam redit, quatenus *frigus* ad animi ſtuporem adeoque ad feritatem et immanitatem transfertur, et remotiores a ſolis orbita terrae pati id creduntur. Alienum plane eſt, quod Seruius et Pomponius Atrei et Thyeſtae fabulam huc aduocant: aliter hic *ſol auerſus* ob horrorem et auerſationem ſceleris; vt et alii poetae de nefando facinore. Sic caeſis maritis Lemniis Stat. V, 297 *Auerſum Lemno iubar et declinia Titan Oppoſita iuga nube refert.* Sapientius hoc, quam in alio verſu, vbi Virgilianum locum imitatus eſt Theb. I, 683 ſq. *Scimus, ait, nec ſic auerſum fama Mycenis Voluit iter. Regnum et furias oculosque*

Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arua,
Siue Erycis fines regemque optatis Acestes:
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuuabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?

570 *Finem* ed. Ven. *regnumque petatis* Menag. et Hamb. pr. et quart. Moret. Porro v. 571 et 573 a Goth. tert. aberant. 572 *et hic* Sprot. et Bigot. *pariter mecum* Ven. *sin vultis mecum* Wall. quod prosaico esset propius. *consistere* aliquot Pierii et Burmanni tres cum Parrhas. cf. inf. 629. Burmannus coni. *confidere*, parum feliciter, et quid tum *pariter mecum? c. terris* Romanus; quod poeticam dignitatem minus spirat.

pudentes (pudore erutos) *Nouit*. Extremae terrae partes ita omnino designantur, vt *extra solis vias* esse dicantur, quatenus vel intra duo Tropicos vel intra temperatiores zonas non comprehenduntur. Quo igitur magis terrae versus septentrionem vel versus austrum recedunt, eo magis *auersus* h. e. simpliciter remotus (nam argutantur in hac voce) ab iis *Sol iungit equos* h. e. oritur iterque suum diurnum conficit. adeoque pro, non tam *auersus est;* non remotus est. (Male Cerda aliter). Ita non modo, qui versus septentrionem, arctois plagis habitant, *auersi* a sole dicti: verum etiam *auersi*, qui a septentrione remoti australibus plagis habitant: pro sententiarum ratione. Val. Fl. I, 518. vbi Sol loquitur de Colchis: *Quid regio immanis, quid barbarus amnibus vllis Phasis et* auersis *proles mea* gentibus *obstat?* Iam in Virgilio haec non esse subtiliter exigenda apparet, si Africam cogites; sed hoc vnum tenendum, Poenos non esse barbaros, non adeo esse remotos a clementiore coeli terraeque plaga, respectu Troianorum.

569. *Hesperiam magnam* simpl. potentem. Aliter *Graecia magna* dicitur. *Eryx* Siciliae. vid. V, 759. *optatis* h. l. praefertis. 571. *Auxilio tutos*, quod in prosa: rebus necessariis instructos, munitos. Pedestris esset oratio, si acciperes: *dimittam tutos* cum *auxilio*. Mox *statuo* exquisite pro condo: vt ἱδρύω. vt pono. 572 sq.

Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt; ſubducite naues;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque vtinam rex ipſe, Noto compulſus eodem,
Adforet Aeneas! equidem per litora certos
Dimittam, et Libyae luſtrare extrema iubebo;
Si quibus eiectus ſiluis aut vrbibus errat.
His animum adrecti dictis, et fortis Achates

573 Piget ineptiarum ſuper hoc verſu. *Quam vrbem ſtatuo, ea veſtra eſt;* Graecorum loquendi more. *ſubd. remos* Puget. 574 *Tyriosque* Medic. a m. pr. *agentur* Sprot. *habetur* apud Nonium Marcellum, ex interpretatione. Guyetus legebat: *habetor.* Sed *agetur* eſt eruditius; in pedeſtri oratione: *nullo discrimine habebitur*, vel *nullum eorum discrimen habebitur.* 575 *c. ibidem* Puget. 577 *Emittam* Sprot. *videbo* Ven. 578 *aut montibus* Montalb., qu. Moret. et Zulich. et probat Burmannus: *quum rarae admodum in Africa eſſent vrbes, certe ſub ditione Didonis hoc tempore, neque proprie in illis* errare *dici quis poſſet, ſed* per vrbes oberrare; *in montibus vero paſſim* greges errare *etiam dicantur, ego* montibus *praeferrem.* Enimuero nec de Didonis ditione hic agitur; nec vrbes magnas ciuitates neceſſario deſignant; vrbes ſunt omnino habitationes, vici; et *vrbibus errare* docte dictum, pro, per vrbes; et ſi greges errant in montibus, an et propterea naufragi? Immo vero *montibus* damnandum propter hoc ipſum, quod *ſiluae* et *montes* fere iungi ſolent adeoque librarii lapſum facile produnt. Heinſ. coni. *rupibus;* littorum ſcil. reſpectu. Sed quidni tempeſtatibus in ignotas terras delati vicinos vicos petant? et *Gaetulae vrbes* IV, 40. *erret* Exc. Burm. 579 *animi* Parrhaſ. Ven. a m. pr. minus docte. *animum erecti* Zulich. et ed. Ven., quae eſt interpretatio exquiſitioris voc. *arrecti. dictis arrecti* qu. Moret. *animum* pro *animos* dixit. v. Burm.

Comparare licet Apollon. Arg. I, 827 ſq.

575. *Compulſus,* non, coactus; hoc tenue eſſet; ſed, huc depulſus, delatus. *Notus* h. l. non proprie. Mox *certos* exquiſite, quibus fides haberi poſſit, non reſpectu perfidiae Poenis exprobrari ſolitae; ſed *certi* dicti pro iis, qui certa nuntient: ſimiliter aliquis *fidos* aſſumſiſſe dicitur. *Dimittam,* in diverſas partes mittam.

Et pater Aeneas, iamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aeneam conpellat Achates:
Nate dea, quae nunc animo ſententia ſurgit?
Omnia tuta vides; claſſem, ſociosque receptos.
Vnus abeſt, medio in fluctu quem vidimus ipſi
Submerſum; dictis reſpondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfuſa repente
Scindit ſe nubes, et in aethera purgat apertum.
Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit,
Os humerosque deo ſimilis: namque ipſa decoram

580 *erumpere nube* pr. Moret. et duo Rottend. a m. ſec., quod ſcilicet vulgare eſt. *nubem* doctius. cf. Burm. *abrumpere* codd. Pieriani aliquot, Rom. a m. ſec. Montalb. et al. inſcite. 582 *animum ſ. vertit* Bigot. *animos ſ. vertit* ed. Ven. 583 *reductos* Menag. pr. Ven. et Parrhaſ. cf. v. 390. 584 *medio fluctu* Puget. *medio quem fluctu* Montalb. ſine *in*, vt toties alibi. 586 *ita f.* alter Rottend. *circum cum fuſa* emendabat Cuning. *quae circumfuſa; r.* notabilis lectio fragm. Vatic. a Bottario editi. 587 *in aera* Montalb. et Doruill. ſed pro vulgata Nonius Marcellus. 588 *adſtitit* Vratisl. *conſtitit* Parrhaſ. vtrumque vulgare, etſi eodem ſenſu. 589 *ſimiles* Sprot. *os humeros ſimilisque deo* Franc.

582. *Animo ſententia ſurgit*, ad eam formam, qua *ſtare, ſedere, inſidere* dicitur. 584. *Vnus*, Orontes. v. 113 ſqq. 585. Sup. 390 ſqq.

586. Οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος, ὅτε. Odyſſ. π, 11. 587. 8. *Purgat* ſe, ſoluitur, extenuatur nebula: ἠχὴ τότε δή ῥ' αὐτοῖο πάλιν χύτο (non λύτο: nam πάλιν Homero eſt pro ἀνά, refundi, reſolui) θέσφατος ἀήρ. Odyſſ. η, 143. *aetherem apertum*, vt aer purus redderetur, et *clara lux*, remota nebula. 589. Nunc puta Aeneam *adſtitiſſe* multo pulcriorem adſpectu quam vnquam alias: Quod poeta per miraculum et Veneris interuentum auxit. Declaratur Aeneae pulcritudo et dignitas per partes; ſunt ſpecies corporis, iuuentus et gratus oculorum vigor. *refulſit* pro vulgari: apparuit, nihil amplius. 589. *Hume-*

Caesariem nato genetrix, lumenque iuuentae 590

590 *genetrix nato* pr. Rottend.

ros int. latos ac torosos, herois vel dei, v. c. Mercurii vel Martis, qui corporis robur viriumque efficaciam declarant; quod apparet in statuis veterum, et obseruatum est post Iunium a Winkelmanno, idemque tradunt ipsi picturae linearis magistri. Locus insignis est Valerii Fl. II, 491, vbi Hesione Herculi: me eripe — *namque potes: neque enim tam lata videbam Pectora, Neptunus muros cum iungeret astris; nec tales humeros phare tramque gerebat Apollo.* Caeterum notatum iam aliis, locum effictum ad Homericam formam Odyss. ζ, 229—235, et (nisi huc iidem tralati) ψ, 156—162, vbi Vlyssi Minerua simile decus diuinum impertit. Conferenda sunt a studioso talium rerum singula; sed nec Scaliger, neque alii temere audiendi, qui de hoc vel illo praeferendo pronuntiant. Ita *os humerosque deo similis* tantum ornatius exprimunt formam augustam et diuinam, quam Homerus simplicius: ἤῃκε — Μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα, cf. Odyss. π, 174 sq.

590. *Ipsa decoram caesariem nato genitrix — adflarat*, non quasi comas eius breuiores in promissiores mutarit; sed, si iuuenili specie adstare dicendus erat Aeneas, efficiendum quoque erat a dea, vt coma similis esset comae promissae Apollinis vel Bacchi, qui in vulgus notabiles caesarie sua. Similis locus de Iasone Apollon. III, 919 sq. At Homerus Vlyssi a Pallade *crispos crines* affingi facit? καδδὲ κάρητος Οὖλας ἧκε κόμας, ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας. scilicet Mercurio eum assimulare volebat; vti et aliis in locis corpus athleticum Vlyssi tribuit. — *lumen iuuentae purpureum* ornate pro *iuuenta* eximia et pulchra. *lumen* est nitor; nitor autem iuuentae proprie tribuitur. *purpureus* aut pro pulcher, omnino, aut pro splendidus, nitens: quandoquidem non modo color, sed nitor, commendabat purpuram. v. ad Horat. IV Carm. I, 10, qui idem III, 3, 11, 12 ad diuinam for-

Purpureum, et laetos oculis adflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo

591 *laetosque* Montalb. *latos* duo Burm. *laetis* Goth. tert. Sed tuentur vulgatam grammatici. v. Burm.

mam retulit, *quos inter Auguſtus recumbens* purpureo *bibit* ore *nectar*. Inuentam autem cum caeſarie iunxit etiam Tibull. I, 4, 37 *Solis aeterna eſt Phoebo Bacchoque iuuentas, Nam decet intonſus crinis vtrumque deum:* h. habent enim iuuentutis inſigne certum, comam promiſſam.

591. *Laetos oculis afflarat honores:* inerat oculis deſiderabilis aliqua venuſtas, gratia, χάρις καὶ ἵμερος. Primum *laetos honores* dixit pro honore; *honos* autem pro pulchritudine; res nota. *laetos* non tam ad hilaritatem, quae adſperſa fere eſt oculis nitidis et pulchris (ὄμματα φαιδρὰ), quam potius ad oculorum fulgorem, qualis in lucido iuuentae et pulchritudinis flore eſſe ſolet, referes; nam *laeta* poetis proprie lux, nitor. Sic *tempora laeta*, fulgida, lib. VIII, 681. *afflarat*, quod Homerus dixit, affuderat, κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις. et — κακκεφαλῆς χεύεν πολὺ κάλλος Ἀθήνη. *afflare*, ab initio proprie dictum videtur de oris anhelitu, quo quis aut crederetur, aut, tamquam ſymbolico actu, videretur inſpirare alteri vim aliquam aut ſuam aut praeternaturalem. Ita Apollo afflaſſe narratur ore nonnullos, quibus diuinandi vim impertiret. De nutrice vel matre nutricium halitu ſuo fouente dictum eſt in Hymno in Cer. 238 et in locis ibi laudatis. Inde omnino *afflare* contingere eſt, proprie quidem leuiter, quia contactus hoc genus eſt, parum ſub ſenſum cadens; itaque et vates et poetae *afflari* dicuntur, quippe *contacti, percuſſi*. Ita et *fulmen afflare* dicitur, vt lib. II, 649. Alio ſenſu *afflare* et *adſpirare* a nauigatione et vento ſecundo ductum eſt. Etiam aliud eſt, ſi de exhalationibus corporis, ambroſiae, *ſpirare* et *afflare* dictum occurrit.

592. 593. Verſus olim ſic accipiebam, vt *decus*, h. e. pulchritudo, iuuenilis nitor

Argentum Pariusue lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente
Inprouisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum
Troïus Aeneas, Libycis ereptus ab vndis.
O sola infandos Troiae miserata labores,
Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,

593 *Argento* pr. Moret. *Pariusque* Wall. *circumdatus* codd. ap. Seruium ad Aen. III, 126. 594 *Tunc* Goth. pr. cum aliis. 595 *I. adest* pr. Hamb. 596 *abreptus* sec. Hamb. 598 Idem fere versus sup. 30. 599 *exactos* Zulich. a m. pr. *iam copiis omniumque* Parrhas. sed in marg. *exhaustis iam casibus:* quod deterius foret.

et oculorum insolitus splendor, Aeneae esset affusus, quale decus (pulchritudo) illud est, quod manus (artifex) addunt ebori vel argento vel marmori Pario, quando auro circumdatur, includitur. Ita cum Iensio de stilo Homer. p. 296 poetae iudicium desiderabam. *Iuuentae lumen purpureum* et *laeti honores* multo plus splendoris habere videbantur, quam ea, quibuscum comparantur v. 592. 593. Enimuero vidi posthaec comparationem ita male vulgo institui; eoque auocare pravam interpunctionem, cum plene post *honores* distinguitur; esse potius comparationem retrahendam ad Aeneam *nube circumfusum*, quod *clara in luce refulsit*, vt opus vel ornamentum eburneum, argenteum vel marmoreum auro inclusum, aurea ora ambiente, qua ex auri splendore ipsum opus, quod inclusum est, auctum nitorem mutuatur, cf. Aen. X, 135 sqq. et adi Excurs. ad h. v., qui est XXII. Verba autem sic interpretanda: *restitit et refulsit* tali cum decore, *quale manus* (artificis) *addunt ebori decus*, h. e. quale est decus operis eburni aut argenti marmorisue candidi auro circumdati.

595 sq. Praeclara et affectus plena oratio. 598. *reliquias Danaum*, a Danais relictos; passiue, vt aiunt;

Vrbe, domo, ſocias! grates perſoluere dignas
Non opis eſt noſtrae, Dido, nec quidquid vbique eſt
Gentis Dardaniae, magnum quae ſparſa per orbem.
Di tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Vsquam iuſtitia eſt et mens ſibi conſcia recti,
Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt

601 *Nil opis* Zulich. *noſtri* Menag. pr. *eſt* omittunt tres Heinſ. *o Dido* Goth. ſec. 602 *Dardanidae* tres ap. Burm. *quae magnum* pr. Moret et Bigot. *aſperſa* ſec. Rottend. Sed hemiſtichium hoc abeſſe forte malis? Auget tamen ſententiae vim. Confederant autem Troiani exſules partim in vicinis Troadis oris, partim in Thracia, Creta, Epiro, Sicilia, Venetorum oris. 603 *reſpectent* ed. Iunt. 604 *ſi quid Vsquam iuſtitia eſt.* Ita reſcripſi, etiam Brunckio V. C. adſtipulante. Vt vulgo legitur, etiam in fragm. Vatic., *ſi quid vsquam iuſtitiae eſt,* impedita fit ratio eius, quod ſequitur: *et mens ſibi conſcia recti;* quod adeo iungendum cum ſup. *Dii et mens ſ. c. r. Praemia digna ferant.* Et hactenus ſecundum Stoicos poetam locutum dicere potuit Seruius. Legenti tamen facile cuique occurrere poteſt: *ſi quid vsquam* Iuſtitia eſt *et mens ſibi conſcia recti,* h. e. in vllo pretio eſt. Quo altera interpretatio Seruiana ſpectat: *ſi valet apud homines iuſtitia.* Et lectionem hanc praeferunt Gudianus, qui inter praeſtantiſſimos eſt, cum ed. Dan. Heinſ.; ſicque coni. H. Stephanus, qui tamen rationem emendationis non perſpexit. Habet ſcilicet maiorem δεινότητα oratio, ſi ſic procedat: ſi pietatis, h. e. recti iuſtique ex metu deorum, reſpectus eſt apud deos; ſi iuſtitia rectique conſcientia non inane nomen ſunt habendae; dii tuam humanitatem remunerabuntur. *recti eſt* Puget. 605 *ferent* vir doctus (Io. Iortin) in Obſſ. Miſc. I, p. 7, vt IX, 254 *dii moresque*

ſtragi Troianorum caedique ab Achiuis perpetratae ſuperſtites. *exhauſtos,* attritos, conſumtos, vexatos. cf. Burm. *ſocias,* de conatu, recipere vis.

603. *Si quid vsquam iuſtitia eſt:* ſi non inane nomen eſt: ſed res, virtus, laude ac praemio digna. cf. V. L. Ante oculos fuit Vlyſſis ad Nauſicaam oratio pulcharum ſententiarum plena, vbi Odyſſ. ζ, 180 Σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς etc.

605. Felix hominum aetas, in qua te tam generoſam fe-

Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluuii current, dum montibus vmbrae
Luſtrabunt conuexa, polus dum ſidera paſcet:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt;
Quae me cumque vocant terrae. Sic fatus, amicum

dabunt veſtri. Stat. Theb. VII, 379 *Nec laudare ſatis dignasque rependere grates Sufficiam; referent Superi* etc. Sed nec *ferant* damnandum, quod omnes libri habent, etiam Vatic. fragm. *quae te iam* Goth. pr. *tulere* duo Burm. vt emendabat Cuninghamus. 606 *talem tanti* Parrhaſ. 608 *Conuexa* veteres librarii (praeter fragm. Vatic. Pieriique oblongum, in quibus recte poſt *conuexa* interpunctio poſita) et ſcholiaſtae fere cum *ſidera* coniungunt; male vtique. nam coelum eſt conuexum, non aſtra. Hoc tamen poſito Heinſ. coniiciebat: *dum montibus vmbrae Luſtra dabunt.* ingenioſe; niſi *conuexa* obeſſet, et *Luſtrabunt* multo etiam magis eſſet ingenioſum. Pro *luſtrabunt, inſtabunt* Bigot. et pr. Hamburg. pro var. lect.: vnde Burm. coni. *conſtabunt*, parum feliciter. Etiam Marklando ad Stat. Silu. p. 102 locus viſus eſt corruptus; nam interpungebat et ipſe poſt *luſtrabunt.* at v. infra notam. *polis dum ſ.* nonnullae edd., male. *polum dum ſ. paſcent* Hamb. alter. *palus* miſera emend. Brodaeus II Miſc. 17. *paſcit* Medic. c. al. ap. Heinſ. quod mireris. *poſcet* fragm. Vatic. 610 *quo* ſec. Hamburg. et Parrhaſ. *vocent* alter Rottend. a m. ſec. et Goth. ſec.

minam naſci contigit! *laeta* ſunt fauſta, felicia ſ. Compara l. c. Odyſſ. ζ, 154—157. De forma laudandi hac v. Ouid. IV Met. 322 ſq. et ibi Burm.

607—610. Quod Tibullus I, 4, 65 nude: *dum robora tellus — vehet*, hoc ornatius extulit Virgilius: donec in montibus vmbrae ſilvarum *conuexa* montium, h. e. latera et ambitus, obſcurabunt, et ornatius, *luſtrabunt*, vmbra pro flexu ſolis procedente et circumagente ſe. 608. *polus dum ſidera paſcet*, pro tenui: habebit. *polus paſcere ſidera* dici poteſt, pro ſidera paſci in polo, quatenus ſtellae errare et vagari per coelum videntur. Et Callimachum expreſſum eſſe a noſtro, iam ab Anna

Ilionea petit dextra, laeuaque Sereſtum;
Poſt alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obſtupuit primo adſpectu Sidonia Dido;
Caſu deinde viri tanto; et ſic ore locuta eſt.
Quis te, nate dea, per tanta pericula caſus
Inſequitur? quae vis immanibus adplicat oris?

611 *Sergeſtum, Sereſtrum, Segeſtum* al. hic et alibi. v. Burm. et Pier. *Sergeſtum* et *Sereſtum* vnum eundemque eſſe, ſtatuere video V. C. Brunck. I, 343, quod vix feram ne in malo quidem poeta; et quid faciemus verſui XII, 561 *Mneſthea Sergeſtumque vocat fortemque Sereſtum?* Etiam mox *Gigam, Giam.* 613 *primum* malebat Heinſ., ſed *primo* eodem ſenſu capi par eſt. 614 *Caſum deinde viro* Hamb. ſec. 616 *quae vis immanibus applicat auſis* emendat Marklandus ad Stat. Silu. III, 3, 17. hoc ſenſu: *quae vis maior admouet te tam immanibus auſis, tam ingentibus coeptis?* ingenioſe quidem Markl. vt ſemper. Enimuero quod ad littus Libycum tempeſtate erat delatus, caſui debeba-

Fabri a iisque et ante omnes a Germano Valente ad h. l. eſt notatum, in Del. 176 — Τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βεκολέονται. Cum tamen Lucretianum I, 232 *vnde aether ſidera paſcit?* et alia loca, inprimis V, 384 ſqq., multo magis videri poſſint poetae animo inſedisse: Seruianam interpretationem non plane ſpernas, vt ad philoſophorum opinionem referas, qua aſtra marinis terrenisque humoribus attenuatis (ἀπορρόιαις) ali putabantur, vid. Cerda et l. l. a Burmanno; quemadmodum iris imbibere imbres. v. ad Tibull. I, 4, 44. 609. 610. Sunt iungenda: Quocunque abiero, beneficii accepti memor ero. *manebunt,* animo meo; nunquam excident. 610—613. Laetus et gratus beneuolentiae et amicitiae affectus in his verſibus obſ.

613. Reſpexit h. l. Silius II, 412 ſqq. *caſus* eſt fortuna, vt ſtatim v. 615. 616. *Immanibus oris* Libyae, cuius immanes et feri incolae, ſive etiam horridae et aſperae incultaeque terrae. Pompon. Sab. de intempeſtuoſis littoribus accipit. *applicat,* ita fert, vt nauem applicueris; vt v. 377 *appulit.*

Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad vndam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulſum patriis, noua regna petentem
Auxilio Beli: Genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum, et victor ditione tenebat:

tur; nihil magni conatus et auſi in hoc. Frigide et contra decorum Didonem ſua regna *immanes oras* vocare ait. At Libyae vicinas gentes intelligit. cf. 339. IV, 40 ſq., vt bene Burm. ad h. l. monuit. *implicat* Bigot. 617 *An tu ille* Ven. *Anchiſe* nonnullos legere Pierius monet. *Dardanio A.* ad graeca Δαρδανίῳ Ἀγχίσῃ. 618 *genuit Phrygii* Ven. *Simountis* Leid. vn. *in vnda* Menag. pr. *ad vndas* Schol. Statii, duo Heinſ., ſed recentes, cum Doruill. tuentur vulgatam Donat. et Priſcian. 619 *memini Teucrum* tres ap. Burm. et ſic Rom. Hunc vſ. et 620 recitat Auctor de progenie Auguſti c. 6. 621 *cum B.* Menag. pr. et Leid. 622 *ditione premebat* Menag. pr. male, inquit Burm.: an quia hoc de aſpero tantum imperio putabat dici? Sane *ditione tenere* et alibi, ſup. 236, VII, 737 variatur, at X, 53 *premere* conſtanter; exquiſitius ſcil. quam *tenere*.

617. 618. Secundum verſus Iliad. β, 820. 821. Sic Nympharum partus ad fluminum ripas collocant plerumque poetae. Exempla dat Germanus.

619—626. Teucer, a Troia redux, a patre Telamone non admiſſus (cf. Horat. I, 7, 21), cum Cyprum petiiſſet, acceſſiſſe ad Belum, Sidonis ac Tyri regem, putandus eſt, vt, cum ab eo copiae in Cypro haberentur, earum auxilio aduerſus incolas inſulae ipſe vteretur, quos in noua ſibi ſede, Salamine, paranda alienos et infeſtos experiebatur. v. Exc. XXIII ad h. v. *Opimam Cyprum* dixit, quam in proſa, *opulentam*, et *laude ferebat* pro efferre laudibus. 624 *reges Pelasgi*, pro Achiuorum ducibus, etiam hoc licentius et ſeriorum poetarum graecorum exemplo; nam Homero Pelasgi diuerſus ab Achiuis ſunt populus. *Teucros*, Troianos; ab antiquiore illo Teucro, a quo Dardanus fuit exceptus, cum in terram Troianam e Samothrace traieciſſet. v. Apollod. III, 12, 1.

Tempore iam ex illo casus mihi cognitus vrbis
Troianae, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, iuuenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat: simul Aenean in regia ducit
Tecta; simul diuom templis indicit honorem.

626 *ab* Heinf. e Medic. et aliis. Olim *a*. cf. ad Georg. I, 171. Aen. VIII, 130. *ab* vel *a* deeft plane in fragm. Moret. et Sprot. *a stirpe videbat* fec. Moret. 627 *o iuuenes, noſtris ſ. tectis* Zulich. *o iuuenes, tectis* quatuor alii: *o noſtris, i. ſ. t.* Parrhaſ. 628 *poſt multos* Doruill. ed. Iunt. 629 *hac* deeft Medic. *conſidere* Gud. tertius Moret. pro diu. lect. Hamburg. pr. et Bigot. cf. v. 571. Sed poſt *iactatam* melius *conſiſtere*. 631 *ſub regia* quart. Moret. 632 *diuom* Heinſ. ſecundum Gudianum. *diuis* Sprot. *honores* Montalb. et pr. Hamb.

et notae p. 738. 739. Ab his originem ducere videri volebat Teucer Telamonius, propter maternum genus, vt recte Seru. Erat enim ex Heſione Laomedontis filia natus, quam Telamon a ſodali Hercule muneris loco acceperat. vid. Sophocl. Ai. 1319 ſqq.

630. Nobiliſſimus verſus; grauiſſima ſententia; cuius, cum v. 628. 629, vi percepta, ſi adoleſcentem non voluptate geſtire videas, nae illum a poetae lectione ſtatim abigas, ſuadeo. Turbas Burm. poſt Seruium facit. Senſus: ipſa ἐκ ἀπειρόκακος, ipſa tot aduerſa experta, animum habeo pronum ad ſuccurrendum aliis, qui et ipſi fortuna aduerſa iactantur. *diſco*, teneo, noui.

632. *Simul diuum templis indicit honorem.* Si de ſupplicatione diis propter felicem Aeneae hoſpitis aduentum decreta cum Seru. Donato et Pomponio intelligi-

Nec minus interea ſociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga ſuum, pinguis centum cum matribus agnos,
Munera laetitiamque dii.

634 *Triginta* alter Hamburg. in Sax. Exc. 635 *centum pingues* Montalb. *cum m. haedos* Menag. ex Ecl. I, 23. 636 Gell. IX, 14 *in illo verſu nihil dubium eſt, quin* dii *ſcripſerit pro* diei: Munera laetitiamque dii. *Quod imperitiores*, dei, *legunt ab inſolentia ſcilicet vocis iſtius abhorrentes. Sic autem* dies dii *a veteribus declinatum eſt*, vt fames fami (igitur veteres *fames, famei?*), pernicies pernicii, progenies progenii, luxuries luxurii. Ita et legebat, monente Heinſio, Iulius Romanus in libello de Analogia, teſte Soſipatro. Occurrit eadem lectio in Seruianis ſimul cum altera, *die*, id eſt, diei. Commemorat etiam Pompon. Sab. cum Gelliano loco (qui conferendus cum editis; habet v. c. *extra dabantur*, vbi nunc *extrudebantur*). N. Heinſ., vt hanc lectionem probaret, a ſe impetrare non poterat. Mihi tamen vnice vera videtur; primum quidem, quod exquiſitior illa lectio et eadem antiquiſſimae auctoritatis, tum autem, quod lenius decurrit: *mittit tauros, ſues, pecudes, munera laetitiamque diei;* quibus diem tam fauſtum ac feſtum exhilararent, vt hoſpitalibus donis fieri mos erat, quam altera: *munera laetitiamque dei:* quocunque tandem modo illam exponas. *Munera laetitiamque dei* alii iungunt, vt vinum

mus, nec aliam rationem iniri poſſe video, a more antiqui ſaeculi recedere dicendus eſt poeta et deflectere ad ſuae aetatis vitam. Nam, vt ex toto Homero ſatis conſtat, heroicis temporibus, hospitis aduentu in domo ſtatim ſacrum ſit, caeditur victima et ex ea epulo ſacro hoſpes excipitur. Veterem illum heroum morem Virgilii exemplo deſeruit Valer. Fl. II, 650. 651. *Simul hoſpita pandi Feſta iubet, templisque ſacros largitur honores.*

634. *Horrentia* ſetis ſeu pilis, et *terga ſuum* pro ſuibus. In toto loco ante oculos poeta habuit Odyſſ. ϑ, 59 ſqq. 636. Mittit Dido pecudes quae pro munere ſint, et quarum epulis dies hilariter exigatur: *laetitiam diei.* Solent ſic *gaudia* dici de rebus quae faciunt, et Val. Fl. IV, 534. Phineus *noua miratur gaudia menſae.*

At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur, mediisque parant conuiuia tectis.
Arte laboratae veſtes, oſtroque ſuperbo;
Ingens argentum menſis, caelataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum,
Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.

munus et γάνος Διονύσου, χάρμα Βάκχου dictum ſit; atque hoc puto leniorem orationem efficere. At alii cum Heinſio *munera* cum ſuperioribus iungunt: *mittit — munera*, ſimul cum his, *laetitiam dei*, h. e. vinum laetificum. Nolim quidem ſenſu abundare; dure tamen et lyrica potius audacia mihi ita dictum videtur *laetitia dei*; ferrem *laetitiam Bacchi*. Aliter quoque γάνος βοτρύων, ἀμπέλου. Aliter etiam infra: *Adſit laetitiae Bacchus dator*, v. 734. Ex quo Silius *Bacchi dona* duxiſſe videtur. Sane in codd. fere *dei*; ſic ipſe Romanus; occurrit et in Seruianis, et in Donati interpretatione. Et ſic iam Rufius Apronianus, monente Pomponio Sabino (male in ed. Lucii *die* excuſum eſt) legerat; quod ſine dubio ad eam recenſionem pertinet, e qua Mediceus codex prodiit: nam, cum in eo ab initio *de* eſſet, *i* rubro adſcriptum eſt, vt *dei* ſit. Sunt tamen et codd., in quibus alterum occurrit; nam Pierius tres illas lectiones ſigillatim e codd. laudat; et, *die* Doru. *Diae* Parrhaſ. recepit quoque *dii* Brunck. V. C. 639 *ſuperbae* Hugen. a m. ſec. interpolatrice. 642 Vulgatum ante erat *antiquae ab origine gentis*. At, quod nunc cum Brunckio V. C. dedi, *antiqua ab origine gentis*,

637. Iam Catullus dixerat LXI, 46 *quacunque opulenta receſſit Regia — Tota domus gaudet regali ſplendida gaza*. cf. reliqua. *luxu* praeclare pro apparatu regali. 639. Breuitatis, vtpote in narratione, et poeticae elegantiae ſtudium omiſſionem verbi peperit: *ſunt*, vel *inſtruuntur*. int. autem veſtes ſtragulas purpureas magna cum arte textas. *Oſtrum ſuperbum*, ſplendidum; inf. 697 et 700 *aulaea ſuperba* et *oſtrum ſtratum*. 640. Vaſa magna argentea et aurea, eaque caelata e more veterum admodum frequentato, et h. l. quidem factis maiorum Didonis anaglypho opere, ſeu extantibus figuris, expreſſis; de quo quidem conſtanter *caelare* et *caelatura* dici obſeruaui. (cf. *Antiquar. Abhandl.* P. II p. 135.) ...At

Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad nauis praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec; ipsumque ad moenia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,

obtulerant Gudianus, duo vetustiores Rottend., tres alii c. fragm. Moret. et quatuor Burman. cum Goth. pr. Et sic Medic. Pierii et Longob. cum aliis aliquot ap. eum. quod equidem praefero tamquam doctius et melius; et sic iam editi nonnulli habere videntur. *primaque ab o.* pro diuersa scriptura in alt. Hamb. *ducta suae antiqua* ed. Ven. 643 *mente* apud Germanum fuere, qui legerent male. *mentem* omnes libri tuentur. Mens *non consistere*, sed fluctuare, dicitur, quando curis et sollicitudinibus agitatur; vti et animus vel mens quassa, concussa, conquassata. 644 *ad nauem* Oudart. *transmittit* Menag. pr. *permittit* Moret. sec. et Graeu. Burm. coni. *remittit;* quod tamen metrum ferre negabat Schrader. Emendatt. praef. p. XLIII. IV. At tenendum, *praemittere* poetis dici vt προπέμπειν. προϊέναι. pro simpl. πέμπειν. *Achaten* e Grammaticis firmauit Heins. vulgo *Achatem.* 645 *Ascanio vt ferat* Venet. *ipsaque* pr. Moret. a m. pr. *secumque ad m. d.* Parrhas. *ad limina* Menag. pr. 646 *stat cari* Montalb.

ducta non ad opus e metallo, sed ad *feriem* spectat.

645. *Ferat*, nuntiet omnia haec, quae accidissent, vt bene iam Donat. et Seruius, qui idem bene illustrat. In v. sequ. *τὸ stat* pro *est*, vulgari verbo. *cari patris*, Φίλε πατρὸς, h. l. pro amantis.

647—656. Apud Homerum munera fere ξεινήϊα hospitibus aduenis dantur ab iis, qui excipiunt; abeuntes isti remunerantur v. c. Val. Fl. I, 660 vbi cf. not. Hoc loco iubet Aeneas apportare e nauibus, quae Didoni donet. *palla signis auroque rigens*, intextis rerum vel hominum formis ex auro. Laudant Pindari Isthm. VI, 58. 59 Οἰνοδόκον Φιάλαν χρυσῷ περφιγνῦσαν. Sed hoc illustraret *pateram aureis signis horrentem*, h. e. asperam signis extantibus. Sed *rigent vestes* plenae ac densae auro. Sic quoque Burm. Aen. XI, 72 *Tunc geminas vestes auroque ostroque rigentes Extulit Aeneas*: quas Dido — *tenui telas discreuerat au-*

Ferre iubet; pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argiuae Helenae: quos illa Mycenis,
Pergama quum peteret inconcessosque Hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum.

649 *circumtexto* sec. Moret. alibi. 650 *Ornata* Leid. f. ex nag. pr. *peteres* Fabric. laudat. Commode laudat Burm. ad Sueton. Neron. 49, vbi adde not. Ernesti et Oudendorp. Sic Gr. ἐκφέρειν. ἐξαίρειν. Odyss. ν, 137 πόλ.' ὅσ' ἂν ὐδέποτε Τροίης ἐξήρατ' Ὀδυσσεὺς etc. cf. Guell. *achanto* scribunt nonnulli hic vt *ornamenta*. 651 *Dum p.* Menag. pr. *peteres* Fabric. laudat. 652 *Abstulerat* alii, male.

ro. rigentes togas ex nostro duxit Claudian. I, 205. *Et circumtextum croceo velamen acantho*, praetextum acanthi foliis, oram ambientibus. De *acantho, (branca vrsina,)* vel capitulorum in columnis ornatu nobili herba, v. ad Ecl. III, 45, vbi in poculis ansae acantho circumlitae, vt apud Ouid. Met. XIII, 701 crateris os. *croceum* quidem eius genus est; nam vulgare est flore albo. saltem a femine luteo vix appellari eum *croceum* puto; quamquam hoc vestes tingi olim potuere, quod e Schol. MSt. N. Heins. ad Claudian. p. 180 b notauit. Calpurnius Ecl. IV, 68 *rutilum* dixit, vbi Tityrum *cantantem rutilo spargebat acantho Nais*. et similiter, puto, *Sidonium* Statius in loco ex nostro expresso III Silu. I, 37, 38 *Hic tibi* (Hercules) *Sidonio celsum puluinar acantho* (h. e. cui intextus sit ex purpura acanthus) *Texitur, et signis crescit torus asper eburnis*. (Vestes apud Seruium ex acantha vel acanthio, spinae genere, factae, bombycinis similes (v. Plin. XXIV, 66), alienae sunt ab h. l.) *Velamen* de peplo accipiunt; Seruius *cycladem* reddit; forte quod hoc inter feminea vestimenta inprimis est lautum. Non satisfacit; est κρήδεμνον, vel καλύπτρα, qua caput et velari et, si complicaretur, coma religari poterat. Homerico vero more v. 650—652 commendatur *velamen* illud ab Helena, in cuius mundo fuerat. Abstulerat autem cum Helena (Ἀργείην

Praeterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim,
Maxuma natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Haec celerans, iter ad nauis tendebat Achates.

653 *Ilionae*, vt ſit *ſceptrum Ilionae*, habent Mentel. pr. duo Rottend. et Leid., nec ab eo refugit Heinſ. Enimuero nimis nude ponerentur tum illa: *quod geſſerat olim.* 656 *Nec c.* Goth. pr. *Hac celerans* alter Mentel. a m. ſec.: vnde *Accelerans* pr. Rottend. Montalb. Vratisl. *Has celerans* Oudart. *Aſcelerans* tert. Moret. Vides, quam parum talibus variationibus ſit tribuendum.

Ἑλένην latiore ſenſu, etſi Spartanam, iam Homerus appellauerat.) Paris multas veſtes et ornamenta, κειμήλια, quae ipſa cum Helena repetebant Achiui. v. Iliad. γ, 70 et al.

653. Habes ſceptrum h. e. haſtam vel ſcipionem, inſigne puellae regiae, vt omnino hominum genere vel honore inſignium. v. Stat. Theb. VI, 81. Sic ap. Eurip. Troad. 150 Hecuba Σκήπτρῳ Πριάμε διερειδομένα choros ſe celebraſſe dicit. *Ilione*, e Priami filiabus fuit: v. Excurſ. ad h. v.

655. Coronam intelligo duplici materia, h. e. diadema, nam de eo agitur, aureum, gemmis diſtinctum, quo in monumentis, inprimis Italorum, ſaepe deas ornatas videas. Ouid. Met. XIII, 704 *Dant pateram, claramque auro gemmisque coronam.* neque aliter dictum, quam ad Virgilii imitationem (ſententia tamen ex Homero expreſſa Iliad. χ, 470, 1.) apud Valer. Fl. VIII, 235, vbi Venus Medeam ornat: *ipſa ſuam duplicem Cytherea coronam Donat;* nam ipſe Flaccus ſeſe interpretans ſubiicit: *et arſuras alia cum virgine gemmas;* et paullo anteceſſerat ſimilis forma: *ipſa ſuas illi croceo ſubtemine veſtes Induit.* Vix accedam, ſi, vt interdum ſolet, *duplicem* ſimpliciter pro magna, praeclara, accipias poſitam. Diuerſo ſenſu *geminas coronas* Claudian. X, 203 ſimpl. pro binis; etſi Gesn. ibi aliter.

At Cytherea nouas artis, noua pectore verſat
Conſilia: vt faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Aſcanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque oſſibus inplicet ignem. 660
Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis;

638 *mutatusque* Franc. ſenſum librorum edd. que vett. 660 *atque* tenuit Heinſ. propter con- *ac* pr. Moret. *vtque* nonnullae edd.

657 ſqq. Scilicet Venus, filio ſuo Aeneae timens, ne Iunonis fraude Didonis ac Poenorum voluntas mutetur, Didonem amore eius inflammat; eodem metu impulſa in nuptias conſentit inf. IV, 107 ſqq. Viderunt iam Germanus et Vrſinus, in toto Veneris artificio et machinatione Virgilium ante oculos habuiſſe Apollonium, quem cf. lib. III, 7 ſqq.: inpr. 25 ſq. 112 ſqq.

659. 660. *Donis furentem* vix niſi dure admodum dicas; quamuis v. 713 *Expleri mentem nequit ardeſcitque tuendo.* Melius vt *donis incendat reginam furentem*, vt amore furat; quo Seruii interpretatio ſpectat: qui ſimili modo accipit dictum IV, 22. *animumque labantem Impulit. oſſibus implicet ignem*, exquiſitiore forma, quam *oſſa implicet igni*, h. e. ipſis oſſibus ac medullis (vt de amore loqui mos eſt, v. Cerda et al.) flammas inſerere, immittere, inſinuare: pro vulgari, admouere: dictum, vt *inuoluere omnia flammis, incendio;* quoniam etiam in vulgari oratione *flamma inuoluit domum.* Quod autem donis mox afferendis tantopere confidit Venus, quodque Dido regina, quae cum theſauris effoſſis Tyro fugerat (v. 358. 363), donis illis tantopere mouetur (709 ſqq.), offendebat Schraderum, acutum poetarum iudicem. Scilicet artem, qua elaborata erant, palla, velamen et reliqua, et auctorem muneris, Aeneam, in illis inprimis probari putabimus.

661. 662. *Domum ambiguam* Seru. incertam, in qua habitat mutabilis femina; dure, meo quidem ſenſu. Ma-

Vrit atrox Iuno, et ſub noctem cura recurſat.
Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia, ſolus,
Nate, patris ſummi qui tela Typhoïa temnis; 665
Ad te confugio, et ſupplex tua numina poſco.

vide ad v. 298 et 486. 662 *reuerſat* Franc. v. IV, 3. 663 *Ergo quis* Goth. pr. *dictis compellat* vn. Guelpherb. in Sax. coll. 664 *mea regna* ſec. Rottend. 665 *Typhoëa* omnes, ipſe Medic. c. fragm. Vatic. Τυφωεὺς, Τυφώειος, vt Ἀχιλλεὺς, Ἀχίλλειος, Ὀρφεὺς, Ὄρφειος. Dubito equidem, an hoc *e* ex *ει* natum a poeta corripiatur. cf. ſup. ad v. 201. Apud Seru. multi, *Typhoïa;* hoc eſt verius: vt ductum ſit a *Typhos*, Τυφώς, vnde Τυφώϊος, itaque cum Brunckio recepi. In Franciano erat *Typhea* et ſuperſcr. *on, Typhonea;* debebat ſaltem *Typhonia*, vt eſt in Goth. ſec. Apud Claudian. de R. Prof. III, 183 *Typhoïa* recte expreſſum in Heinſ., male *Typhoeia* in aliis, aduerſus metrum: Τυφωνίος. 666 *et* deeſt in binis. *tua munera* duo alii ap. Burm. *lumina* Goth. tert. omnia ſolito errore.

lim *domum* pro ſtirpe, gente, Didonis dictam et ad fraudulentum Pygmalionis ingenium reſpici. Locus Aen. IV, 96, 97 aliter ſe habet. Recte itaque iungitur ipſius adeo populi ingenium, *Tyriosque bilingues* eodem ſenſu, h. e. fallaces. non enim cadit in poetam, vt mixtum aduenarum Phoenicum et Afrorum indigenarum ſignificet. *Vrit* infeſta *Iuno*, cogitatio de Iunonis in Aeneam odiis et conſiliis eam cruciat. *ſub noctem:* narratum de dea ſecundum humanum morem, quo nocte ingruente curae recrudeſcunt. Veſperi haec geruntur. v. inf. 726.

664 — 666. *Meae vires, mea magna potentia,* ſplendide pro, per quem ego valeo et potens ſum. Petiere hinc alii, vt Statius I Silu. II, 137 *tu, mea ſumma poteſtas;* adde Ouid. V Met. 365, quod a poeta forte graeco Virgilius ſumſerat. Paullo aliter filii patrum σθένος, robur, dicuntur; vnde et Tragici: v. c. Eurip. Troad. 570 Aſtyanax Ἕκτορος ἴνις. Contemtus, quo Amor Iouis fulmina habet, elegans poetarum et artificum veterum luſus, ſuaui cum varietate ex-

Frater vt Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora iactetur, odiis Iunonis iniquae,
Nota tibi; et noſtro doluiſti ſaepe dolore.
Hunc Phoeniſſa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo ſe Iunonia vertant
Hoſpitia: haud tanto ceſſabit cardine rerum.

668 *iacteturque*, maxima codd. pars apud Pierium, Heinſ. et Burm., atque adeo ipſi Medic. Rom. et fragm. Vatic., in quo tamen forte a m. ſec. Etiam ſic Seruii Codices exhibebant. *iacteturque dolis* Voſſ. pr. *iactatusque* Goth. ſec. omnia a praua manu, quae cauendum eſſe putabat, ne vltima in *iactetur* laboraret. *Iunonis acerbae* Longob. Pierii et fragm. Vatic. a m. pr. Similis commutatio a Burm. notata lib. XI, 587. 670 *Nunc* alii ſcripti et editi apud Pier. Heinſ. et Burm. et ſic fragm. Vatic. a m. pr. et habet, huo placeat. 671 Heinſ. coni. *vt vereor*. Heumannus olim: *At v.*

preſſus paſſim occurrit, etiam in gemmis, v. c. Muſ. Flor. T. II t. 16, 1 *tela Typhoia*, quibus Iupiter vſus eſt in Typhoeum. Pomponius Sabinus *Aetnaea* reddit, quatenus Aetna, Cyclopum, qui fulmina fabricantur, officina, Typhoei pectori impoſita eſſe a nonnullis dicta. *Typhois Aetna* Ouid. Ep. XV, 11. — *tua numina poſco*, tuam opem et auxilium, quod per *potentiam* et *numen* declarat.

667—672. *Nota tibi* ſunt (vt Graeci pro, notum tibi eſt), quemadmodum Aeneas fr. Magna autem cum arte et cum dilectu ſingula orationis membra ſunt efficta; vt illud: *frater tuus*. 670. Adumbratum putant ex notis verſſ. Odyſſ. α, 55—58, vbi Vlyſſes ſimiliter a Calypſo retinetur. 671. 672. Sollicita eſt Venus et metuit, ne hoſpitium hoc Aeneae in Iunonia vrbe ad eius exitium vertat (cf. IV, 96 etc.), Iunonis in Aeneam odiis. *tanto cardine rerum*, in articulo, ἀκμῇ, in tanto rerum momento, dum res ſumma agitur, an Troiani ab Italia fatalique regno auerti poſſint, illa ſc. Iuno *non ceſſabit*, ſed nouas aduerſus Aeneam machinas parabit, quo eum perdat.

Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor; ne quo se numine mutet:
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc adcipe mentem:
Regius adcitu cari genitoris ad vrbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Troiae:
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,

673 *quodcirca* Bigot. *arte* Oudart. et Leid. vn. *flammis* sec. Moret. 675 *Aenean* Medic. a m. pr. *mecum Aeneae* Sprot. *mecum magno Aeneae* Moret. sec. 676 *Quo* aliquot ap. Pierium et Heins., qui coni. *qui*. *Quo facile* Zulich. a m. pr. *quam* Gudian. a m. sec. addita intp. *prout* vel quomodo. v. Georg. III, 309. *quid* Leid.; sed recte *qua*, qua via et ratione, tuentur Heins. et Burm. *possis* Romanus. 677 *accitus* fragm. Vatic. 678 *puer ille* pr. Hamburg. 679 *et* abest a Doruill. 680 *Nunc ego* fragm. Moret. vt sup. 670. *Citheron* Parrhas.

673. *Cingere flamma;* vt X, 119 *moenia cingere flammis*. Sic *flamma involuere, circumdare*. h. l. amore, vt *amore irretiti, illaqueati*, tenentur. *ne quo se numine mutet:* ne Iunonis machinatione aliqua animus eius mutetur. cf. ad I, 8. 675. *Sed magno Aeneae mecum teneatur amore*. Iungenda: *teneatur mecum*, vt *magno* pro epitheto ornante sit; ita sensus esto: amet Dido Aeneam, quem ego amo, tueor, tamquam mater. In Seruianis altera occurrit interpretatio: *mecum, per meos amores, me adnitente* (h. e. per me), quam et Cerda amplexus est. Laudatur IV Aen. 115 *Mecum erit iste labor*, h. e. apud me, fiet per me, meus erit. Silius VIII, 330 *mecum erit haec prorsus pietas*, h. e. aderit, inerit mihi. Lenior ratio habenda est prior.

677. *Ascanius* designatur per *regium puerum*, quatenus *Rex Aeneas* saepe dictus. *maxima cura*, h. e. amor, carus Veneri. 679. Cf. 647. 680. Inf. X, 86 *Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera*. Cy-

Aut ſuper Idalium, ſacrata ſede recondam;
Ne qua ſcire dolos, mediusue occurrere poſſit;
Tu faciem illius noctem non amplius vnam
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus:
Vt, quum te gremio adcipiet laetiſſima Dido,

681 *Idalium* Bigot. ſec. et Rottend. tert., ſcilicet vt conueniret cum v. 693 *Idaliae lucos;* ſed v. not. *Idalia* Goth. alter. *ſecreta* Leid. et pr. Hamburg. *reponam* Sprot. a m. pr. 682 *ne quis* multi ap. Burm. *mediusque* Hamb. alter. 683 *ipſius* pr. Moret. 685 *Et* Goth. tert. *vt te cum* vnus Guelpherb. in Sax.

thera, *τὰ Κύθηρα*, inſula ipſa, Laconicae obiecta, h. l. *alta*, quatenus montoſa eſt, hinc etiam *ſuper;* niſi forte aliquis montes in ea deſignari malit, vt et Idalium *τὸ Ἰδάλιον ὄρος* in Cypro; et ſequuntur vtique v. 692 *alti Idaliae luci;* etſi et ipſa vrbs *Idalium; τὸ Ἰδάλιον.* v. Stephan. h. v., quae paullo poſt 693 *Idalia, Ἰδαλία χώρα*, vt *Venus Idalia*, dicta. Vrbem ſaltem altero loco intelligas X, 86, quia cum Papho Idalium memoratur; et ante v. 51 erat: *Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos atque Cythera, Idaliaeque domus.* Sic *Γόλγοι καὶ Ἰδάλιον* ap. Theocr. XV, 101. Erat autem templum in monte poſitum. cf. Strab. XIV, p. 1001 c. cum nota Caſaub. (vrbem et montem intellige ap. Bion. Idyll. 1, 36. 37, vt expedias interpretes). Sed *ſuper alta Cythera*, pro, ſuper Cytheris (vt I, 295 *ſedens ſuper arma*), eſt pro *in:* vt *ὑπὲρ* ſimili modo dictum occurrit. Niſi malis ad motum referre, vt lateat notio *τῆς abductum* ſuper Cythera et Idalium. *ſacrata ſede, ἐν τεμένει.* vt Erechtheus abditus erat in Mineruae ſacrario (Il. β, 549) aut Phaethon in Veneris templo ap. Heſiod. Theog. 990. 682. *ne qua*, ratione ac via; *ſcire* pro reſcire dictum. *medius occurrere*, in medio negotio, ſup. 348 *Quos inter medius venit furor.* h. l. de eo, qui impedimentum affert. 683. *faciem falle*, mentire, ſimula, falſam exhibe. cf. German. *facies* pro toto corpore et habitu. v. h. l. Burm.

Regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat, et fotum gremio dea tollit in altos

collect. *accipiat* sec. Moret. male. 686 *Regales epulas inter* Montalb. 688 *obscurum* alter Hamburg. *fallaxque venenum* ed. Venet., non infelici errore. 690 *et vultu* Schol. Stat. II Theb. 96. *gressu gradiens* Sprot. a m. pr. *incessit* Doruill. 691 *placitam* sollenni vitio aliquot ap. Pier.

cf. v. 658. *notos vultus*, ex more poetarum, de vultu cuiusque suo, ac proprio. 686. *laticem Lyaeum* pro vulgari: latex Lyaei. Sed poetarum more pro derivato adiectivo, *latex Lyaeius*, quod ipsum vix usus ferret, ponitur. 688 *inspires ignem*, nonne paullo durius hoc? et iungitur etiam noua rei imago: *fallasque veneno*, h. e. per fraudem venenum ei instilles. Quod autem hoc ita adstruit poeta, vt Didonem inter conuiuii hilaritatem, quae animum relaxat, amore inflammet, naturae humanae conuenienter comminiscitur.

690—694. *Gaudens* suaviter adiectum vt alias, *laetus paret*, h. e. lubens, et mox 696 *duce laetus Achate*, — *quietem irrigat*, vt *somnum infundere*, et, vulgatiore ratione, *perfundere somno*, *irrigare membra quiete*, habet ab antiquioribus poetis, Lucretio et Furio Antiate, apud Macrob. VI, 1. Et hi duxere ex Homerico ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν. περὶ δ' ἀμβρόσιος κέχυθ' ὕπνος. Nata autem loquendi forma ex notione humoris, forte a rore ducta, quo herbae perfunduntur, primum *nocti*, tum *somno* adiuncta; vnde ὑγρὸς ὕπνος. Ex eo ipso artificum ratio ducta, quod Somnus cornu defundit quietem vel somnia; non inuerse, vt vulgo creditur. 692. *fotum gremio*, ornatius quam, *positum*. hae-

Idaliae lucos: vbi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adſpirans conplectitur vmbra.
Iamque ibat, dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.
Quum venit, aulaeis iam ſe regina ſuperbis
Aurea conpoſuit ſponda mediamque locauit.
Iam pater Aeneas, et iam Troiana iuuentus
Conueniunt, ſtratoque ſuper discumbitur oſtro.

694 *floridus* et *amplectitur* Zulich. cum Parrhaſ. 697 *conuenit* Goth. tert., ſed in eo fere ſemper *con* pro *cum*. 699 Malim cum ſuperioribus iungere: *Cum venit, a. iam ſe regina ſ. compoſuit — Iam pater A. conueniunt*, h. e. iam etiam p. 700 *conuenient* Rom. a m. pr. *decumbitur* Commelin. *ſtructoque*

rent interpretes. cf. 718 *interdum gremio fouet. amaracus*, ſampſuchum vel *maiorana*, quae inter coronarias eſt. v. Plin. XXI, 11 ſ. 35. 39 *in Cypro laudatiſſimum et odoratiſſimum*, ibid. c. 22 ſ. 93, et, vt *vmbram* h. l. efficiat, luxuriantius ibi naſci debet. Suauiter autem ſingula in v. 693. 694. *conplectitur adſpirans*, adhalando odores, ἡδύπνεος. 695. 696. *Duce laetus A.* ornate pro habens ducem. cf. 690.

697. 698. Accumbebat iam menſae in toro Dido, cum falſus Iulus aduenit. *Aulaea* ſunt veſtes ſtragulae: v. 639, ſpondae et toro iniectae; et ſubiicitur *ſponda*. Alia ſunt aulaea Georg. III, 25. Cerda cum aliis de velis appenſis, quae proprie *aulaea*; vt Horat. II Sat. 8, 54. ſub quibus torus eius collocatus fuerit. — *ſe compoſuit*, pulchre pro conſedit. *ſponda aurea* iungendum, ne *ſponda* nude ſit poſita. Dicta autem *ſponda* exquiſitius quam lectus. *mediamque locauit*, inter Aeneam et falſum Iulum, in triclinio, aiunt. Copioſe explanat Cerda. Verba tamen tantum hoc ſuppeditant: eam conſediſſe in lecto; et *mediam* ſe *locauit* ad poeticum ſermonem referendum. Sunt quoque mox ſedes Troianorum diuerſae. 699. 700. *Strato oſtro*, ſuper

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulae: quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere Penates.

ed. pr. Burmanni. adde Pierium, vnde male adscriptum Pomponio in edit. Basil. Lucii. 701 *Dant manibus famuli* Medic. (hic vtique: *Dant m. famulae)* Gudianus cum al. optimis; item Romanus, Longob. aliique Pieriani; adde quos Cuninghamus laudat. Vulgatum ordinem retinuisse Heins. videtur Prisciani auctoritate motus. *Dant f. lymphas manibus* Hamb. pr. *lympham* Hamb. sec. 702 *tunsis* Medic. *mantelia* Heins. post Pierium cum vetustiss. Rom. Medic. aliisque. Vulgo *mantilia.* v. Georg. IV, 377. 703 *longam penum* a Virgilio dictam, Carisius lib. I Instit. auctor est. Duplex scriptura iam Gellii aetate circumlata est. v. IV N. A. c. 1. *longam penum* expressit etiam Ausonius. Donatum et Seruium frustra laudat Ge. Fabric. Retinuit tamen Heins. *ordine longo* praeclare, propter codd. consensum, et Nonii Marcelli Eugraphiique auctoritatem. Adde etiam poeticam rationem, quod *ordine longo* grauius ac dignius dictum. *instruere* porro legitur ap. Gell. l. c.

toro purpurea veste, stragula, strato. cf. 639.

701. 702. *Post discubitum* hoc loco (etsi non semper, quod Interpp. volunt, ita veterum mos ferebat. v. Od. δ, 52 sq. η, 172) aqua affertur ad manus lauandas; afferuntur ad eas tergendas (non ad mensas integendas, vt quidam commentantur; hoc enim vt ne opus esset, mensas cum ipsis ferculis tolli mos erat) χειρόμακτρα laevia ac mollia (v. ad Georg. IV, 377) simulque instruitur mensa pane e canistris depromto et apposito. Apud Homerum panis (quippe crustae vel placentae nostrae similior) in canistris apponitur, vt Odyss. α, 147 et al., quod pressius sequitur noster Aen. VIII, 180, 181.

703. 704. In interiore aedium parte erant feminae, quae panem in canistris struerent, vt circumferretur et distribueretur conuiuis: quod v. 701. fiebat. Nam hoc est, iis curam fuisse, *struere penum.* In fraudem me induxerat Fauorini disputatio apud Gellium IV, 1 vt redderem:

instruere et adornare edulia ac cibos. Enimuero versamur hic in poeta epico et in vita heroica. *longo ordine*, quoniam L. numero, (respexisse poeta putatur Odyss. η, 103 sq. de Alcinoi regia, cuius conuiuium expressit in seqq. ex Odyss. θ, 57 sq.) *et flammis adolere Penates*. Penates aut pro aris ac focis, aut pro ipso penetrali, omninoque pro domo accipi possunt. Iam *eos adolere flammis* dixit Virgilius poetico orationis more, pro, flammas adolere in Penatibus, s. aedibus, h. e. in aris ad Penates. vt VII, 71 *castis adolet dum altaria taedis* pro taedas in altari, exquisitiore ratione, vt passim alibi, *adolere focos* et alia. Eodem modo Ge. IV, 378. 379 *Panchaeis adolescunt ignibus arae:* h. e. tura in aris adolescunt vel ardent. Statius, qui totum h. l. expressit, sed, vt solet, ad fastidium vsque productis singulis rerum momentis I Theb. 512 sqq., ait: *adolere focos, epulasque recentes Instaurare, iubet. Adolere focos*, etiam Silius dixit XI, 278 in loco, qui et ipse ex nostro est adumbratus; quod iam ante Cerdam vidit Pomponius. Iam autem quaeras, quorsum, in vita vtique heroica, inter epulas in foco ignis incendi solitus sit? Non sane frigoris depellendi caussa; nec ad carnes coquendas: Verum perpetuus ille, etiam per sequiora tempora, religiosus mos fuit, vt in festis saltem epulis focus igni luceret, in deorum vtique honorem, Penatium maxime vel Genii vel Laris; facta quoque in focum libatione vini, seu ture cremato; heroica vita etiam carnis prosectis in ignem iniectis. De ture testatur locus e Ge. IV, 378. 379 excitatus. In explicando voc. *adolere* nugantur Grammatici. Videtur *olere* ab initio omnino notionem augendi habuisse, sed substitisse tandem in vno rerum genere, quod incrementum habet continuum, seu quod continuatur, scilicet flammae in fomite nutritae; vnde *adolere* est cremare; tum fumi et odoris ex cremata victimae carne vel ture; vnde *olere* est odorem emittere. Nonnulla de his iam in Perizon. ad Sanct. p. 757 occurrere video.

Centum aliae, totidemque pares aetate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerant, et pocula ponunt.
Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Conuenere, toris iuſſi discumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae; mirantur Iulum,
Flagrantesque dei voltus, ſimulataque verba,

706 Antea *onerent. ponant.* Sed *onerant. ponunt.* Rom. cum plerisque aliis peruetuſtis Pierii, quod recte illi probatur, tamquam quod neſcio quid picturatius habeat, quum res ipſa ita geri videatur. Scilicet omnino hoc in Marone obſeruare licet (vide v. c. IV, 27); recedit ille ab hac conſequentia temporum, cui tantopere ſtudebat Cicero, et ex qua dicendum eſſet, quod antea hic editum erat: *Centum miniſtri* ſunt, *qui — onerent et ponant. dapibus onerant* iidem; et Giphan. Indic. Lucret. p. 462 e ſcriptis vindicat. *onerant et ponunt* etiam Ald. pr. Parr. c. Goth. pr. et tertio. *onerant et ponant* ed. Ven. Iunt. Aldd. 707 *limina nota* Doruill. 708 *viſi d.* Menag. pr. vt ſaepe. *discrimine* Goth. pr. 710 *flagrantis* Medic. c. Mentel. pr. Parrhaſ. et al. Etiam ſic Rom. qui alias quartos caſus per *es* effert. ſed *flagrantem deum* vix feras; et epitheton h. l. requiritur in *vultus. flagrantis* multi alii. *ful-*

705. 706. Ducentis aliis miniſterium dapum et vini apponendi mandatum. *pares aetate,* int. pueros, ex more. Valer. Fl. II, 653, loco hinc expreſſo: *centumque pares* primaeua *miniſtri Corpora.* Quae de poculis in ſecunda demum menſa adhibitis memorat Burmannus h. l. et ad v. 737, ad heroica tempora referenda non erant. Cibus et potus ap. Homer. ſtatim ab initio apponuntur; maiores calices ad libationem faciendam ad finem coenae; vt et hic inf. 723.

707. 708. *Per limina laeta,* ſimpl. in domo. Mox *tori picti* iterum ſunt veſtes ſtragulae. 710. *Flagrantes dei voltus.* Seruius: *ardentes diuinitate;* ſed hoc parum clare. Nec clarius Donatus. Vt de roſeo genarum colore cum Cerda accipias, vix loquendi ratio ſert. Arbitror *oculos fulgentes* indicari, vtpote Amoris: ſaepe ap. Ouidium *igne, ignis ful-*

Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Praecipue infelix, pesti deuota futurae,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phoenissa, et pariter puero donisque mouetur.
Ille, vbi conplexu Aeneae colloque pependit,
Et magnum falsi inpleuit genitoris amorem;
Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto

gentisque Sprot. e glossa, quae in Leid. vn. *vultum* Menag. pr. 711 *Pallamque* — Versum hunc post superiorem abesse aequo animo ferrem. 713 *videndo* Hamb. pr. ex interpr. 714 Vulgata erat: *puero pariter donisque.* *pariter puero* omnium librorum Pierii, Heins. et Burm. lectio est, quam etiam Carisius agnoscit, vt mireris eam non esse receptam: id quod cum Brunckio V. C. nunc fecimus: inprimis cum obseruatum nobis sit, illam inter duas voces copulatas aut inter nomen et epitheton interponendae vocis rationem esse exquisitioris vtique elegantiae, naturalem autem hunc positum priscae simplicitatis et maiestatis. Vulgatam Hamb. pr. et Goth. pr. tuentur, et Ven. cum pr. Moret. *pariter donis pueroque.* 716 *Huc oculis* Goth. tert. *et pectore* pr. Hamb. ed. Iunt.

gore micantes, item *flagrantes oculi*, *flagrantia lumina amantum.* Mox *pictum* int. h. l. *circumtextum*, ex 649.

712—714. *Pesti deuota futurae* δεινῶς, pro amori exitiabili destinata, eo amore iam contacta. Vis poetica mox in eo, quod *mentem* addit, et quod *ardescit* et quod *tuendo* pro intuendo. Mox *mouetur* cum dilectu plus quam, *delectatur*, *tenetur*.

716. Desiderium ex absentia, quo pater tenebatur, dixit *amorem magnum*, quem puer nunc expleuit, satiauit, amplexu. Cf. Exc. ad h. v. 717 sq. *Haeret* in puero — *gremio fouet*, tenet. noli ex nostro sedendi more aestimare (quod etiam Valesium fefellit in Valesianis p. 63); sed accumbentium situs animo est repraesentandus: qui alteri proxime accumbit, applicat se eius sinui ac gremio. Iulus iam tum pubescere debuit, si quidem ante septem annos patris ductu e Troia egressus est. Idem IV, 56 exultat inter venantes; et

Haeret; et interdum gremio fouet; inscia Dido,
Insidat quantus miserae deus! At memor ille
Matris Acidaliae, paullatim abolere Sychaeum
Incipit, et viuo tentat praeuertere amore
Iam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae:

718 *inscia, quantus* malebat Iortin (*Tracts* II p. 465) 719 *insidat* Medicei et optimorum codd. ap. Heins. est lectio, quam et Seru. ac Donatus agnoscunt, cum Nonio, tamquam archaismum, adeoque doctiorem. Vulgo *insideat;* quam codd. et edd. familiam ducit, vt alias, Romanus. De voc. vi v. German. Val. *quantum m. d. ac memor* Franc. 720 *obolere* alter Menag. 721 *peruertere* Montalb. Leid. *peruertere amorem* ed. Ven. et sic Romanus antiquiss. *praeuertere tentat amore* Puget. *vino t. p. amorem* Goth. tert. 722 *dissueta* qu. Moret. et Wall. 723 Idem fere versus sup. 216.

lib. IX, ei summa rerum creditur in castris, absente patre. *miserae* pro *sibi*, quanta cum vi! et ex poetae cogitatione et sensu egregie est insertum: *inscia Dido Insidat quantus miserae deus*. *Acidalia* Venus ab Acidalio fonte, qui est in Orchomeno Boeotiae ciuitate, in quo se Gratiae lauant, quas Veneri constat esse sacratas. *Seru. abolere Sichaeum*, h. e. Sichaei memoriam, desiderium, amorem. *praeuertere* exquisite pro simplici, occupare amore. Nam, quod occupamus, in eo simul praeuertimus alios, ne occupent. *amore viuo*, vt *flamma viva;* opp. *resides animi*, animus ad amandum, vt bene Seruius, iners et qui desuevit amare. *Amor* autem *puber* h. l., vt in vet. signis apud Winckelm. *G. d. K.* p. 233.

723. *Postquam prima quies epulis* h. e. cumprimum epulandi finis esset factus. Nam *libatio* ad finem coenae fiebat, v. ad v. 705. VIII, 184 et 273, 279, 280. De spatio inter primam et secundam mensam frustra Cerda multa. *mensae remotae*. cf. ad v. 216.

Crateras magnos ſtatuunt, et vina coronant.
Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant

724 *crateres* aliquot ap. Burm. *magnas* tert. Rottend. et Leid. quaſi a *cratera* ductum ſit. *Crateras laeti ſ.* Nonius et *Crateras longe ſt.* Lutatius, ap. Burm., forte ex Aen. VII, 147. 725 *It ſtre-*

724. Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἔντο, Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσι (quod quidem hic aliter v. 729) Iliad. α, 470, 471. Alter verſus etiam alibi repetitur vt Odyſſ. α, 149. δ, 339. Meminiſſe autem neceſſe eſt ex Homero, ſtatui ad coenam maiora vaſa, crateras, et minoribus poculis ex iis hauſta vina distribui inter ſingulos conuiuas, apud Homerum quidem per praeconem ad ſingulos conuiuas accedentem, v. c. Odyſſ. θ, in Alcinoi conuiuio, quod Virgilius reſpexit. Sedebant enim conuiuae in ſoliis parietem ambientibus, et vnicuique apponebatur menſa cum cibo. Iam *vina coronant:* quo ſenſu dictum a poeta ſit, vix ſatis definiri poteſt. Si ad Homeri locum, vnde reliqua adumbrata ſunt, reſpiciendum eſt, et, ſi κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο expreſſum eſt: aliter quam de impletis vsque ad ora poculis intelligi nequit. (et ſic Pomponius et Seruius, qui tamen et alteram interpretationem habet) Sic et Iliad. Θ, 232, vbi de copia cibi potusque: πίνοντες κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο. Alia brevitatis ſtudio omittimus. *Vina* tum dicta ſunt pro *poculis*, quorum oram ambit, coronat, στέφει, vinum infuſum. Altera interpretatio eſt minus recondita, vt coronata ſint pocula, ſertis impoſitis. De corollis his cogitare heroici temporis mos ſane non patitur, cf. Athen. I, 15. p. 18. E. F. De ſequiore vero aeuo non dubitatur, vt Georg. II, 528 *ſocii cratera coronant.* Hoc ſi tenemus, dicendum, poetam maluiſſe ſui temporis morem inferre, quam antiquum retinere; quod idem commiſit inf. lib. III, 525 *Tum pater Anchiſes magnum cratera corona Induit impleuitque mero.* cf. Hotting. V. C. Muſ. Turic. T. I.

725. Comparant illud:

Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina grauem gemmis auroque poposcit
Inpleuitque mero pateram: quam Belus, et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:

pitus tectis Gud. a m. pr. pr. Menag. Rottend. tert. Leid. a m. sec., quod et in Seruii Codice fuit, nec Burmanno displicet. Mihi quidem nimis in maius rem ferre videtur, cum de strepitu, sermonibus et clamoribus inter vina agatur. Scythicum foret, si *strepitus ad tecta it*, vt, *clamor coelo it*. Aliter infra IV, 666. Didonis morte cognita: *It clamor ad alta Atria. vocesque* Bigot. alter Rottend. cum Schol. Cruqu. ad Horat. III, od. 19. *perampla* vna voce nonnulli Pieriani cum pr. Moret. idque probabat Iortin l. l. *per alta* Longob. cum aliis Pierianis, item Zulich. ex lib. IV, 665, obseruante Burmanno. 726 *lychyni*, *lichini*, aberrationes ap. Burm. Praeclare Seruiana: Graeco sermone vsus est, ne vile aliquid inroferret; nam offendisset *lucerna*. *lacuaribus* ab aliis scriptum fuisse, ibidem monitum videas. *laquearibus altis* vnus Guelpherb. in Collat. Cort. 729 *qua* magna pars codd. ap. Heins. item ed. Ven. et pr. Goth. sed recte reiectum; est enim minus doctum. *a bello* Zulichem. addita glossa: festiuis diebus. 730 *dum f.* Longob.

Μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα, Odyss. α, 365 et alibi repetitum. Lectissimis verbis vsus et noster, inprimis in *volutant:* loquuntur quae audiri possent per totum coenaculum. 726 sq. Continuatam in multam noctem coenam indicare vult poeta. Verbis similibus vtitur Statius I Theb. 520. 521 et Silius XI, 281. 282, iam supra laudati. cf. Cerda. Obserua et hic v. 726. 727 summum ornatum verborumque dignitatem in re tenui. Non lucernas vel candelabra posuit, sed *lychnos*, *funalia*, h. e. funiculos cera illitos; h. e. faces. cf. Odyss. η, de regia Alcinoi, 100 sqq.

728—730. Etiam hinc sua duxit Statius l. c. 539 sqq. *soliti*, sc. mero implere, h. e. qua vsi fuerant. A Belo autem Tyriorum regum stirpem ducebant Graeci v. Seru. sup. ad 642. Apollodor. II, 1. cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 402. Ex nostro idem Silius I, 87 sq.

Iuppiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
Eſſe velis, noſtrosque huius meminiſſe minores.
Adſit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno.
Et vos, o, coetum, Tyrii, celebrate fauentes.
Dixit, et in menſam laticum libauit honorem,

733 *que* abeſt Menag. alteri. 734 Ante Pierium vulgo lectum, *adſis*. Sed omnes eius libri habebant *adſit* vel *aſſit*: neque aliter Heinſiani cum Macrob. III Sat. 4. Comment. Cruqu. ad Horat. I od. 18; vtramque lectionem agnoſcit Seruius. *At ſit* Medic. 735 *O Tyrii coetum* quatuor ap. Burm. 736 *in menſa* vulgg. ſed *in menſam* Macrobii, optimorumque librorum et exemplorum copia firmauit poſt Pierium Heinſ. Redit res eo, quod doctius dicitur hoc, quam illud. nonnulli etiam apud Pierium, et noſtri tres Gothani, *immenſum*, quod eodem alludit. adde lib. VIII, 279.

731 — 735. Preces inter libandum ad Iouem ξένιον, hoſpitalem, factae. *hoſpitibus te dare iura*, praeeſſe, ſub tutela eos habere; (non aliter vſus loquendi fert, nam *dare iura* ſimpliciter eſt, imperare. Dicerem eſſe, *qui hoſpitibus illatas iniurias vlciſceris;* ſed, an *dare iura* pro vlciſci dicatur, dubito). Expreſſa autem illa Homerica Odyſſ. η, 179 ſqq. Adde Odyſſ. ν, 50 et plur. al. loca. Illud *nam* cauſſam interponens Homericum eſſe ſatis conſtat. cf. Erneſt. ad Odyſſ. μ, 320. — *minores*, nepotes, ſup. 532. — 734. *Bacchus laetitiae dator;* Germanus laudat Δῶρα Διωνύσα πολυγηθέος ap. Heſiod. Op. et D. 614. *bona Iuno*, propitia, χρηστή, ἀγαθή. Invocatur autem hic, vt patrium Tyriorum numen. cf. ſup. v. 15. 735. *coetum celebrate*, bene Seru. conuiuium; *fauentes* interſitis huic conuiuio.

736—740. *Laticum*, laticis, *honorem*, h. e. vinum in deorum honorem ac cultum libatione effuſum. *libato*, h. e. poſtquam libatum erat, vel libato laticum honore, alteri tradit vel tradi iubet poculum, vnde primo loco guſtauerat, regina, vt et ille libatione facta biberet; quod et is laetus lubensque facit. πρὄπινεν illa et *dedit*,

Primaque, libato, ſummo tenus adtigit ore.
Tum Bitiae dedit increpitans; Ille inpiger hauſit
Spumantem pateram, et pleno ſe proluit auro.
Poſt alii proceres. Cithara crinitus Iopas 740

737 *libatos* n. latices coni. Heinſ. et alii viri docti. Nec inſitiandum, verſum concinniorem et ſuauiorem inde exire. *libatos latices attigit* h. e. poculum, vnde pars vini in menſam iam erat effuſa. *libatum* alter cod. Hamburg. videlicet honorem. *ſacro tenus* Sprot. *cum Bithiae* Hamb. pr. *Biciae, Byciae* al. 739 *ſummo ſ. p.* Menag. pr. *profluit* Oudart. *ſ. ſ. p. ore* nonnullos libros legere Pierius docet.

propinauit. Is enim vitae heroicae mos, vt ſingulis conuiuis deinceps poculum repletum praebeatur, vnde libatur, tum vinum ebibitur. *increpitans*, ſimpl. adhortans, inuitans, vt et ipſe biberet; nil amplius. Sic et aliis in locis exponi poteſt. Obiurgandi hic nec locus, nec dignus vel reginae vel epici poetae perſona talis ſarcaſmus: vt nec illud ex poetae mente ſit, quod Didonis verecundiam in bibendo, Bitiae auiditatem, praedicant. Aliena haec a loco et conſilio poetae omnia. Sed dicendum: quod poetae memorandum erat, in eo illum verecundiam ſexus feminei obſeruaſſe; inprimis antiquorum temporum more, cum matresfamilias vino non vterentur. Recedit quoque a noſtro more hoc, quod non Aeneae hoſpiti offert poculum Dido; nam in honorem eius aduentus diis libatur. — *ſummo ore tenus.* primis labiis deguſtauit. *Bitias* Punicum nomen, quod et alibi occurrit. *pleno auro ſe proluit*, poculum vini plenum exhauſit, quod tantum labris attigerat Dido; *proluere ſe*, gulam, dictum puta, vt *vino perfundi, madere, tingui*, de ebriis; quae omnia notiora ſunt. Burmannus docte, non eleganter, haec illuſtrat. *Multa prolutus vappa* etiam Horat. I Serm. 5, 16.

740. Ad Homeri imitationem, inprimis Odyſſ. θ, 62 ſq. Heroicis temporibus ſemper ἀοιδὸς conuiuiis, quae fere cum re diuina erant coniuncta, aderat. cf. Quintil.

Personat aurata, docuit quae maxumus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores; [ignes;
Vnde hominum genus, et pecudes; vnde imber, et

741 *docuit quem* Medic. cum parte codd. Heins. nec non Romanus cum aliis Pierianis. Etiam Seruius: *quae* legendum, non *quem. docuit quam* Graeu. *Atlans* Romanus, et sic Mentel. 742 scripsisse nonnullos *is*, Pierius monet. Scilicet *hic* eius loco positum. Atque is quidem (Iopas) canit etc. 743 *vnde genus hominum et pecudum* — Hamb. pr. *pecudes, aqua, imber et i.* ed. Ven.

I, 10, 10, (quem locum sine auctore affert Pomponius.) *crinitus:* proprius is citharoedorum habitus, comam alere; forte Apollinis exemplo. Traduxisse tamen ex suis temporibus ad vetera videtur Virgilius. *personat,* canit cithara ea, *quae docuit,* cecinerat prior, *Atlas.* Sic poetis *sonare,* et *docere, διδάσκειν.* Praeclare et hoc ad illorum temporum, quibus omnis philosophia naturae qualicunque contemplatione continebatur, rationes, quod carminis argumentum ex cosmogonia et ex physicis petitum est. Quod autem Atlantem cantus magistrum facit, fabulam alicuius poetae Graeci exquisitiorem redolet, veluti quod Ecl. VI Silenus physica docebat. Atlanti vulgo tributa siderum notitia ac sphaerae inventum. cf. Intpp. Ouid. IV Met. 631 etc.: ad Apollod. Not. p. 681 sq. Idem inter primos philosophos recensetur a Diogene Laert. in prooem. Quamquam haec omnia ad solum astronomiae studium referri possunt. Cum Iopas Tyrius, nunc Poenus, citharoedus inducendus esset a poeta, acute Atlantem e vicinis Mauretaniae montibus auctorem carminum, quae caneret, ei arcessiuit. *maximus Atlas.* Aen. VIII, 136 *maximus Atlas, — aetherios humero qui sustinet axes.* Est autem simpliciter dictum pro magnus. Sic *maxima Iuno.* et alia.

742—746. *Errantem lunam,* pro *lunae errores* seu cursus. *solis labores,* defectus, eorumque causas. Georg. II, 478. *Defectus solis varios lunaeque labores.* Alioqui *Solis labores* et ipsi de cursu solis accipi

Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.

scil. *aqua* ex gloſſa. *et ignis* Sprot. et Rottend. tert. *et pecudes, genus vnde ſerarum* Medic. Pierii. 744 *Pliadasque Hyadas* plures ap. Heinſ., et duo Goth. *Plyadasque hyades* ed. Ven. *Pleiadas*que Parrhaſ., ſcilicet quoniam alias *Pleiadesque Hyades-que* iungi norant (ſup. Georg. I, 138. Iliad. σ, 486. Ouid. Met. XIII, 293): inuito metro, plane vt Aen. III, 516, vbi idem verſus recurrit, factum videmus; v. Heinſ. ad e. l. *ſeptemque triones* Hamb. alter. 745 *Qui* Goth. ſec. *properant* tres Burmanni. *ſe intingere* pr. Moret., qui et mox, *obſtat*. 746 *tum quae* Goth. ſec. non male. Iidem hi duo verſus 745. 6 ſupra Georg. II, 481. 2 occurrebant. 747 *plauſum* vulgares libri habent. Sic etiam in Seruianis. Sed *plauſu* Romanus c. aliis vetuſtiſſ. Pierii, item Medic.

poſſunt. *imber et ignes*, h. e. fulgura, ex nubium afflictu. *Arcturus* ſtella poſita in ſigno Bootae, et *Hyades* ſtellae in fronte Tauri. cf. Seru. ad h. l. *geminique Triones:* ſunt Helice et Cynosura, Vrſa maior et minor, *teriones*, h. e. boues, dictae (v. ad Georg. III, 381), quia ab antiquis hominibus ſub boum, iugo iunctorum, forma ſidera haec comprehenſa fuiſſe videntur; hinc iisdem, et interdum maiori Vrſae ſoli, (vt Odyſſ. ε, 273), tributum nomen ἅμαξα, *plauſtrum;* et hinc *Bootes*, qui deinde, Vrſarum formis et nominibus ſubiectis, *Arctophylax* dici coepit. Vſus etiam tulit hoc, vt ſeptem in altero horum *terionum*, Vrſa maiore, ſtellae clariſſimae (cf. Cic. N. D. II, 41) *ſeptentriones* appellarentur. De ſideribus his v. Eratoſth. I, 2. 8. 14. — 745. 6. Cur dierum ſpatia decreſcant ac creſcant per diverſas anni vices.

747. *Ingeminant plauſu*, exquiſitius dictum, quam *ingeminant plauſum*. cf. V. L. ductum ex eo, quod *ingeminare* abſolute quoque di-

Nec non et vario noctem ſermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa:
Nunc, quibus Aurorae veniſſet filius armis;
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, et a prima, dic, hoſpes, origine nobis
Inſidias, inquit, Danaum, caſusque tuorum,
Erroresque tuos: Nam te iam ſeptima portat

cum caeteris Heinſ. praeter Sprot. et Ven. adde Waſſ. ad Salluſt. b. I. 5. *plauſu* etiam duo ex Goth. In tert. Moret. *plauſus*. Sed praeclare *plauſu* reuocat Heinſius, qui et exemplis illuſtrat promiſcue poſitis, quibus tamen apparet tantum hoc, *ingeminare* abſolute dici: *ingeminat clamor*, *ingeminat plauſus* (ſc. ſe) et ſic alia. Scilicet dicendum: *plauſu ingeminare* eſſe doctius et exquiſitius dictum, quam *plauſum*, vti multa alia ſimiliter immutari ſolent, vt poetica dictio a vulgari recedat. cf. Heinſ. ad Aen. II, 207. Sic illud Ouid. Faſt. VI, v. extr. *increpuitque lyra* pro, *increpuit lyram* apud Horatium. 748 *trahebant* ed. Ven. 750 *ſuper Hectora* Gudianus. 751 miror neminem coniecisse: *quibus A. veniſſet filius oris*. 753 *Nunc age* Hugen.

citur. 748. *Noctem ſermone trahebat* doctius quam alterum, *ſermonem trahere in noctem*. — 749. *longum bibebat amorem*, imbibebat, quaſi longo hauſtu. Metaphora per ſe frequens.

751. 752. Ornate pro: ſuper Hectore, Memnone, Diomede et Achille. Debuit autem in armis Memnonis aliquid memorabile eſſe, quemadmodum in caeteris quoque. Vid. Excurſ. ad h. v.

753. *A prima o.* excidium Troiae a ſimulato inde Achivorum reditu equoque fabricato. Male alii poſt Servium: a raptu inde Helenae. 755. Annorum numerum vel ex ipſo Aenea vel ex Teucro ſcire potuit. cf. 619 ſq. De ipſo annorum computo v. Excurſ. ad lib. III. pr. Cae-


Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

756 *Fluctibus — omnibus aestas* alii. *ac fluctibus* Menag. *et terris et fluctibus* aliquot libri ap. Pierium, quod, inquit, sententiam reddit vberiorem. Et sic quoque MS. Bersman. et ed. Cuning. In Goth. pr. subiicitur: *Funera Dardaniae narrat fletusque secundo.*

terum Homius c. XXII Elem. crit. reprehendit libri clausulam, cum ipsa πραγματεία nullum hic, ad quod illa incidi potuerit, momentum suppeditet. Monitum hoc, vt plura a summo viro, subtilius quam verius. Cum Aeneae narratione nouus plane rerum ordo exsurgit, adeoque memorabilem interquiescendi locum subiicit. De clausulis et exordiis librorum Aeneidis non male disputantem video Ios. Trappium ad h. l.



Ipsa Paphum sublimis abit. Aen I. 415.



EXCVRSVS I*

De miniſterio deorum, inprimis Iunonis, in Aeneide.

I, 4. *Vi ſuperum, ſaeuae memorem Iunonis ob iram.* Cum omnino exordium hoc multo cum iudicio et verbis ſignificantibus elaboratum ſit: quippe quod omnia, quae in actione hac epica potiora ſunt, complectatur; quo ipſo Virgilius Homeri ſimplicitatem arte ſuperauit, qui hoc vnum narrare ſe velle profitetur, quomodo ob ſimultatem, quae inter Achillem et Agamemnonem interceſſerat, magna Achiuorum ſtrages facta ſit; tum hic verſus ſtatim ab initio expectationem facit miniſterii deorum, inprimisque pericula et labores ex odiis Iunonis minatur; discrimina enim, quae quis a diis obiecta adit, tanto grauiora eſſe probabile ſit, facitque adeo ea res ad notionem magnitudinis. Cum de re ipſa alio iam loco actum ſit vniuerſe (Disquiſ. I, de Carm. epico ſ. VII. ſ. IX), agedum exponamus vno loco,

quomodo Virgilius in toto carminis sui tenore inuento hoc vsus sit. Intelligemus scilicet, verum esse quod illo loco dictum est, valde diuersam illam rationem esse ab ea, quam Homerus sequutus est; hic enim afflatu diuino abreptus omnia cum fide narrat, tanquam is qui sibi persuasit, ea ita gesta esse; in Marone vero studium fingendi ea, quae aliis persuadere cupiat, subtile acumen, et mira sagacitas in rebus Romanis cum Troianis consociandis eminet.

Primo quidem Iuno, cum iam alias satis graues irarum in Troianos causas haberet (lib. I, 23—28), nunc multo maiore eos odio persequitur, quod Carthagini suae metuit; quandoquidem resciuerat, ex Troianis populum exoriturum esse, a quo aliquando Carthago delenda esset (I, 12—23). Illa igitur, vt ab Italia, destinata Aeneae a fatis sede, Troianos arceret, nihil intentatum relinquit. Etiam tum, cum a Sicilia soluerant, tempestate Aeoli ope mota eos a cursu in Italiam deiicit; ita Carthaginiensium littori admotae, tempestate a Neptuno sedata, ad littus illud, vna amissa, naues Troianae appellunt I, 158 sq.; Neptuni autem opera ad Aeolum coercendum satis erat accommodata.

Parandum nunc erat inter barbaros tutum Troianis hospitium (I, 223), nec minus Iunonis Poenis studentis consilia metuebat Venus (IV, 96. 97): Exoratus a Venere Iupiter mittit Mercurium: is Didonem propitiam in aduenas reddit Poenosque placat (297—304). In sermonibus inter Iouem et Venerem habitis (v. 229 sq.) multa praeclare exponuntur, quae Romanos ad carmen legendum aduertere possent: A Troianis orituros esse Romanos terrarum dominos (234—237); fata Aeneae in Italia; Ascanii regnum; Alba condita; Romae origines; Iunonis odia olim placanda; Graecia a Romanis subacta; Iulius Caesar diis adscribendus; Pax terrarum orbi reddita ab Augusto (258—296).

Interea Aeneam nouas terras explorantem mater Nymphae speciem mentita occurrens edocet, in quae loca venerit, eius animum firmat (305-417), et nube septum tuto in mediam vrbem deducit. Eadem, vt Didonem penitus

deuinciret Aeneae, amore eam incendit (657—722). Iuno cum sua consilia ad perdendos Troianos eluisa videt, id saltem machinatur, vt Aeneas cum Didone coniugio iunctus Carthagine sedem figat; ita enim fore, vt fatis ei destinatum imperium in Africam transferatur (IV, 102—106). Venus fraudem subodorata saltem coniugium pacisciturr (127—129); ita enim Aeneam tanto tutiorem ab insidiis fore videt. At Iupiter, quem Iarbae Mauri, qui Didonem sibi in matrimonium petierat, precibus motum poeta narrat (196—218), mandatis Mercurio datis Aeneae denuntiat, vt Carthagine decedat (v. 220 sqq.). Etiam in his Iouis mandatis iterum memorantur fatis datae Aeneae in Italia sedes, posteris eius terrarum imperium et primo loco Ascanii regnum (229—236).

Postquam Aeneas Africa relicta iterum Siciliam appulerat, vt discessu ex insula et aditu Italiae eum intercluderet, nouam fraudem molitur Iuno; Iride missa et in anum Beroen mutata mulieres Troianas hortatur, vt classem incendant (V, 608 sqq.). Parte tamen Troianorum Segestae relicta, naues, quae supererant, conscendit Aeneas et cursum in Italiam absoluit; vt tuta esset nauigatio, Venus Neptunum exorat (779—824).

Escensu ad ostia Tiberis ab oriente in littus facto et animis portento mensarum comesarum firmatis castra ponunt, et ad Latinum regem legatos mittunt VII, 1 sqq. Qui et ipse, multis portentis et vaticiniis iam ante de exterorum aduentu edoctus, non modo hospitium et societatem regni, verum et coniugium filiae Lauiniae pollicetur (VII, 1—285). Tum Iuno (VII, 286 sqq.), cum fata se retexere posse desperat, id saltem meditatur, vt rerum euentus differat: idque bello aduersus Troianos moto (313—322). Belli huius semina hunc in modum a Iunone iacta, vt Alecto, Furiarum vna, missa, Amatam, Lauiniae matrem, quae filiae matrimonium Turno pacta erat (341—403), tum Turnum ipsum, ira et furore inflammaret (408—457), Latinos quoque in Troianos exasperaret, Ascanio venanti obiecta cerua sacra, quam ille vulnerat (475—502), tum

Tyrrhei filio in tumultu agrestium caeso (531—539). Ita bellum conflatur. Iani portas ipsa Iuno referat (620—623).

Aeneam de nouis rerum casibus sollicitum Tiberis deus confirmat per somnum, portentumque suis cum XXX porcellis paullo post occursurum edocet, vtque, Pallanteum profectus, Euandrum cum Arcadibus in societatem belli adsciscat, hortatur (VIII, 1—80): Obiicitur portentum suis, quam Aeneas Iunoni mactat, eiusque iras deprecatur (81—89. 59—61). Tum Venus arma ipsi a Vulcano fabricanda petit (VIII, 370—453), mox demissa illa coelo (523—540, 608—ad f.).

Interea dum Aeneas apud Euandrum et Etruscos auxilia conquirit, Turnus castra Troianorum oppugnat. Facit illud Iunonis monitu, missa ad eum Iride (IX pr.). In hac castrorum oppugnatione, vt Ascanius e pugnae discrimine subduceretur, Apollo in Butae speciem mutatus a pugnando eum absterret (638—663). Turnus, postquam per portam patentem in castra irruperat, Troianos perterritos fugat, Iunone ipsi fauente; donec Iouis iussu ab Iride auocatur (802 sqq.). Omitto Cybeles interuentum in classe Aeneae seruanda, nauibus in Nymphas mutatis (IX, 69—122, X, 219—250).

Concilio deorum facto, Iupiter disidia mouentes obiurgat: differre saltem odia in illud tempus iubet, quo Carthago et Roma concursurae sint (X, pr.). Venus de iniuriis et periculis Aeneae creatis conquesta, vt saltem Ascanius incolumis discedat, precatur; satius alioqui fuisse, vt Troiae fatum commune experti essent pater et filius (X, 18—62). Iuno refellit Venerem et Turnum defendit (62—99). Tandem Iupiter neutri parti se studere, sed fatis totam rem committere velle significat (100—115). Interspersa sunt alia nonnulla: Lausum et Pallantem congredi vetat Iupiter (X, 436), Mezentium ad pugnam instigat (X, 689), inde Tarchonem (XI, 725). Venus monstrat herbam, qua Aeneae vulnus sanatur (XII, 111). Graniora sunt, quod Turno adest Iuturna nympha soror (X, 439. XII, 139). Aeneae aduentu Troiani tandem castris erumpunt, et copias

vtrinque iungunt; belli itaque tota mole in Turnum conversa, Iuno a Ioue precibus consequitur, vt eum pugna subducere liceat (X, 606—688).

Tandem, rerum summa ad pugnam inter Turnum et Aeneam deducta, Iuno, ne ipsa nec pactioni nec pugnae interfit, discedit, Iuturnam hortatur, vt fratri, quacunque possit ratione, succurrat (XII, 134—160) *), quod illa variis modis frustra facere tentat (468 sqq. 623 sq. 784 sq.). Nouissimo enim certamine congrediuntur Turnus et Aeneas. Nunc Iupiter, vt illam placaret, accurate cum ea agit, eiusque precibus hoc tribuit, vt, Troianorum nomine abolito, Latinorum nomen obtineat, sermone quoque Latino seruato, Troiano extincto; oriundos ex mixta hac gente Romanos pietate in ipsam Iunonem insignes fore (791—841). Inde Iupiter omen instantis Turno mortis mittit bubonem: quo viso Iuturna, desperata fratris salute, discedit (843—886). Si hoc modo rerum momenta ponderantur: deorum interuentum haud dubie magnam vim et vtilitatem ad res epica cum grauitate expediendas habere apparet.

EXCVRSVS I+

8. *Musa, mihi causas memora, quo numine laeso, Quidue dolens regina deum tot voluere casus Insignem pietate virum, tot adire labores Impulerit; tantaene animis coelestibus irae!* Sententia est expedita; haeremus tamen in ipso exordio tam splendidi carminis, poetae castigatissimi, in enuntiatione, quae nec satis elaborata nec epica grauitate satis digna esse videtur. Causas quaerit poeta e Musa, cur Aeneas tot malis et laboribus obiectus fuerit. Repetuntur illae, antiquitatis heroicae sensu, *a deorum ira*. Iam poterat quaeri aut omnino, *cuius numinis* ira ea fuisset, aut, si de numine constabat, *quid* eius iram prouocasset.

Iam primum ambigua est in poeta oratio, tum laborare videtur iunctura, quae est admodum molesta et ingrata.

*) Ad nouissima haec cf. Exc. II ad Lib. XII.

Musa, *memora, quo numine laeso*, quo deo laeso, debebat sequi: *vir pietate insignis impulsus fuerit voluere tot casus etc.* Sequitur tamen alterum: *quidue dolens regina deum tot voluere casus virum impulerit.* Recessit itaque poeta a priore iunctura, et transiit ad aliam; quod exemplo haud carere memini: in exordio tamen factum miror. Porro non bene quaeri potuisse a poeta videtur: *quodnam illud numen fuerit;* cum *de Iunone* satis constaret; nec ex Musis id quaerendum erat, nam ipse statim subiicit *Iunonem;* latebant tantum caussae irae Iunonis, *quas mox a Musa compertas poeta varie exponit.* Videtur ita tota sententia *ad vnam Iunonem* reuocanda esse. Tum autem molestiam faciunt verba: *quo numine laeso, quidue dolens regina deum virum — impulerit;* si enim *numen* diuersum ab ipsa est: non videtur probabile esse, eam *alterius dei* iniurias vlcisci voluisse. Dicas, exemplo id Iouis facere eam posse, qui in Palladis gratiam Aiacem Oilei vltus est inf. 43. Verum non constat de numine aliquo, cuius caussam Iuno susceperit; suas illa iras, sua odia exercuit. Sin *Iunonis numen* est: quo tandem sensu potest quaeri: *quo numine laeso?* Suntne eius *numina plura?* vt quaeri possit, *quod eius numen laesum fuerit?* et, si quaeratur, quam ieiunum hoc est in poeta, et in carminis exordio! Placuit tamen hoc iam veteribus apud Seruium; sequitur hoc Cerda cum aliis, ornatque Burmannus. Scilicet, cum *numen* sit voluntas, tum potestas ac maiestas dei, (vnde tandem pro ipso deo eiusque natura, aut nomine ac titulo ponitur) potentiae autem partes esse possint, diuitiarum, regnorum, coniugiorum, partus, cui illa praeerat, aiunt quaeri: *qua parte eius potentiae laesa?* quod ieiunum et vapidum esse, dices. *Vni* quidem *deo plura numina ineſſe*, nec vsu nec ratione mihi quidem liquet. Si poetae de *vno* deo *numina* memorant, id fit poetica ratione, vt pluralis pro singulari ponatur. Addam: occurrere in poetis notiones *numinis* alias; poni pro *religione* numinis, pro sacris, porro pro *monitis* numinis, iussis, vaticiniis, consiliis. Verum his significatibus nec

quo nec *laeso* conuenit. *Laedi* numen dicitur violata eius maiestate, adeoque ad iram et vltionem illud prouocari; frequentatur inprimis de periurio, vt apud Horat. *Cum tu, magnorum numen laesura deorum In verba iurabas mea.* Sic Tibullus aliquoties et alii; et de sacrilegio inf. II, 183. *pro numine laeso.*

Restat, vt accipiamus *numen Iunonis laesum* multis rebus ac cauſſis; quaerique adeo, cum satis constaret, laesum esse, qua in re laesum fuerit; *quo*, qua in re, *numine laeso.* Hoc quam ingratum, et pedestri orationi propius, sit, sentio equidem; non tamen videntur sensisse viri docti. Nam et Seruius hoc appoſuit primo loco: („*quo*, in quo, in qua cauſſa; et est septimus casus, et communis elocutio; dicimus enim: *quo te laesi.*“ Recte sane, vix tamen bene duplici ablatiuo.) et Heinsius, Io. Frid. Gronouio Obss. IV, 9 laudato auctore, probauit; subiicit tamen „posse et simpliciter capi, vt infra 674 *ne quo se numine mutet.*“ quae quomodo cum his conueniant non video. Nam ibi est potestas dei in fraudem versa: ne quo dolo, qua fraude alicuius dei, eius mens mutetur.

Post haec omnia dixeris, cum nulla satis commoda ratio interpretandi suppetat, de corruptela esse cogitandum. Videtur tamen illa in exordio tam noti ac celebrati carminis vix locum habere; aliter se res haberet in carmine in vno vel altero libro lacero seruato; tum vero nondum vidi, nec ipse exputare possum, emendationem satis probabilem. Venit statim in mentem: casus rectos, *dolens* et *regina*, requirere *laesa*; verum quid est: *quo numine laesa Iuno?* estne, ipsa a quo numine laesa? an redibimus ad molestam interpretationem: *quo numine*, qua suae maiestatis parte? Incidere procliue est in alterum, *quo nomine laesa*, qua cauſſa, qua re, qua de re. In hoc Catroeus, Heumannus, iam olim Scioppius inciderat in *Paradoxis litterariis* (sub *Pascasii Grosippi* nomine Mediolani 1628. vulgatis) vbi p. 24 recte exagitat Seruii rationes, tum legere suadet: *quo nomine laesa* (non *numine*, quod ad h. l. Virgilii Heinsius adscripsit) laudatis

locis Suetonii in Galba c. 16. *Subinde iactauit, legere se militem, non emere consueuisse: Atque* eo *quidem* nomine *omnes qui vbique erant milites exacerbauit,* illo scilicet nomine laesi, ea caussa exacerbati fuere milites, quod ita iactassset. Seru. Sulpicius apud Ciceronem IV ad Div. 5. *Quid est, quod tu, aut filia tua, cum fortuna* hoc nomine *queri possitis?* Ipse quoque Cicero de Fin. II, 7. *qui cum luxuriose viuerent, a summo philosopho non reprehenderentur* eo nomine. „Quaerere ergo poetam, ait Scioppius, quo nomine exacerbata, quo Aeneae facto laesa, quidue grauiter ferens Iuno Aeneae tam addita infestaque fuerit: in quo periculum non est, ne per tautologiam aliter atque aliter rem eandem extulisse verbis indicetur: — sed profecto aliud *laedi* est, aliud *dolere.* Nam et vsu venire potest, vt doleat, qui laesus non sit, et rursum, quem quis laeserit, aequo sit animo, nec quicquam ea in re moueatur.“ Praeclara critica, nec esse video, quod in ea moneatur, nisi quod *forma orationis pedestris* in poetam infertur. Possis substituere magis poeticum, *quo crimine,* vt apud Lucan. VII, 847. *quo tanto crimine, tellus, Laesisti superos?* aut *quo vulnere laesa:* vt mox: Iuno *aeternum seruans sub pectore vulnus,* et Ouid. Met. IV, 720. *vulnere laesa graui:* enimuero et nimis ea recedunt a scriptura nec satisfaciunt iudicio morosiori. Restat igitur vt locum referamus in numerum eorum, quae mutaturus, si licuisset, erat poeta.



EXCVRSVS I**

Pallas fulmen iaculans.

I, 42. *Ipsa Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem Disiecitque rates euertitque aequora ventis; Illum, exspirantem transfixo pectore flammas Turbine corripuit scopuloque infixit acuto.* De diis fulmen iaculantibus cum multa argutatus esset Seruius cum aliis, viri docti diligenter commentati sunt; ita vt nunc inter notas res illud sit. Videndi de his Cuper. Harpocr. p. 100. Burmannus in Ioue Fulguratore c. 15. et Winckelmann. *Monum. ant. ined.* T. II. c. 2. Res in gemmis obuia. Multo tamen magis celebrata est Pallas fulminatrix in numis, maxime Domitiani Imp. Occurrit etiam in graecis, vt Antigoni Gonatae, Agathoclis Syrac. et in ipsis Syracusarum numis. Est quoque Palladis caput cum fulmine in numo aereo Locrorum apud Magnan. Pellerin. et Eckhel Doctrina numor. T. I. P. II. p. 191. Alio modo in numis Athe-

nienſium noctua cum fulmine cernitur. Nec minus alii dii cum fulminibus occurrunt, vt vel ex Lexico numiſm. Raſchii cognoſcas T. II. P. I. p. 1199.

Aiacis Oilei ſ. interitus eſt inter narrationes non vno modo a poetis ornatas. Sunt inprimis duae, altera epicorum, altera tragicorum. Praeiuerat Homerus Odyſſ. δ, 499 ſq. Aiacem is Neptuni ope iam Gyris admotum in eo fuiſſe narrat, vt incolumis enataret in petras, cum eius ſuperbis dictis (Φῇ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης) Neptunus irritatus tridente rupem percuſſit ipſumque cum rupis parte, quam manu prehenderat, praecipitem mari ſubmerſit: (qui ſequuntur duo verſus 509. 510 ab interpolatore, forte rhapſodo, profecti ſunt.) Copioſius haec expoſuit Quintus XIV, 547 ſqq. (vbi et ipſe turbat narrata 579 — 586 ita vt eum verſus adulterinos modo memoratos in ſuo legiſſe appareat, nam cum iam vna cum rupe apprehenſa in mare praeceps ruiſſet, aliam rupem Neptunus in eum deuoluit.) Ad Homeri mentem fabula expoſita erat a Callimacho ἐν Αἰτίοις, vt diſcimus e Schol. Il. ν, 66. et ad eundem Homeri ductum adumbratus erat Aiacis infauſtus caſus in tabula apud Philoſtrat. Imagg. II, 13. neſcio an eodem modo Apollodori *Aiax fulmine incenſus*, quem Pergami ſpectari ait Plinius XXXV, 9. ſ. 36, 1. In priſcorum operum reliquiis nullum Aiacis veſtigium vidi memoratum, praeterquam *Aiacem petra deſcendentem* (non in rupem enixum) in gemma Stoſchiana ap. Winckelmann. Mon. ined. no. 142. Idem tamen argumentum in aliis gemmis ad Martem deſcendentem ad Rheam Siluiam referri memini. Aiacem, nudum galeatum, cum clipeo et gladio irruenti ſimilem, in Locrorum Opuntiorum numis occurrere putant viri docti; in aliis fulmen et Palladis caput ad eum ſpectare. cf. Eckhel v. i. Doctrina numor. Vol. I. P. II. p. 192.

Eſt altera ratio, qua praecipuae in vlciſcendo Aiace partes Mineruae tribuuntur. Coniunctas eas cum Neptuni opera fuiſſe iam ex Odyſſ. loco laud. δ, 502 tenemus. Vbi Aiax eſt ἐχθόμενος Ἀθήνῃ. In eadem γ, 135. foeda

tempestate immissa Mineruam ira concitam classem Achiuorum Troia redeuntium dispersisse narrat poeta: τῷ σφέων πολέες κακὸν οἶτον ἐπέσπον Μήνιος ἐξ ὀλοῆς Γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης. Similia sunt Od. ε, 108. 9. Caussam irae Mineruae subiecerant Cyclici, raptam in excidio Troiae Cassandram: de qua nuper praeclare egit Böttger Vir doctissimus. Pro primo famae huius auctore haberi potest Arctinus in Ilii excidio; quod ex Procli fragmento saepe laudato intelligere licet: vbi Aiax Κασσάνδραν πρὸς βίαν ἀποσπῶν, συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον. petita mox ab eo poena sacrilegii ad Mineruae aram confugit Aiax et seruatur; tum discedunt Graeci, καὶ φθορὰν αὐτοῖς ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται. Exposita adeo in isto carmine videtur fuisse ratio, qua Minerua Aiacem vlta est: scilicet quod illa ipsa fulmen seu arripuit, seu a Ioue obtinuit, quo Aiacem traiecit et scopulo affixit. Hoc sequuti sunt Tragici. Certe Hyginus fab. 116. quem argumentum Ναυπλίου πυρκαέως Sophoclis exponere suspicari licet: *in qua*, inquit, *tempestate Aiax Locrus fulmine est a Minerua ictus; quem fluctus ad saxa illiserunt; vnde Aiacis petrae sunt dictae:* scilicet quae vulgo sunt Gyrae seu Gyraeae petrae. (Eadem, sed Neptuno adscito, in Agamemnone Senecae 528 sq. tragico tumore sunt narrata.) Patet adeo ex his, Virgilium Tragicos etiam in Aiace esse sequutum. Tzetza Antehom. 300 sq. Aiacem in discrimen adductum ait, quia odio Vlyssis reliquerat classem; dilucidat hoc Philostratus Heroic. 8. narrans, Agamemnonem insidiatum Aiaci, cui Cassandram eripuerat, falso crimine opprimere voluisse eum, quem iniuria a se affectum sibi irasci norat.

EXCVRSVS I

De insula Aeolia.

I, 51. 52. *Ventorum in patriam, loca feta furentibus austris, Aeoliam,* in insulam Aeoliam, *venit* Aeneas, h. e. vnam ex Aeoliis, quas et Vulcanias et Liparaeas appellant. Vnam *Aeoliam* memorat Virgilius Homeri exemplo Odyss. κ, pr. ad quem obscura de his locis fama peruenerat. Cum plures et nunc sint et olim fuerint: septem veteres nominant: quaenam ex iis Aeoli sedes ac regia fuerit, nec Homerus declarauit, nec Virgilius. In *Strongylen* tamen (nunc *Stromboli*) consensisse videtur antiquitas: Strab. VI, p. 424 B. Στρογγύλη — ἐνταῦθα δὲ τὸν Αἴολον οἰκῆσαί φασίν. add. Plin. III, 9 s. 14. *Hieram* autem (*Volcano* nunc dictam) Vulcano plerique assignant; alii Liparam: v. ad Aen. VIII, 416. Variasse in his veteres mirum non est, cum ipsa illa natura, a qua ductae fabulae sunt, pluribus insulis communis sit, siue flammarum erumpentium, siue ventorum subterraneorum fremitum cogites: vti praeter Strabonem, principem auctorem de his insulis VI p. 422 sq., aliosque veteres a Cerda ad h. l. Apollonii Schol. IV, 761. III, 41. Spanh. ad Callim. in Dian. 47. Cluuer. in Sicilia lib. II, c. 14 laudatos, e recentioribus inprimis Houel (*Voyage pittoresque de Sicile, de Malte et de Lipari* To. I, c. XI), Strongyles prospectum ediderat Illustr. Hamiltonus in *Campis Phlegraeis* (*To.* II, *pl.* 37). Videndus de hac insula quoque Aetna v. 431 sqq. Vt autem veteres ventorum et Aeoli, qui eos regeret, sedem has insulas, seu vnam ex illis, facerent, naturalis haud dubie eos adduxit habitus; siue antra, quae ex antiquioribus ignibus supererant, ventis subterraneis peruia, seu quod obseruatum erat, ex fremitus diuersa ratione, flammaeque, suliginis et efflationis, praenosci posse ventos surgentes; etiam, quis tertio post die spiraturus sit ventus: vid. Strabon. VI, p. 423 C sq. (276). Plinius l. c. Strongyle *in qua regnauit Aeolus; quae a Lipara liquidiore flamma tantum differt; e cuius fumo,*


quinam flaturi sint venti, in triduum praedicere incolae traduntur; vnde ventos Aeolo paruisse existimatum. Aeoli autem mythum alio modo ornauit Homerus, cum Anni vertentis symbola in eum transtulit Odyss. κ, 1, quo toto loco comparato intelliges, Aeolum Virgilii plus dignitatis habere, etiam in hoc, quod *vtres*, quibus venti includuntur, absunt; qui sane in Homericis fabulis locum suum tuentur, in Virgilio autem absurde positi fuissent. Comparato tamen Quint. Cal. loco XIV, 474 sqq. intelligere mihi videor, praeiuisse Virgilio ex cyclicis poetis aliquem, qui tempestatem in Graecorum classem, Aiacis Oilei f. vlciscendi caussa, excitatam simili modo descripserat. Nam Quintus loco Virgiliano multa habet consentanea. Virgilium in hac fabula expressit Valer. Fl. I, 576 sqq. sic vt facile imitatorem intelligas; breuius narrationem exsequitur Silius IX, 491 sqq. Apollonii exemplo IV, 777.

EXCVRSVS II

Nymphae Iunonis comites.

I, 71. *Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae.* Habet igitur etiam Iuno suas Nymphas, non modo Diana. Memorantur earum nomina ap. Pompon. Sab. ad h. l. Sed ne fallare, exscripta ea esse teneas ex Georg. IV, 336 sqq., vbi Nereides Clymenes comites enumerantur. Locus autem Virgilii expressus ex Iliad. ξ, 267 sqq., vbi tamen Iuno Somno promittit Χαρίτων μίην ὀπλοτεράων. Charites enim Iunoni adsunt antiqua religione. Ita ap. Pausan. II, 17. Sed fingunt poetae nonnulla praeter religiones. Sic Statius Palladi non minus quam Dianae comites dat Theb. II, 239. Alioquin Horae Iunoni adsunt, quas ad quatuor anni tempora reuocat Quintus Cal. X, 336 sqq. In Homero multa sunt, quae minus displicent. *Somno* coniugem promitti, magis est consentaneum, quam Aeolo, XII iam ex vxore filios habenti v. Odyss. κ, pr., cui ideo nec v. 74 aliquid praeclari admodum promittitur, pulcra eum prole parentem futurum. Dicendum tamen, Virgi-


lium hac in parte fabulae ab Homero receſſiſſe, Aeolumque nondum vxori iunctum poſuiſſe. In 74. 75 voluit poeta Homericis verbis ex l. l. Iliad. Ξ vti; ibi v. 269 Somno promittitur Paſithea ἧς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα, *cuius amore tu flagras ab omni inde tempore*, cuius amore iam dudum teneris (vide 276, cf. Odyſſ. ε, 210, 219): quae multo melior eſt muneris commendatio. Sed Virgilius, niſi in diuerſam ſententiam verſus Homericos deflexit, ita accepiſſe videtur, *quam tu semper amabis*, ἐέλδεαι pro futuro tempore; quod et ipſum accommodatum eſt priſco vſui loquendi. Vide v. c. Hymn. in Venerem v. 149, et Odyſſ. ζ, 281 ἕξει δέ μιν ἤματα πάντα. Vnde apparet, vetere aeuo omnino hanc fuiſſe formulam deſignandi coniugii.



EXCVRSVS III

I, 85. *Vna Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus.* Aquilonem cum his non memorari miror equidem. Nam, quod Seneca Nat. Qu. V, 16, vbi h. l. excitat, *Vna*, inquit, *Eurusque Notusque — Africus, et*, qui locum in illa rixa non habuit, *Aquilo*, verum non est; nisi tantum hoc dicere voluit, omissum esse Aquilonem a poeta. Nam ad classem Aeneae, quae a Siciliae littore occidentali euecta cursum ad Italiam tenebat, versus Africae littora reiiciendam, Aquilonis sane, aut alterius venti ex vicino cardine, partes esse debuere praecipuae. Sed eum omissum tanto magis mireris, quandoquidem in loco Homeri, quem verbis expressit, Odyss. ε, 295, vbi Vlysses ex Calypsus insula redux graui tempestate opprimitur, cum caeteris ventis Βορέης αὐθριγενέτης memoratus sit. Et in altero loco Odyss. ι, 80. 81, vbi Vlysses, qui vltra Maleas prouehi non poterat, versus Libyae littus, ad Lotophagorum insulam, Meningem esse putant, reiicitur, Borea vento, et quo alio vento fieri id potuisset? id factum memoratur. Similiter de Argonautis apud Apollonium IV, 1231, quos ex Ionio mari in Syrtes tempestas impingit, καὶ τότ' ἀναρπάγδην ὁλοὴ βορέαο θύελλα Μεσσηγὺς πέλαγός τε Λιβυστικὸν — Φέρε. Habuit autem et hunc ipsum locum ante oculos Virgilius, vt e pluribus vestigiis intelligas. Dicendum itaque, poetam ventos promiscue h. l. posuisse, nec ad subtiliorem

aliquam rationem; in vna saltem procella ipsum Aquilonem nominat inf. v. 102. Porro aliam difficultatem in h. l. movere videri potest Seneca l. l., vbi, recitatis his versibus, *in vnam tempestatem omnes ventos congregari posse negat*: res scilicet ita ad libramentum rediret, et Aquilonem reprimeret Auster, et sic porro. Poetarum vsu defendit nostrum poetam Cerda cf. inf. II, 417, et alterius Senecae imitationem Agamemn. 473—476 habes. Enimuero cogitandum est de subitis ventorum conuersionibus, ac procellarum ab omnibus plagis circumagentium se vicissitudine. Naturam rei clare expressit Hom. Odyss. ε, 331. 332: Nauem ἀμπέλαγος ἄνεμοι φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα, Ἄλλοτε μέν τε Νότος Βορέῃ προβάλεσκε φέρεσθαι· Ἄλλοτε δ' αὖτ' Εὖρος Ζεφύρῳ ἐΐξασκε διώκειν. Caeterum in Senecae N. Q. loc. laud. vereor ne verba: *quod fieri nullo modo potest*, ab alio assuta sint.



EXCVRSVS IV

Arae in mari ex aduerso Carthaginis.

I, 108—112. *Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras: Dorsum immane mari summo. Tris Eurus ab alto In breuia et syrtis vrguet, miserabile visu.* Aut *Itali*, Romani, omnino quaecunque saxa, omnes scopulos, medio in mari *aras* vocant, quemadmodum *ara* omnem crepidinem et eminentiam veteri sermone designabat. Notus locus Scalig. Auson. Lect. II, 22. At sic frigidissima esset oratio. Aut de certo aliquo loco agitur. Erant autem ex aduerso Carthaginis, CCXXX ab vrbe stadiis, inter Apollinis et Mercurii promontoria (cf. inf. Exc. VI ad v. 159) duae insulae seu verius scopuli, saepius pro vna insula habiti, nunc Afris *Zowa-moore*, in geographicis tabulis *Zimbra*, vitiose in Gallicis libris, *les Isles des Imbes*, dicta, (de qua v. *Shaw Travels* p. 146) olim *Aegimorus* vel *Aegimurus* insula. Plin. V, 7 *Contra Carthaginis sinum duae Aegimori Arae, scopuli verius quam insulae, inter Siciliam maxime et Sardiniam* (Compara Liu. XXX, 24). *Auctores sunt, et has quondam habitatas subsedisse;* vt adeo sub mari laterent *(saxa malignis submersa vadis* Statius diceret I Theb. 373). Varro ap. Seru. ad h. l. *verentur in pelago latentem insulam, quem locum vocant Aras.* Eas *Neptunias* fuisse vocatas idem Seruius e Claudio Quadrigario docet, at Sisenna *propitias* appellaverat. Iam *Arae* possunt dictae videri, quia scopuli sunt super aquam eminentes. At Seruius: *quod ibi Afri et Romani foedus inierunt et fines imperii sui illic esse voluerunt.* Inducias quidem in ea insula ruptas sub finem belli Punici secundi Liuius l. l. memorat; non pacem ibi factam. Et fines imperii in pacis conditionibus apud Polyb. III, 22 sqq. aliter constituuntur. Sed, qui istum Serviānis adsuit pannum, *Aegates* insulas, Lilybaeo Siciliae oppositas, ad quas victi a C. Lutatio Catulo Poeni bello

Punico primo finem fecerunt, cum Aegimuro confudit. Quod et a Pomponio Sabino factum video. Alia lacinia in Seruianis docet, in his saxis, quae insulae submersae olim reliquiae essent, Poenorum sacerdotes rem diuinam facere solitos.

Hactenus de vocis *arae* interpretatione. nunc de toto versu, quem solent laudare docti viri, tamquam doctrinae, quae in poeta fuit, argumentum. Recte quidem. Sed quis poetam ferat in medio rerum aestu, cum omnia tempestate magna turbata sunt, cum omnia mortem intentant, grammaticam aliquam subtilitatem alieniſſimo loco interserentem? Sensisse hoc frigus iam alios non dubito; et eundem sensum se habere priuatis aliquando ad me litteris significabat Artium inter populares nostros sospitator, Hagedornius. Cum autem vix probabile sit, hoc sensu vacasse poetam elegantissimi ingenii, Maronem: suspicioni locus est, totum versum a mala manu esse illatum.

Sed alia difficultas occurrit in locorum ac ventorum descriptione. Tres naues *Notus* in *Aras* abripit; atqui ad eas *Aquilo* ferre debebat naues a Sicilia in altum euectas? Verum et hic *Notum* temere pro quocunque vento ponere potuit; vt Aen. V, 2 Aeneas ex Africa versus Italiam tendens *fluctus Aquilone secabat*. Potuit etiam classis iam tum ad occidentales vel australes Ararum partes delata esse, vnde Notus in Aras propelleret. Paullo post v. 110 *Eurus tres alias naues in breuia et syrtes* agit. Iam vulgo omnes, quotquot vidi, interpretes Syrtes proprie ita dictas (de quibus v. Sallust. Iug. 78) intelligunt. Enimuero, vt taceam, ab occidentali Siciliae littore prouectos Eurum non potuisse ad has partes abripere; huic enim dubitationi eodem, quo paullo ante vsi sumus, modo occurri potest; omni, quantum video, geographicae rationi hoc repugnat, vt tam ingenti marium spatio ad Syrtem minorem, multo magis vt ad maiorem, delata Troianorum classis pars fuerit, cum altera pars Aris, h. e. insulis Carthagini obuersis, adhaesisset. Porro tempestate sedata iactatae naues v. 158 *proxima littora* petere dicuntur; et appellunt sane illae

ad Carthaginenſe littus. At quantum littoris hoc eſſet intervallum inter Carthaginem et Syrtim minorem; nam maior multo etiam longius remota. Quo efficitur, vt, niſi poeta dormitauit (quod fere eſt, vt verearis, ſi cf. V, 192. VII, 302. VI, 60 cum V, 51. IV, 41), Syrtes ſaltem appellatiue de arenoſis locis quibuscunque accipiamus; quem in modum Syrtin illam, in quam ἐκπεσεῖν timet nauis Paullum vecta Act. Ap. XXVII, 17, de loco aliquo arenoſo circa Clauden inſulam, non de magnis Syrtibus, accipiendam putamus. Fuiſſe igitur in ea maris parte, circa Aras ſeu Aegimuri inſulas, loca arenoſa credendum eſt, in quae pars nauium Troianarum incidit.



EXCVRSVS V

Neptunus grauiter commotus idemque placidus.

I, 124—129. *Interea magno miſceri murmure pontum Emiſſamque hiemem ſenſit Neptunus et imis Stagna refuſa vadis:* grauiter commotus *et alto Proſpiciens ſumma* placidum caput *extulit vnda.* Hic *grauiter commotus,* ira, et *caput placidum* habere videntur primo obtutu, quod ſibi repugnet. Obſeruarunt iam alii et nuper Ill. Homius in Element. Critic. Nec tamen defuere iam olim qui defenderent. Sed Grammaticorum veterum leviſſima eſt ratio, vt alterum ad Aeolum, alterum reſpectu Aeneae, dictum ſit. Artificum autem, quibus animi motus in deorum ore ita ſunt exprimendi, ne placida numinis maieſtas inde minuatur, exemplo et ratione, ad quam Spencius prouocat, tueri poetam nolim. Nam diuerſa eſt in his poetices et plaſtices ratio atque indoles. Plaſtes enim vel pictor iram etiam placidi vultus exprimere poteſt; et in Neptuni ore iram ita pingi poſſe, vt placidi vultus

vestigia non modo maneant, verum etiam ipsam iram temperent et mitigent, nemo dubitat. Verum poeta, cum *grauiter commotum* et *placidum* sigillatim vnum post alterum ponit, diuersis animi sensum ac contrariarum rerum imaginibus impellit, adeoque alterum altero subeunte iugulat. Dixeris, *nunc* esse *placidum*, cum antea fuisset *grauiter commotus*. Atqui nihil euenit noui, quo placatior reddi potuerit: viderat mare turbatum; prospicit et videt disiectam Aeneae classem: quid in hoc erat, quo exhilarari posset? Meliorem rationem ac viam defendendi poetae suppeditabat *Brandesius*, Vir summus, artium litterarumque politiorum egregius arbiter, cum et ipsis poetis eam legem scriptam et ab Homero (vt in ipso Neptuno Odyss. ε, 282 sqq.) et praestantissimo quoque poeta obseruatum esse diceret, vt dignitatem et maiestatem deorum etiam in ira vel exsultatione alioue affectu animi seruarent, eique hactenus consulerent, ne faciem aut ira tumentem aut rictum cachinno diductum, legentium sensui obiicerent. Etiam in illis: *Quos ego — sed praestat* placidam illam dei maiestatem a poeta esse proditam. Tamquam numinis itaque proprium omnino habendum esse *placidum caput*, quod et placato et irato conuenit ac manet, adeoque h. l. mari efferri etiam ab irato. Sed nec video, quare *grauiter commotus* de graui ac vehemente ira, qua exardescet, acceptum sit. Est enim nihil aliud quam, quod Neptunus, cum ortam subito, ignota de caussa, tempestatem sensisset, rei miraculo turbatur. Est Homericum συγχυθείς. Effert itaque caput suum, vultu, quo esse solet, *placido*, qui dei esse solet. Aliam dubitationem facere possit, quod Neptuni et animus et os atque vultus, mythologorum ac poetarum consensu, paullo tristior, iracundus et toruus exhibetur, adeoque *placidum caput* ei praeter naturam tribui videtur. Multa hic dici possunt; nam in talibus disertum ac doctum esse non adeo difficile est; sed etsi Neptuni ingenium et os τὸ μειλίχιον Iouis non semper habere solet, tamen ista vultus tristitia, qua a Ioue discernitur, non ad iram ac furorem assurgit; sed est vultus seueritas, barba

paullo hiſpidiore, coma minus comta, fronte contracta. Si autem poetarum loca ſunt, in quibus oris truculentia aut animi ſaeuitia paullo inſignior ei tribuitur, videndum, an poeta non potius maris, cuius imperium deus habet, ingenium reſpexerit; vt in illo: *ſuisque immanior vndis.* Hactenus ad communes rationes a me disputatum erat. Nunc illud monebo: omnem difficultatem ſublatam eſſe interpunctione mutata. v. Var. Lect. ad v. 126.

EXCVRSVS VI

De loco littoris Libyae, ad quem Aeneas appulit.

I, 159 — 169. *Eſt in ſeceſſu longo locus. Inſula portum Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos. Hinc atque hinc vaſtae rupes geminique minantur In coelum ſcopuli: quorum ſub vertice late Aequora tuta ſilent. Tum ſiluis ſcena coruſcis Deſuper, horrentique atrum nemus imminet vmbra. Fronte ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrum: Intus aquae dulces, viuoque ſedilia ſaxo; Nympharum domus. Hic feſſas non vincula nauis Vlla tenent: vnco non alligat ancora morſu.* Cum de hac loci, ad quem Aeneas appulerit, deſcriptione in diuerſas abierint ſententias interpretes, et facies locorum omnino non libero ſatis proſpectu menti ſe offerat: accuratius de ea mihi erit agendum. Interpretationem ſententiarum ſingularum iam ſupra appoſui. Summa erat haec: Eſt in hac littoris Libyci parte locus in ſinum curuatus, cui inſula praetexitur, quique adeo, cum fluctus ab alto obiectu inſulae franguntur, tutam nauium ſtationem efficit. Hunc ſinum ſubeunt Troiani. Iam in ſingulis nonnulla ſunt, quae ambiguitatem habere poſſunt. *In longo ſeceſſu,* ſinuoſo Libyae littore, *eſt locus:* qui pro ſtatione nauium eſt. *Inſula,* quae continenti eſt obiecta, *efficit portum obiectu laterum* ſuorum (hoc ipſo, quod obiecta, oppoſita eſt), *quibus,* ad quae, *omnis vnda ab alto,* omnis fluctus, *Fran-*

gitur et in ſinus reductos ſeſe ſcindit, fracta recedit: poteſt accipi de interioribus ſinus receſſibus, in quos fluctus fracti mox irruunt; vt fere Ge. IV, 420 accepimus; et vt Cerda h. l. de interuallis inter inſulae latera et continentis ſcopulos prominentes: ſed tribuuntur et alibi *ſinus* ipſis fluctibus allisis, qui repulſi ſinus faciunt; et Ge. III, 238. fluctus *longius ex altoque ſinum trahit. Hinc atque hinc*, aut in ipſa inſula, ab vtraque eius extremitate, aut in continenti; ſi tamen in inſula fuiſſent duo ſcopuli, fluctus ex alto alliſi non praebuiſſent quietam ſtationem; neceſſe igitur eſt, in ipſo Libyae littore prominentes ſcopulos intelligere; in hoc ergo *vaſtae rupes geminique ſcopuli minantur in coelum* (duo ſcopuli eminent), *quorum ſub vertice* (ſubter quibus) *late aequora tuta ſilent*. Haec et pulcre dicta et intellectu facilia. *Tum*, praeterea, *deſuper imminet* (ſupra eſt) *ſcena ſiluis coruſcis*, proſpectus ſiluarum, *et atrum nemus imminet horrenti vmbra* (in ipſo continenti; non in inſula, vt olim acceperam). *Sub aduerſa fronte*, in littore hoc continenti, ex aduerſo iis, qui ex alto ingrediuntur, *antrum* eſt *ſcopulis pendentibus — Hic* (non tam in hoc antro, quam in tota hac ſinus parte, quae pro portu eſt) *feſſas non vincula nauis Vlla tenent*. Verba v. 162 *Hinc atque hinc vaſtae rupes*, viſa mihi olim erant referenda eſſe ad inſulam; quia anteceſſerat: *Inſula portum*, et ſequitur: *Fronte ſub aduerſa*. Ita quoque viſum erat Scaligero Poet. V, 3. Expenſis tamen omnibus ipſam rerum rationem id poſtulare vidi, vt ad continentem referantur omnia. Etiam apud Homerum δύο προβλῆτες ἀκταὶ ἀπορρῶγες in ipſo continenti viſuntur. In eo tamen nulla omnino inſula obiecta eſt.

Exoritur altera disputatio, in qua Africae parte, et quidem in vicinis Carthagini littoribus iſte locus ſit, aut fuerit. Iam cum talem locorum ſitum a nemine alio commemoratum viderent, Interpretes poſt Seruium, quem habemus, et Pompon. Sabinum fere in eam ſententiam diſceſſere, vt totum locum poetae ingenio deberi, neque eum vnquam vere extitiſſe exiſtimarent. Et verum vtique eſt,

quod iam Macrob. V Sat. 3 et Seruius ad h. l. notarunt, poetam expressisse nobilissimum Homeri locum de Phorcynio portu et Nympharum antro Odyss. ν, 96 sqq. atque adeo transtulisse ea, quae Homerus de insula Ithaca memorauerat, ad ornandum littus Africae. Enimuero mutauit non pauca, vt siue certasse cum Homero siue certi loci naturae sua accommodasse videri debeat. Fuere porro interpretes, qui, secundum Seruium, poetam portum suum ad portus nouae Carthaginis in Hispania speciem adumbrasse putarent; quoniam apud Liuium descriptio istius portus est huic loco simillima: lib. XXVI, 43 *Caeterum sita Carthago sic est. Sinus est maris media fere Hispaniae ora, maxime Africo vento oppositus et quingentos passus introrsus retractus, — huius in ostio sinus, parua insula obiecta ab alto portum ab omnibus ventis, praeterquam Africo, tutum facit, ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita vrbs est.* Prospectum vrbis delineatum dedit Cerda. cf. Silium XV, 220—229. Addisonus *(Remarks on several Parts of Italy* p. 153 sqq.) sinum Neapolis vrbis Virgilii oculis esse obuersatum putabat, nec ab eo dissentit, qui haec loca adiit, Grosleius *(Nouveaux Memoires sur l' Italie* T. II, p. 105. 106) et potest hoc speciem aliquam habere, si poetam Neapoli otium suum consumsisse reputes, et Capreae insulam obiici littori montibus et siluis munito memineris. In his tamen omnibus nonnulla sunt, quae probare vix possis. Parum sapientem parumque gnauum poetam dicas, qui in littore Italiae obiecto, quod quotidie tot Romani frequentarent, quodque adeo notissimum esset (nam aliter res se haberet in ignota regione), vellet locum fingere, qui nuspiam esset, et tantum hoc agere, vt locum ex Homero latine conuerteret. Simili ratione Nympharum antrum apud Homerum poetica licentia effictum multi voluere; at habemus Artemidori Ephesii fidem ap. Porphyr. de A. N. cap. 4, qua constiat verum huius descriptionis fundum fuisse. Quod descriptio porro loci cum situ portus Carthaginis nouae et Neapoleos conuenit, id mirum non est, cum multorum

portuum idem ſitus ſit, idque pro praeſtantiſſimo facile portus genere habeatur, quod obiectu inſulae efficitur: cuiusmodi plurimi memorari poſſunt portus. Talis erat Brundiſii, de quo v. Lucan. II, 613 — 621, Alexandriae Caeſ. B. Ciu. III, 112. Maneat itaque, etſi nunc ignoratur littoris huius Libyci vera ratio, aut immutata eſt eius facies naturalibus de cauſſis, Virgilium tamen veri loci ſitum adumbraſſe, quamquam additis forte nonnullis, quae ad poeticam amoenitatem et ornatum facerent; quod, vt poeta, recte facere potuit.

Atque haec ne Virgilii magis ſtudio quam aliqua veri ſpecie arbitrari videamur, *Shavium*, doctiſſimum virum, auctorem laudare poſſumus, qui ſimilem in Carthaginienſi littore locum deprehendiſſe ſibi viſus eſt. In Tunitano ſinu, in quo eodem Carthago olim fuit ſita, inter promontoria Apollinis et Mercurii, quorum hoc quidem, nunc *Cap Bon*, ab Oriente, illud, nunc *Cap Zibeeb* vel *Zebibi*, ab Occidente, ſinum claudit, in hoc itaque ſinu, cuius os inter duo promontoria vndecim leucas patet, ſupra *Miſuam*, verſus promontorium Mercurii, ſeu Hermaeum *(Cap Bon)* circum ea loca, in quibus *Aquilaria* olim fuit ſita, (nunc vicus *Lowhareah*, qui vnam tantum leucam a promontorio illo abeſt) a littore inde vsque ad vicum hunc mons procedit, qui totus effoſſus et excauatus, a mari inde ad vicum iter ſubterraneum praebet. Patet enim via, ad cuniculi ſpeciem, a ſolo ad verticem ad viginti vel triginta pedes, relictis per interualla ad montis molem ſuſtentandam columnis et arcubus ſeu fornicibus; ſpiramentis etiam paſſim aer et coelum deſuper admittitur. Fuiſſe has lapicidinas Straboni XVII, p. 1191, A. commemoratas, ſuſpicatur idem *Shavius;* recte, nec ne, nunc non disputamus; vnde Carthago, Vtica, et aliae vicinae vrbes materiam peterent. Mons ipſe ſilua obſitus. Antri oſtia verſus mare patent, iisque obiecta eſt Aegimurus inſula (de qua ſup. ad v. 108 — 112). In antri aditu fontes aliquot inter rupes prorumpunt; in proſpectu paſſim ſedilia e viuo ſaxo, quibus operae olim pepercerant, dum caetera exciderent. Hunc locum itaque *Shavius (Travels* p. 159. cf. mappam geogr. ad p. 146)

poetae ante oculos fuisse non dubitat, dum locum describebat, ad quem Aeneas appulit. Videntur sane omnia sic satis esse accommodata. Accedit locus ap. Caesarem de B. Ciu. II, 23 *C. Curio in Africam profectus — appellit ad eum locum, qui appellatur Aquilaria. Hic locus abest a Clupea passuum XXII millia, habetque non incommodam aestate stationem; et duobus eminentibus promontoriis continetur.* Intelligenda scilicet haec eadem duo promontoria Apollinis et Mercurii supra commemorata. Insula tamen scrupulum facere potest, si Aegimurus illa est, cum eandem illam per Aras declarari supra viderimus. Sed Aegimurum seu duas potius insulas, *Zimbras*, seu *Zowamores*, ita esse sitas, constat, vt ipsi Mercurii promontorio subiacere videantur, maior quidem quatuor leucas, at minor parum remota a littore. Potuit igitur ad maiorem pars classis adhaerere; at altera minor habeatur pro insula littori obiecta. Potuit etiam poeta ornare locum, aut sequi famam, qua Aegimuri scopuli olim insula fuisse memorabantur. Nec tamen poetam leuitatis et vanitatis accusare possemus, ne tum quidem, si nullum huius locorum situs vestigium in Africano littore nunc compareret. Totum enim istius tractus littus maris alluuie incredibili modo est immutatum, et, quod vel ex Shavio satis apparet, procedit nunc littus inter Ruscinonem et Carthaginem multo altius in mare, quam olim. Si quis vltra instare et calumniari velit, a monte per Shavium designato ad Carthaginem vsque locorum interuallum esse maius forte, quam vt altero die Aeneas nauibus progressus satis mature Carthaginem peruenire potuerit, eum dicemus poetam in ordinem cogere et historiae seueriori legi obnoxium facere. Caeterum haec et illa sup. ad v. 108 sqq. paullo subtilius disputasse non poenitebit, inprimis si descriptionem geographicam errorum Aeneae, qualis ipsi Virgilio Burmanni praefixa est, inspexerit aliquis; in qua Nympharum antrum vltra Mercurii promontorium versus Syrtin minorem, naufragium vero classis ad Syrtin maiorem, et ex altera parte Arae in partibus occidentalibus vltra Carthaginem expressae sunt.

EXCVRSVS VII*

De Antenore.

I, 242 sqq. *Antenor potuit, mediis elapsus Achiuis, Illyricos penetrare sinus atque intima tutus Regna Liburnorum, et fontem superare Timaui: Vnde per ora nouem, vasto cum murmure montis, It mare proruptum et pelago premit arua sonanti: Hic tamen ille vrbem Pataui sedesque locauit Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit Troïa; nunc placida conpositus pace quiescit.*

Fuit Antenor inter eos, in quorum rebus ornandis ii maxime scriptores laborarunt, qui narrationes Homericas nouis commentis de suo onerarunt; non aliter ac si delectatio a mere fabulosis et temere effusis figmentis proficisceretur. Scilicet non tenebant, narrationes illas Homericas fide maiorum, fama antiqua, acceptas ex antiqui quidem sermonis indole et formulis, opinionibus hominum, motaeque mentis impetu, poeticoque ornatu, adscitiitios colores traxisse, mox multis modis et multis de caussis, in carminibus cyclicorum, lyricorum et tragicorum esse variatas. At illi homines laudem quaerebant ex eo, quod res, quas Homerus seu summatim exposuerat, seu strictim percurrerat, in historias, copiose et ordine omnibus, quae inciderant, enarratis, conuertebant aut clarorum heroum nominibus facta et fata commentitia assignabant: quorum nihil, interdum ne vestigium quidem, in antiquioribus extaret; alia ex Cypriis carminibus aut e Lescheo aliisque poetis cyclicis arripuere, saltem ex riuulis inde ductis hausere. De *Antenore* perpauca ab Homero memorata sunt. Clarior est eius vxor, *Theano*, Hecubae e Cisseo soror, Mineruae sacerdos (v. Iliad. ζ, 297 sqq.), nec non filii, passim in pugnam prodeuntes; ipse inter seniores, qui prudentia alios antecellebant: Iliad. γ, 148. idem suadet, vt Helena reddatur, η, 347 sqq. et Vlyssem cum Menelao, antequam arma sumta erant, ad res repetendas Troiam missum hospitio excepérat: Iliad. γ, 205 sqq. Itaque Troia capta a Menelao servatur cum sobole. cf. Tryphiod. 653 sq. Hoc tamquam fundo

ſuperſtruxere fabulatores illi, e quibus Pſeudodictys et Pſeudodares adhuc ſuperſtites ſunt, alia, v. c. de Antenore a Laomedonte Delphos miſſo (Seru. ad Aen. II, 318) de legatione ad Achiuos ſub extrema vrbis fata (Tzetz. Poſthom. 607 ſq.) inprimis vero plurima de proditione vrbis ab eo et a filiis facta. cf. Seru. ad v. 242. Praeiuerant tamen alii antiquiores, vt Lycophr. 340 ſqq., nec dubito in his vnum ex cyclicis poetis fuiſſe. Proditionis ab Antenore factae auctoritatem iam olim Polygnotus agnouerat in tabula ſua ap. Pauſan. X, 27. p. 865 Sophoclis fuere Ἀντηνορίδαι, qua ex fabula Strabo XIII, p. 905 B. memorat pantherae pellem Antenoris foribus iniectam, vt tuta eſſet domus ab Achiuorum iniuriis; id quod factum in gratiam hoſpitii priſtini ap. Quintum XIII, 293 ſqq. Menelao tribuitur beneficii accepti memoria Tryphiod. 647. De Antenoridis Lyſimachus ἐν Νόστοις egerat; adierant illi Libyam, et Cyrenen inſederant: ſeu quod cum Graecis verſari nollent, vt Lyſimachus tradiderat, ſeu quod Menelaum et Helenam ſequuti tempeſtatis vi de curſu deiecti fuerant: quod Pindarus ſequutus eſt Pyth. 5, 108 ſq., vbi v. Schol.: add. Schol. Lycophr. 874, vbi pro περὶ τὴν Κρήνην et ἐν Κρήτῃ leg. περὶ τὴν Κυρήνην et ἐν Κυρήνῃ. Nam in hac fuit *Antenoridarum collis*. Antenori a Tragicis partes facundi ſenis datae, vt in vſſ. Eurip. ap. Athen. XV, pr.

Fuit tamen ex iis commentis vnum caeteris illuſtrius, quo profugus ex vrbe capta in Italiam Henetos duxiſſe et Patauium condidiſſe narratus eſt. *Henetorum* nomen (Ἐνετῶν) poeta memorat *), Paphlagoniae popali, caius regio mulis ſilueſtribus abundabat; e quo Pylaemenes, Paphlagonum dux, oriundus erat. Hos igitur Henetos Antenorem ſibi adiunctos in Italiam adduxiſſe et Venetos ibi in ſedibus ſuis collocaſſe narrarunt **). Nominis ſimilitudi-

*) ἐξ Ἐνετῶν. Il. β, 852. Male Zenodotus refinxerat ἐξ Ἐνατῆς. v. Strab. XIII, p. 830 C. 819 A.

**) V. inprimis Strab. XII, p. 819 A. B. XIII, p. 905 B. V, p. 326 A. Veriora ille de Venetorum origine a Venetis Belgica gente ducenda monuit lib. IV, p. 297. 8. cum Herodotus ex Illyriis eos ortos eſſe tradidiſſet lib. I, 196. Polybius II, 17, vbi de

nem etiam in huius populi origine ludificatam esse veteres, in aperto est: cum diuersi essent populi, alter Sinus Adriatici, alter Asiae. Qui primus fabulae auctor fuerit, incerta res est. Strabo iam sua aetate inter vulgo narrata (τὰ θρυλλούμενα) eam refert (lib. XIII p. 905 B. C.): idem Menandrium scriptorem memorat tamquam testem idoneum (p. 830. A. B.). Antiquiorem auctoritatem non memini quam Scymni Chii (*Perieg.* 388. 9). Nec tamen siue in duce Antenore, siue in populo, quem adduxit, nec in cursu, quem tenuit, omnes consensere; vt facile appareat, a multis poetis ac scriptoribus rem narratu acceptam tractatam fuisse. Ita fuere, qui Henetos a Troia reduces, fuga dilapsos, aut, Pylaemene duce, in Thraciam se recepisse, atque inde errando longius processisse dicerent (cf. Strab. l. c. et Eustath. ad Dionys. 378, qui Strabonem exscripsit). Auide commentum arripuere Romani scriptores, qui Antenorem cum Aenea comparārunt: in his ipse Liv. I, 1 et iam Nepos, teste Plinio VI, 2 et inde Solino c. 44, Catonem forte sequutus, qui idem narrauerat, vt e Plinio discimus III, 19. f. 23. *Antenoridem* scripserat *Largus*, Ouidio aequalis IV. ex P. 16, 17 *Ingeniique sui dictus cognomine Largus, Gallica qui Phrygium duxit in arua senem*. quem Aelium Largum ap. Dion. LIII esse acute suspicatur Wernsdorf. V. C. ad Poet. min. T. IV, p. 582.

Seruata sunt nonnulla ex antiquioribus in personato *Messala de Augusti progenie* c. 19 *Antenor ex Ionio aequore ad dexteram flectens, inter Dyrrhachium et Brundisium, per latissimas superi aequoris fauces, ad septentrionem conuersus, hinc Dalmatas linquens, Illy-*

Venetis, quos ille Gallis simillimos moribus et cultu, at sermone diuersos esse dixerat, περὶ ὧν οἱ τραγῳδιογράφοι πολύν τινα πεποίηνται λόγον καὶ πολλὴν διατίθενται πραγματείαν. in quibus ille tragoedias Antenoris et Antenoridarum nomine inscriptas respicere putandus. In iisdem fabulas Phaethontis et Eridani variis modis expositas fuisse suspicor. Nostra aetate Henetos seu Venetos accenseri Sarmatis vidimus, ab aliis autem Slauicae stirpis haberi.

*ricos ac Liburnos, illinc Apulos atque Picenum, ad caput Adriatici maris cursum tenuit; et, relicto aequore, aduerso flumine, quod Brentesia dicitur *), sursum contendens, terra potitus, sedem sibi suisque elegit, et expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patauium condidit. Is inter caeteros comites, Enetorum multitudinem numerosam secum duxerat; qui Paphlagonia orti, patria pulsi, exules ad Troiam, quae bello tum laborabat, concesserant. Hi in proxima finitimorum praedia longe lateque diffusi, quia multitudine cuncta compleuerant, ex se gentibus nomen dedere, et Venetiae regio dicta. De hoc Antenoris aduentu sic meminit Virgilius:* Antenor potuit etc. Sequitur inde apud hunc scriptorem mirum acumen super versu: *armaque fixit Troïa;* alloquitur Imperatorem, qui, *quodnam insigne vexillis Antenori et Aeneae fuisset*, dubitauerat; acceperat itaque ille *arma* de vexillo: tolerabilius foret, si saltem de insignibus clipei intellexisset; etsi et hoc absurde. Respondet scriptor, armorum insigne fuisse scrofam; *Troia namque vulgo Italice Latineque scrofa vel sus dicitur.* Quid expectabis ab hominibus, qui in poetarum lectione argutias tam vanas captabant? Caeterum de Antenore Patauii sepulto vetus fuit opinio; et detectum Antenoreum sepulcrum a. 1274, inter recentiores fabulas satis vulgata est. v. Pignor. in Anten. c. 8. Vrsat. in Monum. Patau. lib. I. s. 10. Accessit epitaphium, quod insertum quoque legitur Anthol. Lat. lib. I. ep. 111, vbi v. Burmann.

EXCVRSVS VII

De Timauo fluuio.

Sequitur nunc 244—246. locus de Timauo: *fontem superare Timaui* (eo loco), *vnde per ora nouem vasto cum murmure montis It mare proruptum, et pelago*

*) Meduacus maior.

premit aruo fonanti. Primum verſus hi, licet pulcherrimi, cum tamen non poeta haec narret, cui ornatum ſectari licet, verum ex Veneris perſona Ioui ſupplicantis pronuntientur, alieno loco Timaui deſcriptionem intrudere videri debent; quod iam Vrſinus recte vidit, qui ſimili loco Homeri Odyſſ. δ, 708 excuſare rem velle videtur. Fit ſane omnino hoc grauiſſimorum poetarum more et exemplo, vt etiam, quando ex aliena perſona oratio ſit, ornatus idonei materia, qua variari oratio et delectari legentis animus poſſit, non dimittatur manibus; cum delectationis maior ſit ratio habenda, quam iudicii animorum ſedati. Potuit adeo fluuius ille, etiam in Veneris oratione, verbis ornari, inprimis cum eius natura, ad hunc modum deſcripta: *vnde per ora nouem — It mare proruptum,* ad amplificationem periculorum, quae tamen ab Antenore ſuperata ſunt, facere poſſint. Tametſi forte hunc in modum excuſari verſus 245 et 246 poſſunt, nullo tamen modo probare ſe poſſunt iudicio paullo acutiori; et erant illi haud dubie inter eos, quos ſublatos Virgilius mallet. Improbarunt hos verſus et alii, et Iac. Bryant V. C. Quibus autem in terris fluuius ille quaerendus ſit, magna fuit inter viros doctos controuerſia. Si enim notus ille Iſtriae fluuius eſt, quid ille cum Patauio commune habere poteſt, vt v. 247 *Hic tamen ille vrbem Pataui — locauit?* (ſed v. ad e. v.) Maluere itaque alii referre ad Meduacum ſ. Brentam, nonnulli adeo ad Padum; quos ipſa res refellit et Paullus Pincius cum aliis doctis viris a Burmanno praef. Tom. VI. Theſ. Ital. nominatis. Si tamen Timauus Iſtriae fluuius eſt, difficultates contra hos verſus vel ſic, non Catroeus primus, ſed multi ante eum viri docti (v. c. Cerda) mouerunt, qui Timauum aut plane nullum, aut huius, quem poeta narrat, admodum nunc quidem diſſimilem eſſe contenderent. Sed fruſtra; nam Strabonis lib. V, p. 214. 215, et Melae auctoritas poetam defendit, vt Timaui olim iſtam naturam fuiſſe dubitari nequeat. Scilicet inter Aquileiam et Tergeſte, in Carnorum finibus, apud vicum S. Ioannis, non longe a caſtello Duino *(Tywein)*, qui totus tractus ſaxeus

et scopulosus est (sunt autem montes calcarii *)), complures ingentesque inter rupium antra aquarum fontes prosiliunt: quorum praecipuos sex numerabat Cluuerius, qui haec loca adiit et singula accurate explorauit (v. *Italia ant.* p. 192), nec plures *Valuasor*, quem cum eo comparauimus, in *Crainia* T. I, p. 272 sqq. 612 sqq. Scilicet pro anni tempestate plures paucioresue sunt, ita vt modo septem modo nouem fontes numerentur: (teste *Linharto historia Crainiae* p. 66. **)) Hi fontes tribus alueis paullulum delati, mox in vnum flumen confluunt, quod vix mille passuum viam emensum vno ostio in mare exit. Italis etiam nunc *maris parentem (la madre del mare)* appellari *Holdsworthus* tradit; quod nomen iam Polybii aetate frequentabatur. vid. Strab. l. c. p. 214 D., ac si mari magna aquarum accessio inde fieret. Cum Strabo cum aliis *septem*, Mela cum Virgilio *nouem ora* seu *capita*, et fontes (sic *ora* et alii v. c. Statius IV Theb. 832) memorent, non inexplorata tradita ab iis esse e modo dictis apparet; nec necesse est, alias in vicinia scaturigines, quae in eosdem alueos deferuntur, quarumque vna ex lacu prodit, a veteribus adnumeratas esse suspicari, quod Cluuerius faciebat. Haec eadem diligenti inuestigatione prosequutum videmus *Holdsworthum*, elegantissimi ingenii virum, dum viueret, p. 600. 601. Immutauit longa aetas locorum faciem; quid? quod inualescente indies versus hoc littus boreale mari Adriatico reprimi creditur aquae in ipsis fluminis ostiis impetus, ita vt nunc longe minore spatio flumen, sub ipsos fere fontes stagnans, per planitiem ad mare deferatur ***). Caeterum cum per subterraneas cauer-

*) V. *Franc. Griselini Lettera nel Giornale d'Italia.* To. XI, p. 118.

**) Vnus ex his fontibus sub castello Duino insignior est ceteris v. *Gruber Briefe über Krain* Vindob. 1781. p. 156. c. tab.

***) Cf. *Schlözer Briefwechsel* II Th. Heft XII, p. 340. add. *Hacquet* Oryctograph. Carniolica To. I. p. 61. Antiquiorem locorum faciem in tabula videre licet in libro apud Iuuas

nas mari ad Timaui fontes iter pateat, cum aestu maris magnam illi aquarum molem accipiunt; quo fit, vt ingenti cum fragore et mugitu subterraneo Timauus inter rupium antra prorumpat (hoc est nostro, *vasto cum murmure montis*), nec, iam in vnum alueum coactus, contineri in eo possit, sed vicina late loca inundet, antequam ad mare perueniat. Hinc ille *it mare proruptum*, ad maris speciem, magnos fluctus voluentis (quod magna aquae vi prorumpit se, effunditur, vt Pompon.), et, nostra aetate saltem hiberna tempestate, *premit arua*, operit, inundat, *pelago*, aquarum vi pelago simili, *sonanti*, propter aquarum copiam et impetum *). De origine Timaui multa disputant iidem, quos memorauimus, auctores. Cum plena sit Carnorum regio fluminibus subeuntibus terram moxque iterum emergentibus, etiam Timauus simili ratione idem esse flumen videtur, quod XIV millia passuum (XVIII vel XX. Irenaeus de Cruce *Istoria di Trieste* lib. I. c. 2 et V, 10 memorat) supra hos fontes ad vicum D. Catiani (*S. Kazian*) bis terue subter rupium caua viam sibi facit, tandemque cuniculo subterraneo totum conditur. *Rekam* id flumen esse, Valuasor docet, qui rectius haec exponit, quam Cluuerius. Enimuero iam apud Strabonem lib. V. p. 329 A. Posidonium hoc idem tradidisse videas, e montibus delatum Timauum voragine terrae absorberi, ἐἰθ' ὑπὸ γῆς ἐνεχθέντα περὶ ἑκατὸν καὶ λ σαδίας (XVII millia passuum) ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν ἐκβολὴν ποιεῖσθαι male accipitur: *in mare effluere*. Vert. *ad mare, non longe a mari, emitti iterum*. Hoc Plinius tradit lib. II, f. 106

Venet. 1553 fol. vulgato: *de Balneis omnia quae extant apud Graecos, Latinos et Arabas* p. 306.

*) Minus bene *Wood* V. C., loco mox laudando antiquam interpretationem reuocat, qua *mare proruptum* de ipso mari Adriatico accipiebatur, quod, quoties exaestuat, in interiora littoris exundans Timaui cursum reprimit. Hoc locorum naturam ita ferre nemo neget: sed verborum structura sermonisque ratio manifeste repugnat isti sensui: est enim *fons, vnde* h. e. *ex quo, mare proruptum it*, non vero, fons *in quem, versus quem*, mare procedit.

Et in Atinate campo fluuius mersus post XX mill. passuum exit, et in Aquileiensi Timauus. Restat vt hoc moneamus, *fontem Timaui* h. l. pro ipso Timauo dici; eum autem ita *superasse* Antenor intelligendus, vt cursu nauium iuxta littora seruato, nam cum classe haec loca adiit, ostia fluuii praeteruectus ad vlteriores plagas et interiorem sinum pergeret. Est enim is poetarum v. c. eorum, qui Argonautica exponunt, mos, vt in nauigatione facta littoris vicini populos, vrbes, et amnes enumerent. Aliam rationem, eamque subtiliorem, suppeditauit *Wood* l. c., docet enim, nauigationem ex Ionio mari in interiora Adriae aliter tuto fieri non posse, quam vt littus Illyricum legatur*): vbi ad intima Istriae peruentum est, etiamnum recta traiicitur mare aduersus Venetias. cf. Liu. X, 2. Quae obseruatio, etsi huic loco expediendo prorsus necessaria non est, alterum tamen locum illustrat in Ecl. VIII, 6. 7, vbi de nauigatione Asinii Pollionis versus Parthinos Illyrici: *seu magni superas iam saxa Timaui, siue oram Illyrici legis aequoris.* Factam enim secundum littus nauigationem innuit. Caeterum hunc locum certatim expressere Lucanus, Silius et Statius, qui Timauo etiam ex hoc loco ad ipsos Patauinos fines designandos poetico more vsi sunt. Vnde inter recentiores inanis et vana de hoc fluuio, sitne Patauino agro an Istriae adnumerandus, orta est controversia; de qua v. Burman. praef. T. VI Thesauri Italiae p. 13. Sed praestat illud adiicere, nostro iudicio, si verum quidem huius moris sensum animus imbibit, ex anteriore poeta, et quidem Graeco, qui nunc interiit, forte Argonauticorum aut Antenoridis scriptore, Virgilium sua transtulisse videri; vnde et eodem amne vsus est ad Asinii Pollionis nauigationem declarandam l. c. Est enim et in ornando nimius, quod fere in talibus locis solet, et ornamenta paullo exquisitiora cumulat.

*) *Wood's Essay on the original Genius of Homer.* p. 54 sqq.

EXCVRSVS VIII

De Iuli cognomine Ascanio indito.

I, 267. 268. *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.* Ab Iulo vulgo ducta gens Iulia; sed h. l. etiam nomen gentis Iuliae ab Iulo, *cognomine* Ascanii, derivatur. Sane, licet alia gentium nomina ducta fere sint a praenominibus, vt ab Aulo Auliae, ab Marco Marciae, non tamen nominum gentilitiorum exempla desunt, quae a cognominibus venisse videntur, vt Gentis Flauiae, Fulviae, Rutiliae, al. cf. Cerda ad h. l. Iam porro hoc cognomen Iuli formatum poeta esse vult ab *Ili* nomine, quod Troianum fuit, et quo Laomedontis pater fuit appellatus; sed ratione grammatica plane refragante. Verum in etymologiis cum Graeci tum Romani argutias plerumque captant, non sermonis rationem et analogiae veritatem sequuntur. Nec multo subtilior altera ex Iulii Caesaris Pontifical. lib. II, et Catone in Origg. memorata etymologia, vt Iulus a Ioue, *Iobus, Iolus, Iulus,* ductum sit. v. Auct. de Orig. G. Rom. c. 15. Altera in h. l. quaestio est, an pro carminis epici maiestate, et in Iouis oratione, eaque ad Venerem, Aeneae matrem, etymologia talis recte inserta esse videri possit. Partem difficultatis vidit Britannus in *Miscell. Obss.* Vol. I. p. 5 et 82, aduersus quem et ibi doctiss. Editor et ad h. l. Burmannus disputant, nescio an commode satis. Potest quidem, suffragante *Brandesio* nostro, defendi poeta hactenus, quod in Augusti gratiam et ad maiorem, quam populares sui inde caperē poterant, voluptatem, etiam praeter πιθανότητα et subtilitatem, intexere aliquid non dubitauit; potest quoque, quod Eschenburgio V. C. placuisse video, Iupiter videri Veneri voluisse hoc in memoriam reuocare. Nec tamen minus ita alterum versum ab aliena manu accessisse suspicor, sive totum, sive post *Additur*, cum a poeta scilicet imperfectus esset relictus. Nam interpretatio ista:

Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno, per ſe inepta, multo etiam magis a loco hoc aliena eſt. Tum an *regno* ſatis latine adiectum ſit, neſcio: dum resp. Troiana, regnum Troianum, ſtetit, durauit, *regno?* niſi putes defendi poſſe ex lib. II, 88 *Dum ſtabat regno incolumis* Palamedes: vbi dictum tamen eſſe apparet poetico vſu pro, *dum regnum eius ſtabat incolume* h. e. eius regia dignitas erat ſalua et intacta. Certe iudicio acutiori parum ſe probare poteſt verſus tam ieiunus. De *Aſcanio* v. Exc. XVII ad lib. II.



EXCVRSVS IX

I, 291—296. *Aspera tum positis mitescent saecula bellis. Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Iura dabunt: dirae ferro et conpagibus artis Claudentur Belli portae. Furor impius intus Saeua sedens super arma, et centum vinctus aenis Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.* Splendidissimus locus et Ioue vaticinante dignus. Fidem ait, religiones patrias et concordiam abolitis bellis ac discordiis esse regnaturas. Mutata haec in personas, et quidem deos deasque: *Fidem, Vestam, patrem Quirinum. Fides cana*, quia alias *prisca, antiqua*, dicta. *Vesta*, quippe Romanis patria eaque antiquissima religione culta cum ipsis Penatibus, cf. Aen. II, 296, et imperii praeses, in cuius aede ignis sacer seruabatur. (Vt *pudicitia* per eam designetur, Romano equidem more fieri posse non arbitror.) Quod autem *Quirinum cum fratre Remo* nunc *iura dare*, h. e. regnare, imperio Romano praeesse, rem Romanam tueri, ait, in his concordiam quidem ciuium innui posse, Burmanno non refragabor, vt forte pro eo, quod diceres, fore vt concor-

dia et pax bellis ciuilibus et discordiis sopitis vigeat ac floreat, poeta Romulum et Remum, quos dira discordia disiunxerat, iterum regnaturos esse dixerit. Meo tamen sensu rei sermonique poetae accommodatius est hoc: Bellorum ciuilium noxa interdum a Remi caede repetebatur, qua tota posteritas culpae et piaculo erat obligata; iam bellis ciuilibus expiatus Remi sanguis videbatur, vt v. c. Horat. Epod. 7, 17. Itaque ea poetae mens: Temporum antiquorum integritatem et puritatem iri restitutum, qualis illa fuerit, antequam fraternus *sanguis in terram defluxit* primumque illud parricidium fuit commissum. Pacatis iterum animis et fraterna concordia pristina rem Romanam moderari et tueri quasi videbuntur Remus ac Romulus. De Agrippa cum Seruio et aliis cogitari non posse, recte Burmannus monuit. Quod vero poetae animum ad has rerum imagines deduceret, vt *Fidem*, et *Vestam*, cum *Remo* ac *Romulo* commemoraret, fuisse suspicor etiam hoc, quod, vt ex topographiis Romae disci potest, in Palatino monte, adeoque circa Palatinam Caesaris domum, templa Fidei, Vestae ac Romuli Remique erant. Maiorem igitur haec omnia suauitatem habere debuere, si Romanus ea legeret, qui illa templa ante Augusti domum posita meminisset. Mox v. 293. 294 *Bellum* hic personam dei induere puto; est ὁ Πόλεμος. Diuersa Belli a Bellona et Marte persona. Apud Plin. XXXV, 36, 16 Apelles *Belli imaginem restrictis ad terga manibus* pinxit, *Alexandro in curru triumphante*. Eam cum altera tabula Apellis Augustus in Fori sui partibus celeberrimis dicauerat. Vt tamen picturam hanc Virgilius hic ante oculos habuisse videri debeat, quod iam in Seruianis suspicatus aliquis, necesse non est. Notio haec admodum obuia et communis, vt Discordiam, Bellum, Martem, vinctos, religatis post tergum manibus, fingere animo liceat; inprimis inter eos, qui triumphum agi, in eoque hostes captos vinctis post tergum manibus duci viderant. Occurrit quoque simile argumentum in artis priscae operibus. Erat Spartae vetus signum Martis vinculo impediti. Pausan. III, 15. p. 245.

Noſtrum ante oculos habuit Calpurn. I, 46 de Numeriano Caeſare: *dabit impia vinctas Poſt tergum Bellona manus, ſpoliataque telis In ſua veſanos torquebit viſcera morſus, Et, modo quae toto ciuilia diſtulit orbe, Secum bella geret.* Huius *porta dira*, quia dei diri et abominandi, clauditur *ferro et compagibus artis* ſ. vinculis h. e. foribus ferratis. Hom. θύρῃ πυκινῇ et πυκινῷς ἀραρυῖαι. *Iani templum*, quod *Ianus Quirinus*, vel *Ianus Quirini*, vel *Ianus geminus* appellatur, reſpicere putatur et recte. Aen. VII, 607 *Sunt geminae Belli portae, ſic nomine dicunt. Centum aerei cludunt vectes, aeternaque ferri Robora, nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.* vbi vid. Not. Plutarch. de Fort. Rom. p. 322 B. ἐκλείσθη δ' ἓν τότε (ſub Numa) καὶ τὸ τῆ Ἰάνῃ δίπυλον, ὃ πολέμῳ πύλην καλοῦσι, vt recte iam Xylander vertit non τύχην. Pax occludit Ianum ap. Lucan. I, 61. 62. Contra Pacem clauſo Iano incluſam teneri, interpretatio et ſententia Ouidii eſſe videtur Faſt. I, 281, ſi locum recte capimus. Apud Ariſtoph. in Pace 222 ſqq. Πόλεμος Pacem antro incluſerat. Adeo variis modis et accipi et reddi potuit res, cum antiqua Iani aedicula, ad modum templi amphiproſtyli vtrinque peruia, quae, bello indicto, priſco more patebat adeuntibus et ſupplicantibus, pace facta occludi ſoleret; viſum enim eſt Bellum modo coerceri portis clauſis, ne ille deus portis apertis foras erumperet, modo Pax incluſa teneri, ne auolaret. Itaque idem templum et Iani et Belli et Pacis habitum. Si Valer. Flacc. III, 253 *tunc porta trucis coit infera belli* hunc locum reſpexit, probabile fit, alteram in eo loco lectionem, *porta effera* veram eſſe. Iam porro *Furor impius*, h. e. Bellum ciuile; vt apud Horat. Petron. et al. Ouid. I ex Pont. 2, 126 de Auguſto: *Clauſit et aeterna* ciuica bella *fera*. cf. Petron. B. Ciu. 256 ſq. *nodi* exquiſite pro vinculis, catenis. Virgilium ante oculos habuiſſe videtur Manil. iam Cerdae laudatus, I, 921 *iam bella quieſcant, atque adamanteis Diſcordia vincta catenis Aeternos habeat frenos in carcere clauſa.* et Ouid. I Faſt. 702 *Gratia Dis domui-*

que tuae: religata catenis Iampridem noſtro ſub pede Bella iacent. At ipſi Virgilio praeiuerat Ennius apud Horat. I Serm. 4, 60 *poſtquam Discordia tetra Belli ferratos poſtes portasque refregit.*

EXCVRSVS X

Mercurius ad Poenos placandos miſſus.

I, 297. *Haec ait: et Maia genitum demittit ab alto* ſqq. Videtur hunc poetae locum expreſſiſſe caelator gemmae non ignobilis e Muſeo *Bourdalouii*, poſt Montefalc. in Virgilio Londinenſi, Iuſticiano et Ambrogiano repetitae, in qua Iupiter in medio ſedens, Venus iuxta cum Amore Ioui ſupplicans, ex altera parte Mercurius cum mandatis Iouis discedens; modo ſatis liquido conſtaret, an a manu antiqua opus illud profectum ſit; mihi tamen omnes illae gemmae Virgilianae, vt aliae Romani argumenti, recentia ingenia prodere videntur; non enim id fuit ſuorum poetarum ſtudium Romanis, nec Graeci artifices latini carminis peritiam tantam habuiſſe videntur; contra ſaeculo XV et XVI cum Graecae fabulae vulgo ignorarentur, ad Romanam hiſtoriam ac ritum reuocari priſca monumenta, ad eundem alia recentia opera confici, paſſim ſolebant. Caeterum celeritati bene conſulitur a poeta, omni Iouis ſermone omiſſo, quo mandata Mercurio data erant; quaenam illa fuerint intelligimus ex iis, quae Mercurius exſequitur. Mercurius autem animis, vt h. l. Didonis et Poenorum, molliendis et flectendis inprimis idoneus deus, qui *feros cultus hominum recentum*, adeoque et barbarorum, quales Poeni erant, formauit. Scilicet hoc ad perſuaſionis vim pertinet, in monendo, conſiliis dandis, et ſic porro; vt Odyſſ. α, 37 ad dehortandum a ſcelere Aegiſthum Mercurius mittitur. Omnino oeconomia fabulae huius primi libri eſt eximiae artis. Carthaginis aduerſus Aeneae fata tuendae ſtudio (v. ſup. 13. 19) Iuno Aeneam immiſſa tempeſtate perdere voluerat. Atqui hac ipſa tempeſtate in Carthaginis huius, cui Iuno metuit,

littus eiicitur Aeneas. Iam mireris vtique poetam hoc casu non eo vti, vt tanto maiorem nobis super Aeneae discrimine ac periculo, ex Iunonis odiis in illa ipsa terra et vrbe, quae deae tantopere curae cordique erat, impendente, sollicitudinem faciat. Sed poeta aliam viam est ingressus. Ne Aeneas vllum in his locis periculum adeat, mittitur Mercurius ad Poenorum Didonisque inprimis animos placidos et propitios efficiendos. Quo facto, cum tamen vel sic Venus haberet, quod Iunonis odia et iras metueret, Cupidinis mox illa opera vtitur (inf. 670 sqq.), vt Didonis animum amore in Aeneam inflammet, quo minus illa Iunonis aliquo monitu in diuersa consilia impulsa in eius perniciem conspiret. Interea Iuno, dum his iam malis aliter occurri non posse videt (v. IV, 90 sqq.), hoc ipso Didonis et Aeneae amore ad auertendum ab Italia Aeneam et intercipienda adeo Romae fata vti constituit; sed quo minus illa res exitum habeat, Iupiter, cui fatorum ordo inprimis curae esse debet, cauet (ibid. v. 222 sq.), cf. sup. Excurs. I*.

EXCVRSVS XI

Dido a Sichaei Vmbra monita.

I, 353—359. *Ipsa sed in somnis inhumati venit imago Coniugis, ora modis attollens pallida miris, Crudelis aras traiectaque pectora ferro Nudauit, caecumque domus scelus omne retexit; Tum celerare fugam patriaque excedere suadet, Auxiliumque viae veteres tellure recludit Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.* Quae de mariti specie per somnum oblata narrantur, a poeta ipso adornata videntur, nec incommode ad epicam poesin, vt miraculo animum teneat. Forte poetae, praeter historiam, debetur etiam illud ad rei atrocitatem adiectum v. 349 *ante aras*. Nam vulgo, cum venatum exiisset, a fratre vxoris insidiis petitus interiisse Sichaeus traditur: vide Cedrenum p. 140 B. et Io. Malalam Chronograph. p. 68 (p. 206 ed. Oxon.), qui Seruium ad h. l.

descripsit, sed, vt apparet, multo integriorem quam qualem nunc habemus. cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 195. Sed, vt poeta ante aras id factum mallet, occasionem fingendi praebere potuit hoc, quod maritus Didonis sacerdotio Herculis functus esse memoratur. cf. Iustin. XVIII, 4. Iam somni visum potest illud quidem ita accipi, vt ipsum facinus somniantis animo fuerit obiectum, ita vt illa ipsi caedi interesse, eam fieri cerneret, poeticae tamen rationi magis consentaneum, vt, quae a Sichaei Vmbra verbis sunt exposita, tamquam gesta *nudentur*, enuntientur; vt in notis exposuimus. Similiter Vmbra Sichaei mox abditos thesauros indicat, quo loco repositi sint, vt itineris subsidium ac viaticum Didoni fugienti sint. Sic Hectoris Vmbra inf. II, 297 *effert* sacra, efferenda esse gestu significat. Thesauri Didonis adhuc Neronis tempore lusum auaritiae fecere. v. Tacit. Annal. XVI, pr.

EXCVRSVS XII

Pius Aeneas.

I, 378. 379. *Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum, fama super aethera notus.* Notati hi versus, quod Aeneas egregie se ipsum commendat. Recte, nostris moribus si rem aestimes; secus, si heroicis; vt ex toto Homero satis constat. Exempla aliorum v. ap. Pierson. Verisim. p. 206: adde Spencium (in *Essay on Pope's Odyssey* P. I. p. 52). Hic ipse versus ex Homero adumbratus Odyss. ι, 19. Vlysses apud Alcinoum: Εἶμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν Ἀνθρώποισι μέλω (*carus et honoratus sum propter sagacitatem consiliorum in re bellica*) καί μευ κλέος ἐρανὸν ἵκει. *fama super aethera notus*, ex poeticae orationis genio, nihil aliud quam simpliciter, celeber et inclytus. Inclytum autem ac notum se calamitatibus suis dicere, minus habet offensionis etiam nostris moribus; et pietatis mentio facta hominum animos beneuolos ipsi reddere poterat. Verum et *pius*, vt omnino in Aeneide, perpetuum

est Aeneae attributum, quod, Homerico more, proprio nomini tamquam aliud proprium adiungitur. Sic et *pater Aeneas*, quod antiquiore sermone honoris vocabulum fuit, ac reuerentiae amorisque, inprimis regibus tributum. Sic Odyss. ϑ, 145 ξεῖνε πάτερ. Cum autem *pietatis* notio tam late pateat: quaeri potest, quo tandem sensu poeta accipi voluerit. Fuit enim Aeneas *pius in patrem*: vnde III, 481 de Anchise: *o felix nati pietate*, fuit *in filium, in patriam, in deos*. Scilicet hoc vltimo respectu dictus est *pius* a poeta, ϑεοσεβής, religiosus. Docent hoc adiuncta, h. l. *raptos qui ex hoste Penates classe veho mecum*. Lib. II, 691 *Iupiter, adspice nos, et, si pietate meremur, Da deinde auxilium*. Conuenit, quod in omnibus rebus monitis deorum obtemperat. Cum pietate iustitia iungitur inf. 544. 545. Quod autem in Penatibus, de quibus v. Exc. IX ad lib. II, quos secum abduxerat, Aeneas inprimis gloriatur, ad veterem religionem pertinet. Nondum excisa plane et euersa videbatur resp. superstitibus adhuc diis tutelaribus seu patriis, eorumque vasis et sacris instrumentis. Qui in coloniam mittebantur, sacra metropoleos suae secum abducebant. Si sacra, h. e. dii patrii et eorum vtensilia, essent seu vi seu fraude et furto ablata, grauissima calamitas ea habebatur. Vt deos elicerent, qui vrbem oppugnabant, aut vt deos vinculis ligarent, qui obsidione graui premebantur, ad eandem religionem pertinebat. Capta igitur vrbe, praecipua ea cura inprimis sacerdotum, vt deorum signa et vasa salua essent, dum aut absconderent ea, aut secum asportarent. Sic Panthus Apollinis sacerdos II, 319 fugiebat, *sacra manu victosque deos* ferens. Sigillatim haec satis exposita passim sunt a viris doctis; nobis curae fuit, vt ad rationes suas et causas ea referrentur; idque teneri velim etiam in aliis.

EXCVRSVS XIII

De iis quae deorum praesentiam arguunt.

I, 402 — 404. *Dixit, et auertens rosea cervice refulsit, Ambrosiaeque comae diuinum vertice odorem Spirauere; pedes vestis defluxit ad imos, Et vera incessu patuit dea.* Habemus hic exemplum ἐπιφανείας numinis insigne. Non iniucundum erit, paucis exponere, quibus modis poetae, Virgilius et Homerus, deorum praesentiam vel in discessu arguant, inprimis cum viri docti, qui in hunc locum inciderunt, sequuti fere sint Heliodori Aethiop. lib. III. p. 148. 149 ed. Bourd., a quo tamen non tam poeticas rationes, quam theosophorum commenta exposita esse manifestum sit.

Quoties igitur poetae, inprimisque principes isti, deos cum hominibus agere iisque interesse faciunt; faciunt autem hoc saepissime, ex recepta inter veteres persuasione, ad quam diuinae naturae species humana vulgo credita necessario ducere debuit, in priscorum hominum et heroum vita, fere vt in vita patriarcharum, deos inuisere homines, ad eos deuertere, eorum hospitio vti, iis occurrere, sermones ac consilia communicare solitos; quoties igitur deos inter homines agero memorant poetae: si modum quidem et rationem exponunt, quam tamen saepe declarare negligunt: aut dii, etsi cum hominibus agunt, plane se hominum visui non subiiciunt, aut in conspectum veniunt manifesti, aut forma humana adsumta se offerunt, vt tamen mox, saltem in discessu, diuinae praesentiae nonnunquam signa aliqua edant.

In variandis his sequuntur poetae nonnullas alias opiniones inter priscos homines receptas: primo quidem, deos propria sua ac diuina specie a mortalibus aut omnino cerni non posse aut non nisi cum vitae discrimine,

(pro exemplo sit Semele) saltem oculorum caecitate, (v. c. Hymn. in Vener. 188. v. ad Callim. L. P. 82 Spanhem. et ad 102) non posse cerni: nisi forte ab hominibus, qui θεοφιλεῖς, a diis amati essent: ἔπω γὰρ πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς, Odyss. π, 161. Contra χαλεποὶ δὲ φαίνεσθαι ἐναργεῖς, Iliad. υ, 131. cf. Spanhem. Callim. Ap. 9. Quoties igitur alios homines adeant dii, specie eos humana assumta illis occurrere: esse vero diuinam speciem humana maiorem, longeque pulcriorem; itaque quoties pulcritudine insignis aliquis mortalis sese offert, numen sub ea specie latere suspicari solent; vt in Hymno in Dionys. 19. 20: porro deos nube modo candenti modo caliginosa amictos ad homines, quibuscum agunt, accedere. Quae omnia cum sensuum nostrorum iudicio ita coniuncta sunt, vt omnium temporum populorumque opinione, nisi qui aut belluino more viuunt aut ad summam philosophiam expoliti sunt, recepta ea fuerint. Iam si *in hominum conspectum*, quibuscum tamen agunt, omnino *non veniunt dii:* solent fere verba eorum tantum audiri, quibus is, quem alloquuntur, facile numen agnoscere potest, vel quod deus suum nomen effatur, vel quod dei vox iam olim nota et saepius audita erat. Ita Vlysses (Iliad. κ, 512) et Achilles de Mineruae vel non conspectae voce nihil dubitant, et notum Aiacis illud apud Sophoclem: Ὦ Φθέγμ' Ἀθάνας φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν Ὡς εὐμαθές σε, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως Φώνημ' ἀκέω etc. Diuersa ratio est, qua Apollo Iliad. π, 788 sqq. loco inter paucos splendido, Patroclo etsi inuisus terrorem infert.

Sin *in conspectum veniunt* dii *manifesti:* diuina specie, hoc est maiores ac pulcriores humana forma, tum apparent; multa fere luce oculos obtundunt: ita vt haec ipsa lux praesentiam numinis arguere credatur. Sic inf. IV, 358 *Ipse deum* (Mercurium) *manifesto in lumine vidi Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.* Etiam plena luce domus memoratur, v. c. Hymn. in Cerer. 188. 190, vbi cf. Ruhnk. Interdum tamen ad terrorem omnia

comparata sunt: species, oculi, habitus; ita nube caliginosa et atra amicti sunt dii, vt Venus lib. XII, 416. Iuno vero cum procella venit: lib. X, 633 *coelo se protinus alto Misit agens hiemem, nimbo succincta, per auras.* Enimuero hoc spectat iam propius ad illa, quae a consilio nostro aliena sunt, cum deorum praesentia omnem naturam sensu aliquo perfundere creditur: dum dii, modo cum aeris, ventorum, marisque tranquillitate et aurae silentio aduenium: in quam rem loca congesta v. ap. Valken. ad Theocr. 2, 38: modo ventorum marisue tumultus praesentiam dei arguit. Cum his coniunctae sunt ἐπιφάνειαι deorum in templis, sub sacrorum sollennium aut oraculorum edendorum tempus: de quibus nunc non agitur, et copiose actum ab aliis, inpr. a Spanhem. ad Callim. Itaque nec attingam, quae ex his ipsis deorum apparitionibus ad Manes aut Vmbras per somnum oblatas translata sunt; vt de Creusa Aen. II, 773: tandem etiam ad homines diuinitus afflatos, vt de Sibylla VI, 49. 50. Verum vt ad illum deorum conspectum redeamus, quo, quoties eorum ministerio poeta vtitur, illi prodeunt: si manifesto numine occurrunt, fieri id fere animaduertas vel occursu alterius dei, vel vt filio, marito, aut amato a se homini, in conspectum veniant. Sic inter pugnas dii sibi occurrant in Iliade, sic Achilli Thetis, et Aeneae se mater Venus — *non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit — confessa deam, qualisque videri Coelicolis, et quanta, solet*, lib. II, 591. Veniunt quoque dii in conspectum vnius tantum, etsi in magna hominum frequentia, ita vt caeteri omnes ne sensum quidem numinis praesentis habeant: sic vni Vlyssi eiusque canibus manifesta sit Minerua, Od. π, 160. Sic soli Peleo Thetis apud Apollon. IV, 854 sqq. et Achilli in media Achiuorum concione, sed soli, conspicitur Minerua, statimque agnoscitur, δεινὼ δὲ οἱ ὄσσε φάανθεν, Iliad. α, 200. Iliad. ρ, 334 Aeneas Apollinem ἔγνω ἐσάντα ἰδών. Caeterum ex loco hoc Heliodorus illud duxisse videtur, quod ex fixo et constanti obtutu deum intelligi dixit. Species autem diuina modo

ab aeterna deorum iuuentute, ac pulcritudine, modo cum attributis ex poetarum et artificum doctrina et vsu, declaratur.

Verum frequentissima ratio ea est, vt ad eum, quem volunt, accedant eumque alloquantur, *humana forma induti*, noti fere alicuius et familiaris, sicque ei ludum faciant, vt cum mortali se agere ille putet; Tumque dii consequuti id, quod volebant, interdum abeunt, vt nec agnoscantur: v. c. Iliad. ρ, 70. cf. Φ, 285 sqq. χ, 226 sqq. Sic etiam inobseruati discedunt, qui per somnum se offerunt, vt Minerua Od. ξ, 41 sqq. ὁ, 795 sqq. et cum Tiphy illa per somnum adstat Orph. Arg. 538. 554. Interdum, vt numen suum prodant, forma humana deposita, diuina conspicui fiunt: Sic Venus in Anchisae amplexibus: Hymn. in Ven. 181 sqq. 175. cf. Burm. ad Anthol. Lat. IV, 13, 12 si irati sunt *maiores maioresque* fiunt: Callimach. in Cer. 59. cf. Wessel. ad Herod. VIII, 38: aut inter dicendum agendumque oculis, voce, toto corporis habitu mortali forma maiore produnt se, vt omnino diuinae naturae indicium vel originis habita est oris corporisque maiestas, vel pulcritudo. *Spectо*, ait ille ap. Ouid. III Met. 609, *cultum faciemque gradumque: Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam.* Ita Iris, quae Beroen simulabat, Aen. V, 647 *diuini signa decoris Ardentisque notate oculos, qui spiritus illi, Qui vultus, vocisque sonus vel gressus eunti.* cf. Odyss. ν, 288, vbi Minerua, proditura se deam, repente inter dicendum femina fit eximia specie; de Cerere autem Hymn. 188. 189, vbi v. Ruhnk. Inprimis autem huc spectat Iliad. γ, 396 sq., vbi Veneris anui assimulatae consiliis obsequi cum nollet Helena, tum illa manifesta adstat dea, κὴ ῥ' ὡς ἓν ἐνόησε θεᾶς περικαλλέα δειρὴν, Στήθεά θ' ἱμερόεντα, καὶ ὄμματα μαρμαίροντα, Θάμβησέν τ' ἄρ' ἔπειτα· quem ipsum locum Virgilius versibus supra adscriptis ante oculos habuit, rem tamen aliter tractauit: *auertens rosea ceruice refulsit* etc. Scilicet occurrit apud poetas tandem et illa ratio, vt *non nisi sub discessum*, modo ad terrorem faciendum, modo ad numen

testandum, mortali forma exuta, diuina specie numen spectantium oculos praestringat. Itaque h. l. diuinam speciem numenque arguit pulcra ceruix, coma suauiter spirans, palla deae defluens, cum antea venatricis more esset succincta, tandemque incessus. Videamus de singulis.

Scilicet si abeuntes numen manifestum ac confessum faciunt, signis fere atque notis id faciunt sequentibus: Peractis mandatis modo discedunt sic vt ad Olympum redeant, vt de Mercurio iuuenis faciem mentito Odyss. κ, 307. 308 Νῆσον ἀν' ὑλήεσσαν ille ad Olympum redit; modo subito ex conspectu eorum, quibuscum loquebantur, auferuntur, euanescunt vel auolant. Alias abeuntes, forma adscititia abiecta, diuinam speciem a tergo ostendunt. Sic Apollo in Butae formam conuersus: *Mortales medio adspectus sermone reliquit, Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram. Adgnouere deum proceres diuinaque tela Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem*, Aen. IX, 657 sq. Apollinem hic vides in aerem sublatum; cum alibi nube vel obscura caligine involuant se dii, quippe qui omnino, vt inuisi sint, nube se operiant, atque eos quoque, quos subducere vel occultare volunt, nube obducant, vt toties ap. Homerum fit. Sed aliis locis abeuntes deos declarat incessus leuis ac celer, et volanti similis, vt vix pedibus terram attingant; qualis omnino deorum incessus esse fertur, ἔστε χθόνα μάρπτε πόδεσσιν, Iliad. ξ, 228. cf. 284. 5, modo stellae fatuae cadenti Iliad. δ, 75, modo columbae, modo accipitris volatui comparatus. Notus locus Iliad. ε, 778 Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ὠμοῖϊν ὁμοίαι. Harpae etiam, quae ex aquilarum genere est, Minerua coelo descendens assimulatur Iliad. τ, 350. 1, et Neptunus Calchantis habitu Achiuos ad pugnam adhortatus Iliad. ν, 62 sqq. Αὐτὸς δ', ὥς' ὄρηξ ὠκύπτερος ὦρτο. πέτεσθαι etc. et subiicit Aiax: non hic fuit Calchas: Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος (leui scilicet et suspenso gressu). ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ. At in Odyss.

α, 320 Minerua, cum ſub Mentae perſona Telemachi animum erexiſſet, ἀπέβη, Ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο, et Odyſſ. γ, 371. 2 eadem apud Neſtorem ἀπέβη Φήνῃ εἰδομένη· Θάμβος δ' ἕλε πάντας ἰδόντας. Serpentis lapſum ac tractum nusquam a poetis Graecis vidi deorum inceſſui aſſimulari: vide tamen Spenc. ad h. l. Singulare eſt inf. IX, 15. 19, quod Iris arcu et ſereno coelo diceſſum ſuum mirabilem facit.

Cum dei diceſſu coniunctum interdum illud, vt praeter naturam mira aliqua vi affici ſentiat modo animum modo corpus is, qui cum deo in mortalem mutato egerat. Sic ſupra memorato loco Iliad. ν, 62 ſq. Neptunum, qui Calchantis perſonam induerat, agnoſcit Aiax manuum pedumque inſolito vigore viriumque refectione, v. 74. 75, et tetigerat eum deus discedens ſceptro ſuo. Imitatus hoc eſt Quint. Cal. XI, 142 — 144. Aliud exemplum habes Iliad. υ, 81. 110 Apollinis Aeneam reſtituentis: Ὡς εἰπὼν ἔμπνευσε μένος μέγα ποιμένι λαῶν, et Odyſſ. α, 320 Minerua discedens Telemacho non modo inceſſu, ſed et ex eo manifeſta ſit: τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ Θῆκε μένος καὶ θάρσος. Hoc idem faciunt interdum dii tacite et occulte, vt Pallas Menelaum nouis viribus recreat Iliad. ρ, 569.


Quandoquidem in ipſo diceſſu diuina ſpecies humanae formae ſuccedit, commemorantur quoque illa, quae in ſpecie diuina memorabilia ſunt: ſumma oris pulcritudo aut maieſtas, corpus humano maius et auguſtius, cum pulcritudine candor corporis, ceruix pulcra, comae promiſſae, quales perpetuam deorum iuuentam decent, vt in Cerere, Hymn. v. 277. 8, et in loco noſtro Virgilii.

Quod inter praeſentis numinis ſigna refertur gratus odor, quem ſiue totum corpus ſiue coma exhalat: vti in Venere, h. l. *ambroſiaeque comae diuinum vertice odorem Spirauere;* et Dianae nec in adſpectum prodeuntis praeſentia ex diuino odore agnoſcitur ab Hippolyto apud Eurip. Hippol. 1391: id quidem ductum eſt

ex antiqua vita, quando regiae opulentiae erat, vnguentis suauibus delibutum corpus habere, antequam frequentioribus commerciis copia maiore et expeditiore sumtu vnguenta Asiae in Europam illata sunt. A regum autem luxu, qualis tum erat, adumbrata deorum vita, adeoque in eam traductum etiam vnguentum ambrosia dictum. Sic de Iunone Iliad. ξ, 170 sqq. et de Venere Odyss. Θ, 364. 365 et sup. Georg. IV, 415 sqq. Etiam ap. Hesiod. Scut. Herc. 7. 8. Alcmenae a capite et superciliis suaues odores spirant, tanquam a Venere. (etsi versus vix a primo carminis auctore sunt.) Ducta hinc sunt ea, quae de veste stragula Bacchi habet Apollon. IV, 430 sq. Hoc tamen diuinae naturae argumentum non nisi in elegantioribus diis locum habere potest; vt in Venere et Apolline; in Diana etiam apud Eurip. l. c.; in Flora apud Ouid. Fast. V, 376: alia exempla v. apud Burmann. ad Anthol. Lat. IV, 13, 30. Insignius caeteris est in Hymno Homer. in Cer. 274 sqq., quod apponam, quia reliqua quoque praesentis numinis argumenta sub discessum continet: ὣς εἰποῦσα θεὰ μέγεθός τε κεἰ εἶδος ἄμερψε, Γῆρας ἀπωσαμένη· περί τ' ἀμφίτε κάλλος ἄητο, Ὀδμὴ δ' ἱμερόεσσα θυηέντων ἀπὸ πέπλων Σκίδνατο. τῆλε δὲ Φέγγος ἀπὸ χροὸς ἀθανάτοιο Λάμπε θεῆς, ξανθὴ δὲ κόμη κατενήνοθεν ὤμους· Αὐγῆς δ' ἐπλήσθη πυκινὸς δόμος, ἀστεροπῆς ὡς· Βῆ δὲ δι' ἐν μεγάροιν. Videmus hic sub discessum Cereris formam diuinam receptam: pulcritudinem, ambrosium odorem, candens corpus, comam promissam; lucem per domum fusam. Imitatione quoque expressa res in templis: v. c. de Dea Syria et in teletis: vt apud Apulei. XI.

Et hi quidem priscae et epicae poeseos praecipui modi diuinam praesentiam declarandi, super quibus multa possint argutius disputari, nisi hoc a consilio nostro esset alienum; et facere hoc cuiuis ex superioribus est in promtu. Quando autem de origine et caussa huius phantasmatis hominum mentibus subnati quaeritur, ablegandus est lector ad Exc. I ad lib. IX, 638. Nec tamen exisli-

mandum est, semper haec tam accurate et diserte a poetis tractari. Quin saepe satis habent, deum memorare cum mortali agentem, numen suum manifestantem, et a mortali agnitum, nulla tamen re adiecta, qua intelligatur, quomodo id fieri potuerit. Scilicet iam ab initio inter poetam et lectorem tacito consensu conuenerat, posse et solere a diis fieri ea, quae naturae morem deserunt eoque ipso mirationem faciunt. Exempla vide Iliad. υ, 319, vbi Neptunus Aeneam non latet, et ρ, 334 Apollinem idem Ἔγνω ἐσάντα ἰδών. adde Iliad. β, 172. ε, 794. 815. Sic inf. XII, 632 *Iuturnam* sororem agnoscit Turnus, nec additur, quo signo vel argumento.



EXCVRSVS XIV

Equi caput omen Carthaginienſium fortunae.

I, 442 — 445. *Poeni Effodere loco ſignum, quod regia Iuno Monſtrarat, caput acris equi; ſic nam fore bello Egregiam et facilem victu per ſaecula gentem.* Caput equinum adeo auſpicium et omen fuit futurae fortunae; fore Poenos gentem bellicoſam et rerum copiis (ex agricultura, nauigatione et commerciis populorum) affluentem. Iuſtin. XVIII, 5, 16 *Ibi quoque equi caput repertum, bellicoſum potentemque populum futurum ſignificans, vrbi auſpicatam ſedem dedit.* Quas ſidiculas verbis, *facilem victu* fore gentem, interpretandis adhibuerint viri docti, vide ap. Cerd. Burm. Trapp. Si Carthaginienſium hiſtoriam inſpicere meminiſſent viri docti, in multis huius et quarti libri locis minus turbaſſent. Celebrata ſatis inter veteres res eſt, Carthaginienſes agri colendi ſtudioſiſſimos fuiſſe, et totum illum Africae tractum laetiſſimo cultu ſummae fertilitatis efflorniſſe. Itaque praeclare iis portenditur perpetua victus copia et affluentia; et *facilis victu*

est is, qui facilem et paratum victum habet: εὔπορος, vt agrum *frugibus* vel *frugum facilem* dixere veteres. Tenendum scilicet, ea, quae in vulgari oratione τὸ *facilis* pro adiectiuo adiunctum habent, poetice ita efferri; vt si *alloquium regis facile* exprimendum sit, *facilem regem alloquio* vel *alloquii* dicat poeta, vt Val. Fl. V. 407 *littus quod faciles appulsus habet*, idem *littus facile appulsibus*. Ita, quae *victum facilem* fundit humo *tellus* Georg. II, 460, est etiam *tellus victu facilis*; et sic *gens victu facilis*, quae habet victum, alimenti copiam paratam, affluentem, propter agrorum scilicet fertilitatem et vbertatem. Simili modo infinita alia ad prosaicam formam comparanda sunt. Aen. VIII, 318 *asper victu venatus*, h. e. qui victum asperum, qualis est vitae asperae, durae et pauperis, praebet. *nox aspera curis*, Val. Fl. III, 362, quae curas asperas secum affert, et sic porro. *Equus* autem quidni ferax et laetum solum, equis alendis idoneum, ominetur? quum hoc armentum pabuli copiam et vberem agrum inprimis sibi poscat. Vide, si talis res auctoritate indiget, Columellam de R. R. VI, 27. Varia quidem de hoc portento inter fundamenta vrbis reperto fuit narratio, nam alii (v. Iustin. l. c. Seru. et Pompon.) primo caput bubulum, alii palmam simul repertam tradiderant, proxime tamen ad nostrum alii ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 195 εὗρον κεφαλὴν ἵππε, καὶ συμβαλόντες σημαίνεσθαι σχολὴν αὐτοῖς καὶ παρ' ἄλλων δόσιν τροφῆς, καθὰ καὶ τοῖς ἵπποις, ἔκτισαν ἐν τοιούτῳ τόπῳ Καρχηδόνα. sane diuersa interpretatio de otio ac pacis studiis, inprimis ex mercatibus; vides tamen hoc ipsum, *facilem victu*, ita expressum, vt sine multo labore victum inueniant. Quod Aen. III. 540 sqq. diuersum ex equis augurium petitur, nihil officit. Poterant enim eaedem res diuersis temporibus et rerum conditionibus ad diuersa trahi omina. Ita ἵππον πολέμιόν τε καὶ ἐπήλυδα, *bellicosum et aduenam* interpretabantur vates Telmessenses ap. Herodot. I, 78.

EXCVRSVS XV

Pictura in templo Carthaginis ab Aenea perlustrata.

I, 453 sqq. *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo, Dum — Artificumque manus inter se operumque labores Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas.* De pictura vulgo haec accipiuntur; et v. 464 *picturam* expresse appellauit. Quod si verum est, aduersus temporum rationem peccare poeta maluit haec commemorans, modo gratis rerum imaginibus delectaret. Nam *Iliacis temporibus non fuisse* pingendi artem *apparet.* v. Plin. XXXV, 6. Obseruatum hoc iam est Gogueto *de origg. legg. art. et discipl.* Tom. III, p. 346. Et Homerum sculpturae opera in omni metallorum genere memorare, *nulla picturae*, vnicuique Homerum legenti facile succurrit. Videndum igitur, an Virgilius non de pictis tabulis, sed de anaglypho opere, et quidem ex aere, quod antiquissimum fuit genus, et quo ducunt fores ex aere factae v. 448. 449, agere dicendus sit? Nam, quod *picturam* dixit, hoc poetica elegantia de quouis opere, quod figuras rerum ac signa repraesentat, bene memorare potuit. Accipiendum autem ita esset de sculptorio opere in foribus templi ac valuis ex aere facto: in his enim, vt et in fastigiis, templorum pariter ac palatiorum frequens fuit caelatura: cf. Paus. I, 24. V, 10. X, 19. VIII, 45. Cic. Verr. IV, 56 et porticus templi Iouis Olympii apud Agrigentinos: v. Diodor. XIII, 82 in qua et exsculpta ἅλωσις τῆς Τροίας heroibus suo quoque habitu expressis. et solent poetae in argumentis eiusmodi sculpturae sibi placere: vt noster Ge. III, 26 sqq. Aen. VI, 20 sqq. Sic Ouid. Met. II, pr. in regia Solis. Silius III, 32. in templi Herculis foribus. ad q. l. cf. Drakenb. Valer. Fl. V, 411 in fastigio templi (ita quidem nobis videtur) et in foribus 417 — 465 expressas historias apud Colchos memorat; sapienter quidem hoc; sed idem in operis summa infelix; non enim apparet, quorsum ista descriptio anaglyphi inserta

sit. At noster poeta ad confirmandum Aeneae animum his rerum imaginibus egregie vtitur. Anaglypha idem et alibi memorat, vt inf. 640. Inter haec tamen commento illi sculpturae h. l. non magis confidam, quam ei, quod multo minus probabiliter in animum venit viro docto, vt crederet, hic de textura agi. Nisi vim facias verbis, non nisi de tabulis pictis agere poeta potuit: et dicendus ille est maluisse morem Italiae suae sequi, in qua passim visebantur porticus templorum pictae. Res Troianas inter argumenta fuisse, vel ex Petronio 29 et 89 discere licet: cf. Wernsdorf. P. Min. T. IV, p. 605. Nihil frequentius eodem more inter Graecos, quos, parietes templorum et porticus picturis exornasse, multa docent exempla apud Plinium et Pausaniam, vt Athenis I, 17 in Thesei templo; I, 18 in templo Dioscurorum; I, 20 in t. Bacchi; cf. c. 25. 26. et Athenaeum X, p. 456 extr. inprimisque templum Mineruae ap. Cicer. Verr. IV, 55. Troiani autem belli historiae, etsi in populo, qui nihil cum Troianis et Graecis commune haberet, recte tamen poterant operis ab arte profecti argumentum praebere. Solet enim ars externas historias, inprimis claras et nobiles, sibi materiem facere; et ab Etruscis, saltem ab Italis, similiter belli Troiani historiam, quamquam illa aliena ab hoc populo erat, in tot monumentis, inprimis sepulcralibus, expressam videmus. Caeterum ea, quae mox memorantur, non continui alicuius operis vniusque tabulae argumentum sunt habenda; certe nihil in poeta video, quod ita statuere iubeat; sed singulae historiae singulorum operum argumentum constituere putandae.

EXCVRSVS XVI

De Rhesо.

I, 469. *Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria velis.* Nouauit plura in rebus Troianis Maro, ab Homero aliena, et morem aetatis suae praetulit; Tragicos ea in re secutus, qui equites, tubas, et alia memorant, quae heroica vita ignorauit. Nunc *tentoria* narrat *niueis velis:* in qui-


bus non tam illud me mouet, quod *niuea* tentoria fecit, eo scilicet, vt vel noctu nitore fulgentia late essent Diomedi et Vlyssi speculantibus conspicua; sed quod Troianis temporibus tentoria nondum erant *lintea*. Achiuorum κλισίαι stipitibus lignisque constabant, vimine intertexto humoque aggesta, adeoque tuguria potius. v. Iliad. ω, 449 sqq. cf. Eustath. ad Iliad. α, 185. Recte et Tzetza in Antehomericis, a viro doctissimo Iacobs nunc editis, Achaei: τεῦξαν δὲ κλισίας πλεκτὰς, ϛαβάρους (h. e. ϛαυροῖς) ἀραρυίας. et Tryphiod. 139. πῦρ ἴδιον πλεκτῇσιν ἐνὶ κλισίῃσι βαλόντες. ad quem versum loci nostri haud oblitus est doctiss. Northmore. Thraces vero illa nocte ne in talibus quidem tentoriis, sed, vt erant, nuda humo recubabant; πεδοσιβεῖς vt in Rheso 763 sqq. quid? quod totus Troianorum exercitus sub dio noctem agebat, quantum quidem ex Homerica lectione memini. Etiam Rhesi Trag. auctor tantum εὐνὰς Thracum et κοίτας memorat. At Dictys tentoria memorat p. 60, l. 45.

EXCVRSVS XVII

De Troilo.

I, 474 — 478. *Parte alia fugiens amissis Troilus armis, Infelix puer, atque impar congressus Achilli, Fertur equis, curruque haeret resupinus inani, Lora tenens tamen; huic ceruixque comaeque trahuntur Per terram, et versa puluis inscribitur hasta.* Troilus Priami f. (aliis Apollinis. cf. Not. ad Apollod. p. 762) admodum puer, h. e. in prima iuuenta constitutus (*impubem Troilon* Horat. dixit II, 9, 15: *nimium cito Congressse Achillì Troile* Senec. Agam. 747. 748) ab Achille victus. Factum iam ante Iliadis tempora. Nam libro vltimo inter occisos ab Achille filios Priamus Τρώϊλον ἱππιοχάρμην memorat, Iliad. ω, 257. Meminit etiam Quintus Paralip. IV, 155. 419 sqq. inter superiorum temporum res ab Achille gestas; et in hoc praeiuisse auctorem Cypriorum carminum, e Proclo didici. Alii serius et posi Memnonis demum interi-

tum collocasse videntur, vt ex Lycophrone 307 sqq. et Tzetza ad e. l. et in Posthomer. 333 sqq. colligas. Et sic manifeste Dictys qui vulgo fertur IV, 9. Post Hectorem Ausonius Epitaph. 18, qui h. l. expressit. Omnino varie hanc narrationem a priscis poetis tractatam fuisse necesse est. Inprimis tamen infames fuere Achillis amores in Troilum pulcerrimum puerum, vid. Tzetza ibid. et ad e. Canter. Nou. Lect. II, 9, et h. l. Cerda post Seruium: quamquam Tzetza pro solita sua stultitia sponsione certat, Troilum magnum iam natu fuisse. Nata autem sine dubio est ea fabula e poetarum lusibus, qui puerorum amores inprimis Achillis exemplo defendebant; quam ad rem summum illud occisi Patrocli desiderium memorari solebat. Fuere ex eo genere plures, vt Phanocles, cuius Ἔρωτες ἢ Καλοὶ nuper in memoriam reuocati fuere fragmento e Stobaeo a Ruhnkenio V. C. retractato, cf. Notae ad Apollod. p. 532 sqq. Illud mireris, quod iam Lycophron fabulam hanc Troili interpolatam sequutus esse videtur l. l. et Arae auctor carminis, quod inter Simmiae παίγνια habetur. Caeterum Virgilius Troili caedem ita narrat et tractat, vt is cum Achille congressus vulnere accepto curru exciderit, pedibus tamen ita impeditus, vt supinus e curru delapsus ab equis raptaretur (compara Iliad. ζ, 42. 43), cum interea nec hastam nec frena e manibus dimitteret; itaque hasta inuersa per terram tracta sulcos in puluere tractim faciebat. Aliter Dictys l. l. Dares c. 33. Iosephus Iscanus VI, 289 sqq. Tragoediae Troili nomine inscriptae fuere olim Sophoclis, et aliorum. Obseruabimus tandem recentiorum quoque fabularum factum esse Troilum argumentum, Lollii quidem Vrbinatis, et Guidonis de Colonna. Vnde Chaucer duxit suum Troilum et Cressida. Extat quoque ms. Alberti Stadensis carmen elegiacum historiam belli Troiani complexum, Troili nomine inscriptum in bibliotheca ducali Guelpherb.




EXCVRSVS XVIII

De Hectore circa Troiam raptato.

I, 483. *Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros Achilles.* Obſeruatum et hic et ad Homerum iam ab aliis (add. Wernsdorf ad Epit. Iliad. P. M. T. IV, p. 742), Homerum raptati circa Troiam Hectoris non meminiſſe. Ter circa vrbis muros fugit Hector (Iliad. χ, 208), caeſus autem e curru ligatus ſtatim ad naues trahitur, v. Iliad. χ, 399 ſqq., vbi ter quotidie circa Patrocli tumulum raptare eum ſolebat Achilles, Iliad. ω, 14 ſqq. Tractum igitur Hectoris cadauer circa muros aut vni ex Cyclicis aut ex Tragicis deberi puto, qui omnia fere belli Iliaci facta variis modis tractata et ornata pro conſilii ratione ſaepe inflexerant et variauerant. v. Excurſ. ad Aen. II, pr. Fuere autem huius argumenti tragoediae olim plures Aeſchyli, Timeſitheï, Dionyſii Tyranni, Ennii, Ἕκτορος λύτρα inſcriptae, aliorum Πρίαμος, Ἀχιλλεύς. Virgilius tamen inprimis ante oculos habuiſſe videtur Euripidem, quem inter

caeteros ille probauit, Androm. v. 105. 106. Hanc Ennius latinam fecerat, ex eaque hic ipse locus de miserabili Hectoris caede supererat: v. Fragm. Ennii p. 239. Est ex ea vox sonora et splendida *raptauerat* petita. cf. inf. II, 272. Actum est nuper pluribus de raptato Hectore ad Ilium non circa Ilium ad libellum Lechevalerii, qui Descriptio Troadis inscribitur.



EXCVRSVS XIX

De Memnone.

I, 489. *Eoasque acies et nigri Memnonis arma*: Memnonis ad Troiam aduentus, et pugna cum Achille ac caedes, inter res Iliacas post Iliadem celebre argumentum, quod inprimis nobilitauerat *Arctinus Milesius*, cuius *Aethiopis* libris V olim fuit lectitata: Eius argumentum a Procle seruatum e cod. Vatic. datum vid. in *Biblioth. ant. litt. et art.* vnde intelliges, carmen illud initium cepisse ab Penthesileae accessu ad vrbem, atque etiam post Memnonis mortem complexum esse Achillis extrema, ludos funebres ei factos et iudicium armorum inter Vlyssem et Aiacem. Nihil itaque mirum, quod Schol. Pindar. I, 4, 58 Aiacis αὐτοχειρίαν ex illo carmine docet. Etiam in Tabula Iliaca a Fabretto edita Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον adscripta, tamquam ex qua rerum expressarum pars petita sit. Arctinum ad Olymp. IX Suidas, ad IV refert Eusebius Hieronymi MCCLIV, vbi v. Pontac. Scalig.

Vallarſ. item Salmaſ. ad Solin. p. 599. 600 Ryck. de prim. Ital. colon. p. 440. Eidem Ἰλίᾳ Πέρσις tributa, de qua v. Excurſ. I ad lib. II pr. Secundum veteres, quos amiſimus, late deſcribitur Memnonis fatum a Quinto Paralip. lib. II et Dicty IV, 4. VI, 10. et vltimo loco a Tzetza in Poſthom. 212 ſqq. vbi v. Iacobsii nota, qui Sturzium quoque excitat ad Hellanici fragm. p. 149. Multis etiam olim tragoediis fuit celebratus Memnon, Aeſchyli inprimis et Sophoclis, cuius Αἰθίοπες eiusdem argumenti fuiſſe videntur, et, quod probabile ſit, vna eademque cum *Memnone* fabula. Memnonem etiam Homerus ipſe memorauit Odyſſ. δ, 188. vbi Neſtor filium Antilochum ab eo caeſum prodit: eſt ibi Ἠοῦς φαεινῆς ἀγλαὸς υἱός. Et λ, 521 Vlyſſes Neoptolemum praedicat κάλλιστον μετὰ Μέμνονα δῖον. Fuit itaque Memnon pulcerrimus iuuenis. Virgilius tamen *nigrum* appellat. Scilicet Tithoni et Aurorae filius Indos et Aethiopes adduxiſſe fertur, vt Troianis opem ferret: ſiue quod fama acceptum erat, veniſſe Troianis ſocios et auxilia ex terris ad orientem Troadis ſitis, ſiue quod a Cyclicis tota illa narratio fuit illata rebus Troicis. Obſcurior eſt de Memnone fabula, et quae modo ad Aegyptum ſuperiorem, modo ad Aſſyriorum adeo origines reuocetur. Vide a Pocockio congeſta ad Memnonis ſignum illuſtrandum in ruinis Thebarum (*Deſcript. of the Eaſt* Tom. I, p. 101 ſqq. et in Inſcription. ant. graecis p. 80 ſqq. 91 ſqq.). Sed ne poetae abſurda commenti eſſe videantur, hoc ſaltem monebimus, Aſſyriorum imperium videri illo tempore vsque in Aſiam minorem prolatum, atque ex iis finibus, adeoque ex Oriente (hinc *Eoae acies*), non vero ex Aſſyria proprie dicta, potuiſſe fingi vel tradi aliquem Memnonem, Aurorae, Ἠοῦς, filium, copias Troianis adduxiſſe; Indos et Aethiopes poetae vocant; quo nomine omnes ad Orientem ſitos populos, in auſtralibus inprimis plagis, declarabant veteres. Ornata deinde variis modis et amplificata fabula. cf. Pauſan. X, 31 p. 875. Schol. Pind. Nem. 6, 85. 3, 106. add. inf. ad v. 751. Fuit quoque Memnonis ſepulcrum haud longe ab Aeſepo ad ſeptentrio-

nem Troadis finium: Strab. XIII p. 878. C. Confusa tandem cum alio Memnone Aegyptio, *Pha-menopha* apud Paus. I, 42 p. 101, alibi *Amenophis*, f. Amun-no-phi, secundum Iablonsk. de Memnone p. 31. Erat is sol oriens: id quod statua quoque sub orientem solem vocalis declarabat.

EXCVRSVS XIX*

De Amazonibus auxilium Ilio ferentibus.

I, 490. *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet, Aurea subnectens exsertae cingula mammae, Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.* Quae mythi de Amazonibus origines fuerint, incertum est; fuisse tamen fundum aliquem historicum, famam antiquam, multa arguunt. Verum de his disputandi locus hic non est. Vide notata ad Apollod. II, 5, 9. Not. p. 372 sq. Quae cum Virgiliano loco coniuncta sunt, partim e belli Troiani historiis, partim ex Amazonum specie et habitu repetam.

Induxerant Amazones in belli Troiani historias poetae, qui post Homerum scripsere, et in his primo, vt suspicor, loco Arctinus in Aethiopide, quantum ex Proclo colligere licet *(Biblioth. d. a. Litt. P. I. p. 33 Ined.)* quia antiquiore aliqua fama celebratae erant Amazonum irruptiones in Asiam minorem factae, inprimis in Lydiam et Phrygiam; quarum vna in Priami tempora inciderat: Il. γ, 189. Intulere hinc Amazones in heroum tempora et facta Cyclici propter rei nouitatem admodum licenter; memoratae adeo Amazonum pugnae sunt in Argonauticis, Heraclea, Theseide, etiam in Bacchi profectione ad Indos: quae omnia fuere poetarum commenta; at illud, quod in Homero memoratum erat, a fama profectum. Priamus adversus eas arma tulerat; at Penthesilea auxilio Troianis fuit accita. Post eos, qui periere, exponit cyclicorum narrata Quintus lib. I. et pleraque ex eo Tzetza in Posthomericis pr.

Virgilii locus inprimis disertus est in specie et habitu Amazonum reddendo. Satis notae sunt earum *peltae lunatae*. Quod *ex equis* pugnarunt, non attigit. At *mammam nudam* memorat.

Dextra fuit ea mamma, fabulis et arte celebrata; fabulis quidem, quod *exusta* fuisse fertur, arte, quod ea *exerta* est, non exusta, quod visu ingratum respuerat ars. Verum et ipsa res docere potest, dextram fuisse, quae exureretur, ne arcui intendendo et remittendo tumor esset impedimento. Inf. XI, 649. Amazon dicta Camilla est *vnum exerta latus*, quod Silius imitatus lib. II, 79. reddit *dextrum nuda latus*.

De Amazonum specie in priscae artis monumentis obvia, plura nunc in vulgus innotuerunt quam illis annis, cum prioribus vicibus commentabamur in poetam. Neque adeo necesse est, nunc multa commemorare. Attingam tantum potiora, quae iis, quorum studia in ea antiquitatis parte collocata haud fuere, prodesse possunt. Antiquae artis frequens fuit argumentum iam inde a Phidia, sculptum in scuto Mineruae Athenis, Amazonum praelium (Plin. XXXVI, 4, 4) et in basi simulacri Iouis Olympii (Pausan. V, 11. p. 402). In lorica autem seu humili pariete, ante Iouis simulacrum ducto, Penthesilea vulnerata, picta a Panaeno, Phidiae fratre (ibid.). Alia erat Penthesileae pictura Polygnoti Delphis (ibid. X, 31. p. 875 f.) et pugna Thesei cum Amazonibus, picta in Poecile a Micone (ibid. I, 15) Certamen artificum in dedicando ex aere signo in templo Ephesiorum v. ap. Plin. XXXIV, 19 pr. Fuere ii artifices Polycletus, Phidias, Ctesilaus, Cydon et Phradmon. Praeterea Plinius Desilai Amazonem vulneratam, (XXXIV, 19, 15) et Strongylionis Amazonem *euenemon* (ibid. s. 21.) vtramque ex aere, memorat. Debuit Phidiae alia esse Athenis Amazon *hastae innixa*, si vera dixit Lucian. Imagg. 4. Antiquius omnibus enumeratis signum fuit Aristoclis Cydoniatae vltra Ol. XXIX. assurgens aeuo, (Paus. V, 25. p. 445.) Olympiae positum, Herculis cum Amazone equestri pugnantis. Narrata haec sunt eo consi-

lio, vt quam vulgatum artis argumentum hoc fuerit, appareat, vtque recte hoc a Marone inter picturas referri intelligatur. Ex iis monumentis, quae ad noſtra tempora ſeruata ſunt, facile princeps eſt ſignum e marmore, cum titulo: *translata de ſchola Medicorum*, (ἐκ λέσχης) olim in hortis Matthaeiorum, nunc in Muſeo Pio-Clementino (Vol. II, 38) in pulcerrimis habitum; mamma dextra nudata ſtans. Sunt alia in Muſeo Capitolino, alia aliis in locis, praeclara Amazon equeſtris ex aere inter Herculanenſia; ſed ad locum noſtrum facit anaglyphum in Villa Borgheſia apud Winckelmann. (*Monum. ined.* CXXVII.) in quo Penthesileae aduentus ad Priamum exhibetur. Amazonum imagines frequentes ſunt in numis multarum Aſiae vrbium, quae origines ſuas ab Amazonibus repetebant.

EXCVRSVS XX

Dianae et Nympharum choreae.

I, 498 — 503. *Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi Exercet Diana choros, quam mille ſecutae Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram Fert humero, gradiensque deas ſupereminet omnes; Latonae tacitum pertentant gaudia pectus. Talis erat Dido; talem ſe laeta ferebat Per medios.* Expreſſa ſuauiſſima formae Didonis et ſpeciei corporis procerae cum Diana comparatio, cuius ſemina iam in nobiliſſimo illo verſu de Helena Odyſſ. δ, 121. 122 Ἐκ δ' Ἑλένῃ θαλάμοιο θυώδεος ὑψορόφοιο Ἤλυθεν, Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα latent, et Odyſſ. ζ, 101 ſqq. Τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς. Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα, Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἠὲ Ἐρύμανθον Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι, Τῇσιν δ' ἅμα Νύμφαι, κοῦραι Διὸς Αἰγιόχοιο, Ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε Φρένα Λητώ. Πασάων δ' ὕπερ ἦγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, Ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι. Ὣς ἦγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἁδμής. In qua Homerum cum Virgilio contulerunt viri docti, iniquo fere iudicio, cum

modo in singulis partibus haererent, et ex accessoriis rebus vim totius comparationis definirent, modo alterius poetae caeco amore omnem laudem ad eum, contemto altero, traherent. Probus, etiam Pomponio Sabino ad h. l. laudatus, ap. Gell. IX, 9 (cf. Macrob. V Sat. 13 et 14) *nihil quidquam tam improspere Virgilium* ait *ex Homero vertisse* — quem locum ibi vide et expende Grammatici pravum acumen. Nam singula refellere non vacat. Contra Iul. Caes. Scaliger in Poetice V, 3 p. 219 *Virgilianos versus a magistro, Homericos vero a discipulo confectos* ostendere vult. Sed erat summus Vir omnino Homero iniquior. Probum vel Scaligerum exscripserunt vel sequuti sunt plurimi alii, etiam nuper Martorellus (in *gli Euboici secondi Abitatori di Napoli* p. 405). Nobis quidem, vt in aliis, inuenti laudem, quae haud dubie est maior, Homerus, maioris ornatus commendationem habere videtur Virgilius; et esse in vtroque, quod probes, quod mireris. *Choros* egregie substituit Virgilius, cum Homerus *lusum* memoret: παίζεσι, quod, etsi et ipsum de choreis ac saltatione sollenne, vt v. c. Odyss. Θ, 250. 251 (et paullo ante μολπῆ cantus cum saltatione. v. Graeu. Lect. Hesiod. c. 19); vix tamen Homerus, quae eius verba sunt, alia de re quam de incessu et discursitatione venantium cogitare potuit. Variauit itaque Virgilius rem, et multo splendidiorem speciem exhibuit χορευούσας, non discurrentes, Nymphas.

Vituperant tamen in Marone choros Dianae, deae venatrici, tributos, et praeferre hactenus possis Silium, qui in re venatoria substitit in loco e nostro expresso lib. XV, 772 sqq. *Vt, cum venatu saltus exercet opacos Dictynna, et laetae praebet spectacula matri, Aut Pindi nemora excutiens, aut Maenala lustrans, Omnis Naiadum plenis comitata pharetris Turba ruit, striduntque sagittiferi coryti: — exsultat vertice montis Gratam perlustrans oculis Latonia praedam.* aut illam Claudiani R. P. II, 62 — 70, vbi Amazonum *cohors* memoratur. Scilicet non meminere viri docti, cum antiquorum hominum more solennis in solennibus festis et sacrificiis esset saltatio cum

cantu, traductas esse choreas, vt alia vitae humanae gaudia, ad beatam deorum vitam. Ducit chorum Bacchus, ducit Apollo, ducit Diana, Venus. Inprimis autem puellares choreas dederunt veteres Veneri cum Gratiis et Nymphis; quod ex iis in suum carmen deriuauit Horat. I, 4, et Dianae cum Nymphis, v. c. apud Callim. in Dian. 170 sq., vnde eius Nymphae χορήτιδες v. 13. 14. In talibus autem choris haud dubie, quae procerior et pulcrior est corpore, eminet super caeteras. Aliam viam ingressus erat Apelles, qui *Dianam* pinxerat *sacrificantium virginum choro mixtam: quibus viciſſe Homeri versus* videbatur, *id ipsum describentis.* Plin. XXXV, 36, 17. Velim vtique Plinium aut disertius aut subtilius rem exposuisse; si sacra facientes puellae chorum ducebant, non bene intelligitur, quo iure Dianam illis inserere potuerat Apelles: cui enim sacra faciebat dea? aut quomodo sacris seu suis seu alienis interesse illa poterat? Tum quomodo artifex Homeri versus vincere dici potuit *id ipsum describentis!* cum Homerus longe aliam Dianae cum Nymphis ludentis speciem expresserit. Corruptelam in voce *sacrificantium* quaerere cum Lessingio (in *Laocoonte* p. 224) vix ausim, cum nulla adsit ratio critica probabilis. Dubitare licet, sitne *sacrificantium virginum chorus* de choro proprie dicto accipiendus; an *chorus* dictus sit pro turba ac multitudine: vt ap. Ouid. II Met. 441 sqq. *Ecce suo comitata choro Dictynna per altum Maenalon ingrediens* etc. Pinxerat sorte Apelles sacrum Dianae, cui ipsa dea interesse dignata erat; vt ap. Apollon. III, 875 sq. vbi Medea comparatur cum *Diana ad sacrum properante:* incedit illa τηλόθεν ἀντιόωσα πολυκνίσσου ἑκατόμβης.

Eurotam tribuit Dianae Virgilius, Laconicae fluuium, qui *Taygetum montem* alluit, quem Homerus memorauerat. Nec *Cynthus* inepte nominatur, vtpote Deli insulae mons. Magnus numerus Nympharum bene declaratur: *quam mille sequutae Hinc atque hinc glomerantur Oreades.* Nympharum comitatum Latonam circumstantem pulcre etiam Apollon. expressit in loco insigni paullo ante

laudato, et cum hoc comparando III, 875—884: incedit ibi Diana curru vecta Nympharum comitatu stipata, sacro interfutura. Alio inuento Penthesilea inter Amazones eminens cum Luna inter sidera et cum Aurora comparatur a Quinto Smyrnaeo I, 36 sqq., quod proxime accedit ad illud Horatianum: *velut inter ignes Luna minores.* Quod *pharetram fert humero* Diana, otiosum (quamquam vel sic positum, ornaret tamen; cum dea sit ἰοχέαιρα) haberi nequit, siquidem Nymphas *supereminet omnes:* conspicuique adeo sunt humeri deae. Iam hoc quidem ornatius extulisse Homerum, negari nequit: Πασάων δ' ὕπερ ἦγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, Ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι. in quibus inprimis nouissima verba praeclare dicta sunt. Recte itaque ab his abstinuit poeta Romanus. In versu autem 502 cum Homero certasse videri potest: cuius γέγηθε δέ τε Φρένα Λητὼ reddidit: *Latonae tacitum pertentant gaudia pectus;* quod enim Homerus in medio collocauerat, ipse in fine subiecit. Est etiam hoc in artificio magnorum poetarum, vt in fine comparationis adiiciant adiunctum vel factum aliquod, quod illam notionem, ad quam illustrandam tota comparatio erat instituta, inprimis animo audientis infigit. Feliciter illud interdum ab aliorum sensu et opinione ducitur, aut a vi, quam res ad eorum animos et affectus habet. Ita h. l. praeclara Dianae species mirifice declaratur Latonae matris sensu, quae si miratione filiae defixa fuit, quid de aliorum iudicio expectabimus? *Latonae tacitum pertentant gaudia pectus;* exsultat tacite et in sinu gaudet, animaduersa hac filiae suae diuina formae maiestate. Atque hoc decus Virgilius sibi conflauit ex illo, quod temere inter caetera abiectum reperat: γέγηθε δέ τε Φρένα Λητώ. Conf. imitationem Claud. R. P. II, 69 sq. In illis: *gradiensque deas supereminet omnes,* multi certarunt cum Virgilio. Statius I Silu. 2, 115 *Latias, metire, quid vltra Emineat matres, quantum Latonia Nymphas Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exto.* Incessum Aeneae simili modo per Apollinis incessum declaratum videbimus inf. IV, 142 sqq. Iuuat

tandem obſeruare et hoc, poſt alios, niſi fallimur: in forma Didonis deſcribenda vno epitheto defungi poetam: *pulcerrima Dido:* tam parum poeta vlteriore pulcritudinis deſcriptione immorandum ſibi eſſe putabat: nec facile corporis formoſi ſpeciem per partes deſcribere vllus poeta, ſi ſapit, laborabit.

EXCVRSVS XXI

De antiquo Italiae nomine.

I, 530—533. et III, 163—166. *Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt — Oenotri coluere viri; nunc fama, minores Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.* Nomina Italiae omnia a Graecis veniſſe videntur; an inter incolas toti huic terrarum tractui nomen commune impertitum fuerit ac quale, ignorari, aut verius, nullum omnino ab initio fuiſſe, putamus. Ita enim fert rerum hominumque ratio ac mos, vt nomina non imponantur rebus niſi iis aut ab aliis aut inter ſe discernendis; adeoque nec terris ac regionibus impoſita fuere nomina niſi hominum commerciis ſubnatis; vt aut diuerſarum ſtirpium ac gentium ſedes deſignarentur, aut vt accolae ac fines dirimi ac regi poſſent. Inuenta itaque terrarum nomina partim inter tribules ac populares, partim ab aduenis. Prioris generis nomina, id quod ipſa rei ratio credere iubet, ad anguſtos tractus, quos aliqua ſtirps, tribus, vel gens tenebat, ſpectarunt; alia nomina in his ſubſtitere, alia inde latius ad proxima quaeque loca proferri coeperunt. Aliter res ſe habere potuit in nominibus, quae ab aduenis ſeu negotiandi ſeu viſendi cauſſa fines ingreſſis inuenirentur; quippe quae magnum terrarum tractum iam ab initio declarare poſſunt, dummodo, fines aut oram ac littus aut populum tam late protendi, primo ſtatim aditu conſtabat. cf. Exc. II extr. ad lib. VIII. Potuit adeo iſti terrarum tractui, quam Italiam appellamus, initio a certa orae maritimae parte vel loco facto, nomen impoſitum eſſe a Phoenicibus, quod tamen nunc ignoramus. Nomina, quae tenemus, Graecae

fere originis sunt: verum Graeci non nisi exiguos littoris tractus ab initio cognitos habuere. *Saturniae* quidem nomen, quod Dionysius Halic. I, 34 putabat, vix fuit commune ac vulgare, sed est poetarum; etsi primo ad locum aliquem circa Tiberim spectasse dicitur: v. ad lib. VIII Exc. II extr. *Hesperiae* nomen, terram ad occidentem sitam declarans, commune fuit cum Hispania; vt satis appareat, Graecis ex omni Europa primam innotuisse Italiam, nec nisi nauigatione ad vlteriora facta, Iberiam quoque in notitiam venisse. Reliqua Italiae nomina, cum certo agro vel certae regioni, quam primum adierant vel coloniis frequentarant Graeci, essent propria, ad remotiores terras, modo angustius modo latius, tandemque ad totum hunc ab Alpibus procurrentem tractum fuere traducta. *Oenotria* ab initio fuit ager inter Lameticum s. Terinaeum sinum ac Scylacium, qui serioribus temporibus Bruttiorum erat. Appulerunt enim Oenotri Pelasgi in littore hoc Italiae interiore, atque Ausonibus hinc eiectis protulerunt fines suos primum versus Laum fluuium et Metapontum vrbem, mox vsque ad Silarum et Bradanum, forte etiam latius; Dionysius quidem hos ipsos Pelasgos ad Latium progressos Vmbris Siculisque expulsis et cum Aboriginibus permixtos ea loca tenuisse narrat; sed ex opinatione ita statuens; cum non meminisset, alteram Pelasgorum multitudinem in mare Adriaticum euectam aliunde per Vmbriam ad ista loca penetrasse. Propter cognationem tamen sirpis, aut etiam secundum illam Dionysio quoque probatam opinionem, Oenotri totam Italiam obtinuisse dici possunt, et ipsa Italia *Oenotria*, vti a prioribus incolis *Ausonia*, et a Chonibus, Oenotrorum parte, *Chonia*. Accuratius haec, etsi primis lineis, secundum Aristotelem de rep. VII, 10 et Strabonem VI p. 391 comparato Dionysio I, 11 sq. 35 sq. post Cluverium a nobis expositа sunt in *Guthriani* operis *(Allgemeine Weltgeschichte)* recensione T. IV p. 75 sq. et al. Successit *Italiae* nomen, idque paullo serius: *nunc fama*, minores *Italiam dixisse ducis de nomine gentem;* Ergo Troiani saltem belli tempore in Oenotriae locum alterum

Italiae nomen ſucceſſiſſe, audierat Virgilius. Conuenit hoc fere cum eo, quod Dionyſius Halicarnaſſenſis habet, XVII γενεαῖς ſeu aetatibus h. e. 459 annis ante bellum Troianum, Oenotros Italiam acceſſiſſe: etſi hoc coniectura tantum, neque ea ſatis probabili, appoſuiſſe videri debet: cf. Exc. IV ad lib. VII. Add. Commentat. *de fabulis Gr. inter Etruſcos* in Tom. III. *Nou. Comm. Soc. Sc. Gotting.* p. 35. 36. Ipſum *Italiae* nomen ab initio illi parti fuit proprium, intra cuius fines Oenotria principio includebatur, Antiocho Syracuſio teſte apud Strabonem VI, p. 391, et Dionyſ. Halic. I, 34. Ab *Italo*, qui ex regibus poſt Oenotrum gentis conditorem fuit, nomen ductum idem Antiochus tradiderat v. loca laudd. Hellanicus autem Lesbius cum Timaeo ap. Gell. XI, 1 aliisque a *vitulis*, ἰταλοῖς (Leguntur eadem in Apollodoro II, 5, 10, ſed v. Notas p. 400 ſqq.); vtrumque tamen coniecturae potius Graecanicae, quam acceptae a maioribus narrationis fidei, deberi videtur. Saltim hoc ex iisdem locis teneri ſorte poteſt, circa Herculis Thebani demum tempora Italiae nomen inualuiſſe. Omnino ſuper nominis origine multa alia aut commenti ſunt aut tradidere veteres. v. Seru. ad h. l. I, 533. adde his Bocharti ſomnia (*Canaan* I, 33). Siculorum regem appellat Italum etiam Thucydides VI. cf. Cluuer. Ital. I, p. 10 ſqq., qui tamen fruſtra conatur efficere, vt Italiae nomen Latio proprium fuiſſe videatur. Caeterum, quod in Seruianis ad v. 532 lib. I legitur: Oenotria, *vt Varro dicit, ab Oenotro, Sabinorum rege*, videndum eſt, an a ſeriore manu inculcatum ſit. Conſentit enim cum iis, quae a Catone Anniano p. 6 traduntur.

EXCVRSVS XXII

Auro incluſum ebur, marmor, argentum.

I, 588—593. *Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit, Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo Argentum Pariusue lapis circumdatur auro.* Comparationem vulgo male inſtitutam in altera editione deſerue-

ram: recte quoque aduerſus illam disputauit Meierotto V. C. in Dubiis p. 35. Primum conferenda cum h. l. inf. X, 135 ſqq. Homer. Odyſſ. ζ, 229—235. ψ, 156. 162. De ſtatua ex ebore, argento, vel marmore facta vix recte haec accipias; quorſum enim pertinere *τὸ circumdatus* dixeris? nam ad inaurandi artificium multo minus bene hoc referas. Cogitandum ſaltem de ſculptura vel anaglypho. Enimuero accipere praeſtat ſimpliciter de ornamento aliquo vel cimelio, ex ebore, argento, vel marmore facto, quod intra aliam materiam, h. l. aurum, comprehenſum et incluſum eſt, vt ita auri ſplendore repercuſſo interioris materiae candor et nitor tanto clarius effulgeat. Ad ſimilem modum viri diuina oris dignitate ornati ſpecies erat tanto magis inſignis et praeclara, quod *nimbus fulgidus* eum circumdabat. Quod etiam multo magis patet ex altero loco lib. X, 135 ſq. *Qualis gemma micat, fuluum quae diuidit aurum* (auro incluſa) *Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem* Incluſum buxo, *aut Oricia terebintho Lucet* ebur. Aſcanius ſcilicet inter caeteros pugnantes conſpicuus eſt oris nitore et pulcritudine. At Homerus, e quo vterque locus expreſſus, dum Vlyſſem lotum et vnctum noua corporis dignitate enituiſſe declarare vult, ſimpliciter *argentum auro incluſum* memorat, verſibus tamen nitidiſſimis; inprimis ad declarandam notionem τεῦ· τῷ περίχευε χάριν, adhibet illud: Ὡς ὅτε τὶς χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ Ἴδρις — in quo argentum, h. e. ornamentum aliquod et ἄγαλμα, muliebris v. c. ornatus, ex argento, ferruminatione (κολλήσει, συναφῇ), incluſum auro, intelligere in promtu eſt; in quo argenti nitor ac candor inter aurum ſuauius ac viuidius eluceſcit; auri enim rutilantis ſplendore repercuſſo argenti nitor multo magis effloreſcit. Apparet ex his ipſis locis talem argenti aurique in vno opere conſociandi vſum ac morem viguiſſe, et placuiſſe, Homeri ſaltem aetate: Talis erat calathus Helenae ex Aegypto apportatus Odyſſ. δ, 132 τάλαρον Ἀργύρεον· χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα πεπράκτο. Talis erat crater ibid. v. 615. Omnino variis metallis vas vel vtenſile exornandi morem

fuisse declarat v. c. lectus Vlyssis Odyss. ψ, 200. At eboris aurique, inprimis in anaglypho opere, miscendi mos a Graecis Romanisque est frequentatus. cf. Ge. III, 26. Coepit quoque *lignum ebore distingui, mox operiri:* Plin. XVI, 43 s. 84.

EXCVRSVS XXIII

Teucri ad Sidonios accessus.

I, 619 — 626. *Atque equidem Teucrum memini Sidona venire, Finibus expulsum patriis, noua regna petentem Auxilio Beli: genitor tum Belus opimam Vastabat Cyprum et victor ditione tenebat.* Multa cum arte et sagacitate haec ex tragicorum fabulis ad maiorem rei probabilitatem traduxit poeta. Teucer, redux a Troia, a patre Telamone aspere acceptus, siue quod fratrem Aiacem non esset vltus, siue alia de caussa (v. Seru.), neque in insulam Salaminem admissus, sorte Phoebi accepta, profectus, nouam Salaminem in Cypro condidit. Plures fuere huius argumenti tragicae fabulae. Nunc ea de re Helena Eurip. 89 sqq. 144 sqq. est consulenda. Extiterunt sorte etiam lyrica carmina, vnde Horatius I Carm. 7 expressit, nisi is Pacuuium ante oculos habuit. v. Cic. II de Or. 46. Iam Cyprum a Phoenicibus coloniis fuisse frequentatam, atque etiam ditione habitam, vel ipse insulae situs probabile facit. Forte tamen et historiarum monumenta tradiderant, a Tyriis vel Sidoniis, et quidem a Belo aliquo, Cyprum fuisse bello petitam. Paullo tamen licentius in his, iure quidem suo, versatur poeta. Facit Beli, Tyri regis, sedem *Sidonem*, quae tamen, Troianis saltem temporibus, suos reges ipsa habuit (cf. ad *Guthrium* T. I, p. 439). Paridem Sidonem venisse et vrbem euertisse, narratum erat in Cypriis, vt ex fragmento Procli Escurial. didici. Accesserat mox ad Cinyram Palamedes in Cyprum missus ad societatem belli petendam: quod ex eodem, vt suspicor, carmine narratur in Alcidamantis Or. in Palamed. p. 73. Fundus erat Iliad. λ, 20 — 23. Porro *Beli* nomen, tam-

quam mollius, recte praetulit poeta vero nomini, quod pater Elisae et Pygmalionis, Tyri rex, habuit *Mutgonis* vel *Matgeni* ap. Ioseph. in Apion. I, p. 927, *Mettinum*, *Mettem*, *Methrem* appellant alii, v. ad Iustin. XVIII, 4, 3. Adde Seru. ad Aen. I, 343.

EXCVRSVS XXIV

De Ilione.

I, 653. *Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim.* Ilionen inter Priami filias ab Apollodoro et similibus memorari non videas, ab Hygino tamen fab. 243 et 109 ex tragoedia scilicet Graecorum aliqua, quae interiit. Est ibi illa Polymnestori Thracum regi nupta, et ad eam frater Polydorus educandus mittitur. Etiam Pacuuii tragoedia hoc nomine fuit; et Accii *Ilionen* ex Nonio laudari videas, male ab aliis, etiam a Columna, inter Ennianas fabulas commemoratam. Ex ea dictum illud: *Mater te appello* e Cic. Acad. Qu. IV, 27 et Horat. II Serm. 3, 61 notum. adde Seru. ad h. l. et III, 15. Laodicen frustra huc vocat Cerda, de qua v. Quint. Cal. XIII, 544 sqq. Tryphiod. v. 648 et Pausan. X, 26.

EXCVRSVS XXV


I, 716. *Et magnum falsi inpleuit genitoris amorem.* Videamus paullo accuratius de h. l., in quo mihi dissentiendum est a doctiss. Interprete. Nam, quae prima legentis cogitationi occurrat, sententia esse videtur haec, vt Ascanius falsus desiderium patris, a quo absentiam filii impatienter ferente arcessitus erat, primis amplexibus et osculis expleret. Ita *magnum* amorem bene dixit, et *falsus genitor* est elusus, deceptus, vel simpl. cuius verus filius Amor non esset. *Implere amorem*, vt, *dolorem*, *luctum*, bene dicitur; communius *explere*. Burmannus tamen Corradum, qui ita exposuerat, reprehendit, alteramque rationem proponit, vt sit: *partes filii, patrem vehementer*

amantis, bene egit; erga patrem amorem ostendit omnibus numeris ita perfectum, vt is crederet, esse verum filii affectum. Sane *amor genitoris* est etiam amor in genitorem; et vt *impleri officium* dicitur, cui satisfacimus, ita *amor* recte videtur dictus *impleri*, cum debitus amor praestatur. Sed primum toti rationi subesse aliquid coacti ac duri videtur; nec, quorsum *magnus* amor pertineat, dicere in promtu est; et Aeneae desiderium potius erat explendum, cuius omnis in Ascanio cura stabat et animus haerebat. Caeterum Seruius locum obscure interpretatur, nec Donatus vel Pompon. Sab. quidquam iuuant.

EXCVRSVS XXVI

I, 750—753. *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa; Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis; Nunc, quales Diomedis equi; Nunc, quantus Achilles.* Memnonis (de quo vid. Excurs. XIX sup. ad 489) *arma* nec apud Pindarum, nec apud Dictyn et Quintum quidquam habent praecipui. Apud Hesiodum Theog. 984 Memnon χαλκοκορυστὴς, sed hoc simpliciter *armatus*, vt passim alii heroes. Nisi itaque poeta fabulam parum nunc notam sequutus est, nec commentitium est, quod in Seruianis legitur, a Vulcano facta fuisse ei arma; ad barbaricum exercitus Memnonii apparatum, a Troiano more diuersum, referendum est. cf. Dictyn IV, 4 et 5. Quod nisi probare malis, accipienda verba sunt simpliciter, vt sit variata oratio pro vulgari: *multa rogitans — porro super Memnone, et Diomede et Achille.* Similis forma orationis Ecl. VI, 80. 81 *Quo cursu deserta petierit, aut quibus ante Infelix sua tecta superuolitauerit alis*, pro, quomodo ille narrauerit, quemadmodum Philomela primum in solitaria loca fugerit, mox vero, in hirundinem mutata, pristina sua tecta iterum petierit, et circum ea volauerit. Sed, vt in nostro Aeneidis loco rationi propositae non satis confidam, facit primum, quod etiam supra v. 489 *nigri Memnonis arma* memorata singulare quid de armis eius in-

nuere videntur; tum in hoc ipso loco v. 752 *Diomedis equi* subiecti similiter certa aliqua ratione sunt dicti, etsi nec, illi quidnam praecipui habuerint, dicere in promtu est. Si equi sunt currus, quos Sthenelus regebat: Iliad. δ, 366. 367, non memini vlla insigniore laude eos a poeta commendari. Sin equi sunt Rheso caeso abducti: sup. v. 469 sq., ii Rhesi erant dicendi, non Diomedis; qui etiam aliis equis, Aeneae abductis, superbiebat in ludis funebribus Patrocli, Iliad. ψ, 290 sq. Quod Seruius Diomedis equos a Diomedis Thracis equis carniuoris originem ducere dicit, inter Grammaticorum acumina referendum esse videtur. Tandem *quantus Achilles*, quam magnus corporis viribus et animi virtute.





P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER SECVNDVS

ARGVMENTVM

Didonis voluntati morem gerens Aeneas, excidii Troiani seriem narrat; ea est huiusmodi: Graeci decimo belli Troiani anno attritis iam viribus, virtutique diffidentes, ad dolum confugiunt: nocteque ea, quae vrbis incendium antecessit, fugam simulantes, circa Tenedum latitant, relicto in agro Troiano equo ligneo tantae magnitudinis, vt portis vrbis recipi non posset, eius vtero lectissimum quemque procerum includunt. Troiani partim fraude Sinonis impulsi, par-

tim Laocoontis ſupplicio territi, diruta muri parte, equum in arce ſtatuunt 1 — 249. *Nocte intempeſta Graeci a Tenedo profecti, per eam muri ruinam, qua equus erat introductus, vrbem inuadunt. Sinon reſerato equi vtero armatos emittit: omnia ferro flammisque foedantur* — 267. *Aeneas interim ab Hectore in ſomnis admonetur, vt ſibi fuga conſulat, deosque patrios incendio eripiat* — 297. *Ille tamen, honeſtam mortem turpi fugae praeferens, fruſtra in arma ruit: ſatis feliciter primus impetus ſuccedit Troianis, donec Coroebi conſilium ſecuti, ſumtis Graecorum armis, ſuorum telis obruuntur* — 437. *Interea Priami regia oppugnatur, Priamusque ipſe a Pyrrho Achillis filio interficitur* — 558. *Aeneas itaque fruſtra tentatis omnibus, cum iam nihil ſpei reliquum eſſet, ſacra Anchiſae patri committit, eoque in humeros ſuos ſublato, aſſumtisque Aſcanio filio Creuſaque vxore, fugam arripit* — 728. *Graeci a tergo inſequuntur. In eo tumultu Creuſam vxorem amittit: cuius quaerendae cauſſa per totam vrbem oberranti obuia fit vxoris Vmbra, virumque mortis ſuae certiorem facit* — 794: *ipſe ad ſocios reuertitur; quo iam magnus virorum mulierumque numerus confluxerat, eius auſpicium, quocunque terrarum abducere vellet, ſequi paratus.*

Hic et tertius liber Episodium de Troiae excidio Aeneaeque erroribus complectuntur, quod praeclare poeta intexuit, quippe cum Aeneae fatis inprimis coniunctum, et ad admirationem excitandam natura ſua et magna rerum inter homines fama eximie aptum. Quod autem Aeneae narrantis partes tradidit, in eo illud commodi aſſequutus eſt poeta, vt tota narratio habeat maiorem auctoritatem, magisque miſerationem faciat, cum ab eo exponantur res, qui earum *pars magna* fuit ipſe; Delectus porro rerum ita relictus erat poetae, vt proferre tantum ea liceret, quae vel mouent inprimis vel or-

Conticuere omnes, intentique ora tenebant;
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, iubes renouare dolorem;
Troianas vt opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai; quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando

2 *Ab alto est* Medic. Pierii. 3 *renouare iubes regina* Hamb. pr. 4 *opis* Hugen. 5 *ipsa* Franc.

natum admittunt; Tandem ipse audientium confessus post sollennes epulas, et Didonis in Aenea haerentis vultus, habet, quod legentis animum quodammodo afficiat. Noctem ipsam, iam prouectam, habere quoque, quod mentem teneat, putabat Trappius. Est hic liber inter perfectissimas operis partes ipsius poetae iudicio habitus; quippe quem cum quarto et sexto Augusto speciminis loco praelegerit. v. sup. T. I Vita V. c. 12. §. 46 sq. Quem autem ex antiquioribus poetis ante oculos habuerit Virgilius in excidio Troiae exponendo, disputatum est in Excursu ad huius libri princ. scilicet Iliadem paruam cum Euripidis tragoediis.

1. *Intenti ora tenebant*, ornate, erant intenti; habebant vultus et oculos intentos et conuersos in Aeneam. Mox v. 2 *altus* tantum ornat. Et erant tricliniares lecti magnificentiae caussa alti; accedebant puluini.

3. Cf. Odyss. ι, 12 iqq. et η, 241. 242, sed in Virgilio omnia ornatiora; vt v. 4 ornate pro, vt *regnum Troianum euerterint Achiui*, *eruerint* et *Troianas opes* dixit, et *regno* adiecit epitheton, *lamentabile*, quod lamentabile exitium habuit. Eadem expressit Statius suo more Theb. V, 28 sqq.

6 sq. Reluctatur Aeneas narrationemque principio deprecatur: nimium enim sibi animum iri commotum harum calamitatum recordatione, quas ne Achiui quidem, cladis auctores, sine lacrimis narraturi sint; noctem praeterea extremam (cf. Od. λ, 329 sqq.) vix longam narra-

Myrmidonum, Dolopumue, aut duri miles Vlixi,
Temperet a lacrimis! et iam nox humida coelo
Praecipitat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.
Sed, ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et breuiter Troiae ſupremum audire laborem;
Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit;

7 *diri* Goth. tert. *Vlixi.* vulgo *Vlyſſei.* Franc. *Vlixis.* Goth. pr. et tert. et edd. nonnullae *Vlyxei.* At *Vlixi* ſcriptura eſt Medic. Romani aliorumque codd. etiam Priſciani ap. Heinſ. ſcilicet pro *Vlixei;* Sic *Oronti* I, 220. inf. 30 *Achilli.* cf. ad Ecl. VIII, 70. Habet ſcriptura *Vlixes* vel *Vlixeus* auctoritatem codd. (v. ad Ouid. Epp. I, 1) non rationem: nam ex Ὀδυσσεύς ſaltem fieri debuit *Vlyſſeus.* 8 *Temperat* Gud. et Goth. ſec. 10 *Sed cum* Hamb. pr. *Et ſi* Franc. *agnoſcere* Gud. cum aliis vett. ap. Pierium. *cognoſcere tantos* Graeu. in marg. vel *c. tantos.* 12 *luctumque* ſec. Moret. Parrhaſ. et ed. Ven. praeter aliquot codd. Pier. et

tionem ferre — *quorum pars magna fui,* quarum calamitatum magna pars me ipſum attingit, ad me ſpectat. Nam praecedit *miſerrima.* Alias is, qui princeps in rebus agendis eſt, erit *pars rerum. Myrmidones* et *Dolopes* ad Achillem et Neoptolemum eius ſ. ſpectant. vid. Iliad. β, 684. cf. inf. 29. *durus* autem Vlyſſes, vt *ſaeuus* III, 273 (melius h. l. quam, ſi *patiens*). *miles Vlixi,* h. e. Ithacenſium aliquis. Mirum eſt, quod de Achemenide (vide lib. III, 614) hoc accepiſſe Aſinium Pollionem memorant Seruius et Pomponius. Imitatus h. l. Silius II, 650 ſqq.

8. 9. Nox deſcendit in Oceanum, quaſi curſu per medium coelum ab occidente ad orientem facto; inde et ſidera *cadunt,* occidunt. Vid. Excurſ. ad h. l. cf. IV, 351. 352. *Suadent ſidera cadentia* ſomnum elegantius, quam, inuitant ad ſomnum.

11. *Supremum laborem,* cladem, ipſum vrbis excidium. Mox *refugit,* ad formam aoriſti, exquiſite, cum in re, quae per plura momenta durat, etſi vulgari vſu praeſens frequentetur, prae-

Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi,
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas;
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.

Donatum, quod mireris Burmannum probasse, inprimis post Catroeum; nam est vulgare et tenue prae altero, vbi de horrore (h. l. ex recordatione rerum tristium; itaque *luctus*) et auersatione rei ingratae et molestae agitur. Quod proprie de membris vel de sanguine dicitur, ad animum transfertur. *luctus* Carisius habet, notante Pierio. 15 *diuinae* Menag. pr. 16 *factaque* Ven.

teritum tamen non minus locum habeat. Locum expressere alii, v. c. Seneca Agam. 416 sqq. E Ciceronis Phil. XIV expressum versum volebat Muretus Var. Lect. V, 3. Saltem similia sunt: *Refugit animus, P. C. eaque formidat dicere, quae* —

13. *Fatis repulsi:* quoniam fatale erat, non nisi post nouem annos Troiam capi. v. Iliad. β, 313 sqq. 15. 16. De Equo Troiano vid. Excurs. ad h. v. *Instar montis*, ad montis magnitudinem; breuiter magnam imaginem rei animo obiecit, statim ab initio. *Palladis arte*, ὑποθημοσύνησι. — τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ. Odyss. ϑ, 493. *intexunt costas abiete secta*, h. e. trabibus abiegnis, tantum ad declarationem vlteriorem τῷ *aedificant* spectat. *intexunt* simpl. est *texunt*. *Texere* autem de trabibus iunctis et in fabrica e ligno, inprimis nauium, frequens est. v. Cerda. cf. inf. 112.

17. Sparserant famam, equum hunc Palladi esse positum, votis pro reditu susceptis. Hoc, vt poeta, extulit. Seruius *votum* pro participio habet, id est vouisse pro reditu. Ibidem: *Accius in Deiphobo inscriptum dicit: Mineruae donum armipotenti Danai abeuntes dicant.* cf. Hygin. f. 108 et ibi not. Quod hic ex voto equus dicatus dicitur, non repugnat iis, qui ad Palladem placandam exstructum dicunt Quint. XII, 38. 370. In idem etiam consentit Virgil. infra v. 162 sq.

Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri, penitusque cauernas
Ingentis vterumque armato milite conplent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, diues opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis.

18 *dilecta* Gud. a. m. pr. 20 *ingentis* Heins. scripsit cum veterrimis et Prisciano. 21 *Tenedus* Rom. cum al. antiquis ap. Pier. 22 *manerent* Bigot.

18—20. Ductores Danaum *sortiti*, sortitione facta, *includunt huc caeco lateri*, h. e. in latus, h. e. corpus equi occultum, in quo occulti latere poterant, *delecta virorum corpora* exquisite pro, *viros delectos*; hoc idem declaratiue exornauit in iis quae subiicit: *penitusque cauernas milite conplent*. Ornate omnia pro, equo huic includunt delectos viros. Fuerunt autem Vlyssis praecipuae ea in re partes. Odyss. ϑ, 494 Οὐ ποτ' ἐς ἀκρόπολιν, δόλον, ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς, *duxit, fecit, vt duceretur in arcem*. et sic caeteri, vt Quintus XII, 22 sq., apud quem Calchas vates primus fraudis auctor est, modum et rationem fraudis Vlysse subiiciente, at apud Tryphiod. 44 sqq. Helenus Troia profugus. Tandem obseruasse non poeniteat, quam ornate poeta equum extulerit eiusque notionem quam mirifice variauerit; quod iam Seru. ad v. 230 et Cerda ad h. l. monuit, vt *cauernam, vterum, latebras, curuam compagibus aluum* et sic porro.

21—23. *Tenedos* insula, olim *Leucophrys*, agro Troiano praetenta XL stadiis a continente abest. *diues opum* propter incolarum diuitias; nisi ad templum maxime Apollinis Sminthei respicit, quod in insula erat, Iliad. α, 38. Eodem, quod *notissimam* (*fama* poetice ornat) vocat, pertinere puto. nunc tantum *sinus et statio*, h. e. ea vastities in insula facta, vt ea hoc vno nota sit, quod *naues* tempestate iactatae in littorum recessu, quem *sinum* appellat, *stationem*,

Huc se prouecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu.
Panduntur portae; Iuuat ire, et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic saeuus tendebat Achilles;
Classibus hic locus; hic acie certare solebant.

24 *proiecti* Longob. sed est: *huc prouecti condunt se*. In Goth. tert. *condunt* in marg. vel *ponunt*. 25 *Vos et abiisse* ed. Ven. *ventoque petiisse* Menag. pr. et Leid. *abiisse* et *petiisse* etiam in Romano. 26 *soluit longo se* Montalb. *se* deest Moret. sec. *posuit se* Schol. Horat. IV Od. 6, scilicet explicuerat per *posuit luctum*. 27 *ad Dorica c. Desertosque locos, litusque videre relictum* Wittian. 29 *scaeuus* Franc. vt al. *Vlixes* pr. Hamburg. 30 *acie* Heins. e melioribus, inprimis Rom. Medic. Gud. vulgo *acies*, quod praeter codd., inter quos omnes Gothani, Rufinianus de Schem. Lex. p. 33, nec non Pomponius Sabinus agnoscunt. Burmannus vtrumque illustrat. Sed dicendum: *hic acie certare solebant* esse exquisitius adeoque poeta dignius; alterum prosaicum.

etsi *parum tutam*, habeant. Eodem mox spectat *desertum littus*, quo condunt se Achiui. Dubitatum esse video, verene haec et ex natura situque locorum dicta sint. Nunc autem per eos, qui haec loca adierunt, in compertis habeo, ex locis illis, quae Ilii vestigiis assignari solent, *(Bunarbaschi)* Tenedum haud dubie prospici; et esse in eius littore australi stationem nauium, quae earum conspectum oculis ex Ilio prospicientium eripiat.

25 — 30. *Mycenas* pro vulgari, Graeciam. *vento*, vento secundo. *omnis Teucria* sc. *gens*, ait *Seru.*, omnes vtique Troiani. Malim de *regione* accipere. Sic *Dardania*, v. c. 282, pro ipsis Teucris. *soluit se luctu*: exquisitius quam soluere, deponere, finire luctum. *soluere* autem de *luctu* dictum, quoniam dolor, tristitia, moeror, congelare, contrahere, adstringere, vincire, dicuntur. cf. Burm. — 27. *Dorica castra*. Habet hoc a serioribus poetis. Ho-

Pars ſtupet innuptae donum exitiale Mineruae,
Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Siue dolo, ſeu iam Troiae ſic fata ferebant.

32 *Thymoetes* varie corrupta vox in libris. v. ap. Heinſ. et Burm. Sed eſt Θυμοίτης. 33 *inter* Ven. *infra* ſec. Moret. *in arce* qu. Moret. 34 *manebant* pr. Hamb. *parabant* alter. *volebant* Montalb. ſed vide Burm. Trappius, non adeo inelegantis vir iudicii, verſus malebat ſic disponi: *Et molem — Siue dolo — Duci intra*, quod mollius quid habere ipſi videbatur. Recte quidem. Sed, vt nunc eſt, grauior eſt oratio.

merus Achaeos, Argiuos vel Danaos, memorat. *Dorum* nullae fuere opes, niſi poſtquam cum Heraclidis in Peloponneſum deſcenderant, LXXX annis poſt Troiam captam. Porro obſerua poeticum ornatum v. 27. 28 pro, *caſtra deſerta et relicta*. Homerus etiam hoc addit, caſtris ab ipſis Achiuis ſuiſſe ignem ſubiectum, Odyſſ. Θ, 501. Sequitur id Quintus Cal. XII, 331 et 30, Tryphiod. v. 138. 207 ſqq. et caeteri. 30. *claſſibus*, h. e. nauibus in terram ſubductis. cf. Fabrett. ad tab. Iliac. p. 323. *Dolopum* v. ad v. 7. Sequitur autem poeta eos, quos Euſtathius memorat Dolopes Myrmidonibus Achillis accenſos credidiſſe: etſi Il. β, 684 non memorantur. At ſub Pelei ditione Dolopes fuiſſe, quibus Phoenix praeficitur, intelligitur ex Iliad. ι, 480. *tendebat*, tentorium habebat. militare verbum. cf. Cerda. Caeterum comparandus cum poetae verecundia notus Ouidii luſus Epiſt. I, 31 ſqq. *Atque aliquis poſita monſtrat ſera praelia menſa — Hac ibat Simois* etc.

31—34. In *ſtupet — miratur* male argutantur; eſt poetis vtrumque idem, et iungunt talia, modo ad varietatem orationis et copiam, modo ad ornatum vel vim addendam, eadem notione aliter atque aliter expoſita. *innuptae*, epitheton manifeſte expreſſum ex Eurip. Troad. 536 χάριν ἄζυγος (h. e. ἀγάμου, παρθένου), h. l. tantum ornat; ad rem nihil facit. *donum Mineruae*, h. l.

At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent, subiectisue vrere flammis:
Aut terebrare cauas vteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.
Primus ibi ante omnis, magna comitante caterua,

35 *m. s. surgit* sec. Hamb. ex I, 582. pro *menti, cordi* Goth. tert. 37 *iubent* habet codd. et grammaticorum auctoritatem; non minus tamen grauis est fides τῷ *iubet.* v. Heins. Mox legebatur: *subiectisque v. f.* Recte inter Seruiana: — *disiunctiua, quae hic esse debuit,* mox tamen: — *Antiqua tamen exemplaria* ve *habere inueniuntur.* Nec dubito, *ve* esse scribendum: etsi passim viri docti repugnant et *que* disiunctiue poni aiunt. Nam diuersa haud dubie inter se apponuntur. Ita et ἠὲ — ἠὲ Odyss. l. c. 40 *ante alios* aliquot Pieriani. At Goth. alter: *primus ibi iuuenum,* notabilis lectio. Sic enim durum illud, quod τῷ *ante omnes* inhaerere videbatur, sublatum esset; et possit hoc ex glossa irrepsisse videri; iungendum adeo: *iuuenum magna c. caterua.*

quod oblatum Mineruae: *Seru.* etsi serius hoc comperiunt Troiani inf. 183. Sapientius autem Virgilius de equo consilia inire Troianos facit, antequam in arcem deductus erat, quam apud Homerum deducto iam in arcem equo: Odyss. Θ, 504 sqq., e quo loco pleraque hic expressa. *Thymoeten* nominat ex auctoritate Euphorionis, quantum quidem ex Seruio ad h. l. constat: fuit is inter senes Iliad. γ, 146 recensitos. Apud Quintum II, pr. Penthesilea caesa suadet vrbem relinquere. — *arce locari,* puta in templo, tanquam manubias.

35—39. Ornate singula. Capys et quibus melius consilium placebat. *tentare* exquisite pro explorare equi cauitatem. *Vulgus scinditur in studia contraria,* in diuersas partes; additur ad ornatum, *incertum. Capys* videtur esse is, qui mox inter Aeneae comites fuit: sup. I, 183. X, 145.

40. De Laocoonte v. inf. 201 sqq. *primus ante omnes,* quia sequitur, *magna*

Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce;
Et procul, o miſeri, quae tanta inſania, ciues?
Creditis auectos hoſtis? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaum? ſic notus Vlixes?
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui,
Aut haec in noſtros fabricata eſt machina muros,
Inſpectura domos, venturaque deſuper vrbi;
Aut aliquis latet error; Equo ne credite, Teucri.
Quidquid id eſt, timeo Danaos et dona ferentis.
Sic fatus, validis ingentem viribus haſtam

41 *Lauchoon, Laochon, Lachoon, Laucon*, hic et infra, aberrationes codd. *Laucoon* Medic. ſemper. Et v. 230 *Laocounta* Doruill. 42 *infamia* alter Menag. ſollenni varietate. *Burmannus.* 43 *aut illa* Goth. alter et tert. 44 *et ſic* Menag. pr. 45 *hic* ſec. Moret. *incluſo* Wallian. 46 *Aut haec.* Vide an accommodatius ſit: *atque haec.* Nam pro diuerſis haberi nequeunt. 47 *domus* Leid. 48 *nec c.* aliquot. Donati auctoritate a nonnullis male diſtinguitur: *latet error equo; Ne.* v. Heinſ. et Pier. 49 *haec dona* Parrhaſ. 50 *validis contorquet viribus* ſec. Moret.

comitante caterna, quam turbam ille decurſantem *ardens* ira anteuertebat. cf. Burm. *Arx*, Πέργαμος ἄκρα. vnde proſpectus verſus littus.

46. Vt ſit pro turri rotis ſubiectis muro admoueri ſolita, vt demiſſo ponte eſcenſus fiat in murum. — 47. Vt, qui incluſi ſunt, ex ea, tamquam ex turri, ſpeculari vrbem et deſuper ex altiore loco in muros deſilire poſſint. *error* mox pro fraude, exquiſite. 49. H. e. habeo Danaos ſuſpectos etiam, cum vltro offerunt dona.

50. *Validis viribus* pro magnis. Mox ornatiſſime iterum equum ligneum declarat. In *latus* et *aluus*, quae in vnum iuncta, non eſt argutandum. Iunguntur a poetis ſynonyma ſine omni ſubtilitate. Etiam Tryphiod. 61 Ποίει δ' εὐρυτάτης μὲν ἐπὶ πλευρῆς ἀραρυῖαν Γαστέρα. Infra v. 231 *tergum* ponitur. In partium ac formarum ge-

In latus inque feri curuam conpagibus aluum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cauae gemitumque dedere cauernae.
Et, si fata deum, si mens non laeua fuisset,
Impulerat, ferro Argolicas foedare latebras; 55

51 Quantopere vetères Grammatici in *feri* trepidarint, ex lacinia intelligitur, quam Pomponius h. l. ex vett. Scholiis seruauit: FERI, *id est, equi, nam lib. VII,* 489 *ferum appellat ceruum. Apronianus legit* Ferit, pro *percussit curuam aluum in compagibus* (hoc in Cod. Mediceo habetur, quamquam a nemine adhuc notatum). *Alii legunt* Feri, *vt sit ferus, feri, pro equo, vt fera, ferae,* pro *quadrupede. Alii legunt Feri, vt sic sit, id est feram, propter verba similiter cadentia* (vt sit pro *feram curvam aluum)* — Porro *feri c. compaginis a.* MS. Prisciani p. 134 notatum in Collect. Sax. *aluom* Gud. 52 *Intorsit* sec. Rottend. quod defendi possit. *recuso* Reg. a m. pr. et tert. Mentel. cum binis Goth. *recluso* pr. Hamb. et sec. Moret. perperam. 53 *sonitumque* Bigot. ex interpret. *cateruae* Sprot. pro var. lect. quod prima fronte arridere potest, si v. 243 memineris: *utero sonitum quater arma dedere.* Sed nec *gemitus* nec *cauae* respondent. 54 *non coeca* duo Guelpherb. in Collect. Sax. 55 *Impulerant* Hugen. male. *tentare latebras* Hamb. pr. pro var. lect. repetitum, vt Burm. monet, ex v. 38. *aperire* Hamb. sec. *fodere* Goth. tert. ex interpretatione. v. not.

nerumque designatione summam libertatem orationis poeticae indoles ac ratio fert. *ferum* exquisite dixit pro equo, vt docent Lexica et viri docti ad Phaedrum. cf. h. l. Cerda ac Petron. 89, 12. *aluus curua compagibus* h. e. ex compage lignorum curvorum. *sietit tremens,* pro contremuit. *utero recusso,* repercusso. *cauernae* doctius quam cauerna h. e. equus cavus, κοῖλον δόρυ. Odyss. Θ, 507. *gemitus* pro sonitu resultante.

54 sq. *Et — impulerat.* Et sane impulisset Laocoon Troianos, effecisset, vt equi latera refringerent, puta securi impacta etc. et interiora aperirent. Enimuero, *ecce manus iuuenem* etc. *si fata deum non fuissent* h. e. si non fatale fuisset (Αἶσα γὰρ ἦν etc. Odyss. Θ, 511. Quin-

Troiaque nunc ſtares, Pri mique arx alta maneres.
Ecce, manus iuuenem interea poſt terga revinctum
Paſtores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae: qui ſe ignotum venientibus vltro,
Hoc ipſum vt ſtrueret, Troiamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in vtrumque paratus,

56 *ſtaret et maneres*, hoc a m. pr. Medic. ad Seruianam normam: „Si *ſtaret* legeris, *maneres* ſequitur, propter ὁμοιοτέλευτον.“ Etiam alii codd. variant. v. Heinſ. Sed *ſtares — maneres* Romanus, omnes Pier. aliique probi codd. Pomponius Sabinus haec habet: *ſtaret* et *maneret* legit Apronianus. Eſſet tamen hoc altero vulgarius. 57 *manu* Montalb. *iuuenum* duo ap. Burman. cum Ruſiniano edit. Steph. male. 59 *Dardanidem* ſc. regem, ap. Barth. Aduerſ. XII, 2, e quatuor libris. *quis ſe* Seruius, cum ſeptem ap. Heinſ. et Leid. pro var. lect. Goth. tert. a m. pr. pro *quibus*; quod placebat Tollio ad Auſon. p. 566, ſed vulgata lenius decurrit. 60 *vt* deeſt Moret. pr. *inſtrueret* Goth. tert. 61 *fidensque* pr. Moret. *fidens*

tus Cal. Palladem nominat XII, 387). *mens laeua*, ſtultitia Troianorum. v. Ecl. I, 16. Forte tamen melius iunxeris: *mens non laeua* h. e. ſana, ſi fatum et mens ſana fuiſſet. *ſi fata fuiſſent* inf. v. 433. cf. III, 16. *Argolicas latebras*, equus quo latebant Argiui. *foedare*, exquiſite pro lacerare, vt aliis in locis de vulnere, aut mutilato corpore, vt αἰσχύνειν, λωβᾶσθαι, ſed et ſimpl. pro vulnerare: v. inf. III, 241 et ibi not. VII, 575; vnde et cum ea voce iungitur: II, 286. h. l. diffringere et diſſoluere machinae compagem. Ad verbum omnia expreſſa apud Petron. c. 89 v. 20 ſq.

57. De Sinone episodium: v. Excurſ. IV. eum *trahebant*, cum feſtinatione adducebant, vt VI, 753 *Conventus trahit in medios.* Seru.

59—62. Qui ſe iis vltro obtulerat. Reliqua amplificandi et ornandi ſtudio ad-

Seu verſare dolos, ſeu certae occumbere morti.
Vndique viſendi ſtudio Troiana iuuentus
Circumfuſa ruit, certantque inludere capto.
Adcipe nunc Danaum inſidias, et crimine ab vno
Diſce omnis.
Namque, vt conſpectu in medio turbatus, inermis,

animo Romanus. *ad vtrumque* Oudart. v. Burm. quod vulgare foret. 62 *verſare dolo* Longob. Rottend. a m. pr. Sprot. pro diu. ſcriptura. Leid. a m. ſec., quibus adde Seruium. Hoc ita dici poſſe docet Burm., nec de eo dubitatur: quid? quod etiam doctius ita dicitur: *verſare dolis Troianos*, vti, *verſare animum conſiliis, curis* pro, curas animo; vt et Graeci, v. c. quod modo in manu habemus, Tryphiod. 112 Αὐτὰρ ὁ δαιμονίῃσι νόον βαλὼν ἐλίσσων. At h. l. vltima littera a ſequentis voc. initio intercepta eſſe videtur. *certae morti*, quod ipſa ratio monſtrabat, Heinſ. recepit ex Nonio Marcello, Longob. Pierii, Moret. ſec. et Rottend. tert. Vulgo *certe*. Notabilis Pomponii Sabini nota: *certe* aduerbium eſt: ſic legit Apronianus. 64 *certatque* Romanus, Witt. et Parrhaſ., ſed alterum doctius. 65 *Aſpice* Doruill., male. *Accipe* eſt audi, vt ſaepe. *crimen ab v.* ed. Iunt. Habuit idem in ſuo codice Donatus: legitur et in Seruianis. ſed ab interpolatore eſt: *A. n. D. inſidias et crimen; ab vno Diſce omnes.* 67 *in* abeſt a multis codd., etiam Gud.

iecta. *hoc ipſum vt ſtrueret*, ſc. vt adduceretur ad regem. *ſtruere* voc. inſidiarum et doli. v. Cerda. *fidens animi* exquiſitius quam, *animo*; et hoc pro proſaico: animo fidenti; vel fidens, confidens. *verſare dolos*, vt, conſilia, curas, h. e. agitare, h. l. cum adiuncta notione, efficere, ad exitum perducere.

63. 64. Ornatius quam Quintus Cal. XII, 356 ἄλλοθεν ἄλλος Μέσσον ἐκυκλώσαντο περισταδόν. *circumfuſa ruit*, ornate, pro circumfunditur. *certant illudere capto*, h. e. certatim illudunt, contumeliis afficiunt, αἰκίζεσι.

65. *Ab vno crimine diſce omnes*, exquiſite pro vulgari *ex* vnius ſcelere, et h. l. quidem fraude, ex vno exemplo, cognoſce, quales, quam perfidi omnes Danai ſint. Ita ſimpliciter accipio.

Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora poſſunt
Adcipere? aut quid iam miſero mihi denique reſtat?
Cui neque apud Danaos vsquam locus; et ſuper ipſi
Dardanidae infenſi poenas cum ſanguine poſcunt.
Quo gemitu conuerſi animi, conpreſſus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo ſanguine cretus,
Quidue ferat; memoret, quae ſit fiducia capto.
(Ille haec, depoſita tandem formidine, fatur.)

68 *Phrygia circum agmina ſpexit* Moret. pr., quod non de nihilo eſt, iudice Heinſio; eodemque Venetus alludit: *Phrygia circum agmina vidit.* vtrumque tamen interpolatoris eſſe videtur, qui metro conſultum eſſe volebat. Hamb. vn. *Ph. a. circum vidit* ex gloſſa. *ſpexit Ph. a. circum* alter Goth. 69 *quae me tellus* Cuning. ex citat. ap. Quintil. IX, 2. *quaenam nunc tellus* Moret. pr. *poſſent* alter Hamb. 71 *vnquam* edd. Iunt. perpetuo lapſu. *et ſuper*, h. e. praeterea, bene Pier. et Heinſ. ex librorum opt. conſenſu defendunt. Vulgares, *inſuper*. duo Moret. *et inſuper.* 73 *compreſſi* vnus Guelpherb. in Collect. Sax. *compreſſus* Doruill. 75 Interpunctione locus adiuuandus. Male distinguitur: *Quidue ferat memoret*, qua oratione nihil ieiunius poſt *hortamur fari. memorem* alii legunt in Seruianis. *cepto* Zulich. a m. pr., cui Burm. fauere ait VIII, 15 *Quid ſtruat his coeptis.* 76 Verſus hic abeſt a Medic. et Mentel. pr. item a Witt. In Mentel. ſec. Gu-

69. Quorſum confugiam? 71. 72. Et quem, tamquam hoſtem, inſuper ipſi Troiani extremis afficient ſuppliciis. *poenas cum ſanguine*, h. e. vita ipſa, *poſcunt.*

73. *Conuerſi* h. l. mutati. 75. *quae ſit fiducia capto* pro *ei;* num habeat, quod ad veniam impetrandam afferre poſſit. Similis oratio inf. III, 608 ſq. Ex v. 59. 60. 61 ſenſum infert Burm., qua fiducia ſe ipſe captiuitati obtuliſſet. At *fidens animi* ibi alium ſenſum habet.

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque, fatebor

diano, Rottend. pr. Graeu. et Regio ab alia manu eſt ſcriptus. Etiam rationibus eum deturbat ſede Heinſ., quod lib. III, 612 iterum legitur, et quod Sinoni, homini audaci, non conueniat, *depoſita formidine*, et quod v. 107 *Proſequitur pauitans*. Ei accedit Brunck, adde ſimilia apud Cerdam. Enimuero, vt haec ſatis grauia ſunt, ita non minus altera parte ſunt quae moram faciunt: fingit Sinon et hoc, quaſi depoſuerit formidinem; vt v. 67 *turbatus conſtitit*, h. e. qui vellet videri turbatus (*timentem turbatumque oculis* Aen. VIII, 222). Nec h. l. bene abeſſet verſus: nec ita abrupte verba ordiri ſolent loquentes apud noſtrum. Etiam Quintus XII, 365 ὁ δ' ἐνθέμενος φρεσὶ κάρτος, Τοῖάδ' ὑπ' ἐν μέσσοισι δολοφρονέων ἀγόρευσε. Et poteſt caſu verſus in vno apographo omiſſus eſſe. Nam Mediceus, Gudianus, Rottendorphius primus, nec non Menteliani, vnam faciunt familiam, vt multis locis cognouimus. Enimuero ex Pomponii ſcholio, ad h. l. referendo, didici, Apronianum, e cuius recenſione Mediceus Codex eſt, verſum ſuſtuliſſe, quod Virgilii eſſe non putabat: quod ita accipiendum: Mediceum hoc verſu carere, quem ille pro Aproniana lectione habebat. Itaque iudicium grammatici habemus, non auctoritatem criticam. 77 *quidem* Medic. Pierii. v. h. l. Burm. *fuerit quodcunque* Pierius et Heinſius, optimorum codd. et Phaedri, Seruii, Donatique auctoritate defendunt. Vulgo, *fuerint quaecunque*.

77. Haec Sinonis oratio eximio artificio eſt compoſita, quod facile in ſingulis declarabit interpres, vel vnusquisque ſibi lector. A veris incipit dicere et in falſa deſinit, vt bene Seru. Nota enim erant et confeſſa, quae de Palamede et Vlyſſis odiis narrat; verum etiam Calchantis reſponſum; ſed a Tragicis fere ad Polyxenae ſacrificium in Achillis tumulo tractum. Praeterea, vt animi audientium tanto magis capiantur, etiam miſerationem mouet; inprimis v. 137 ſqq., quos ſine motu animi vix perlegas. Videtur haec oratio, niſi ex tragoedia eſt ducta, tota Virgilio deberi. Certe in iis, quos habemus, Quinto Calabro et Tryphiodoro, qui exſcripſere veteres, Quintus quidem propius ad noſtrum, a Sinone ea, quae in fraudem finxerat, ſimpliciter exponuntur. *Cuncta fatebor vera*, vere, *fuerit quodcunque* h. e. quicquid euenerit,

Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. 80
Fando aliquod si forte tuas peruenit ad auris
Belidae nomen Palamedis, et incluta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi

78 *Vera, nec Argolica me iam de* ed. Ven. ab interpolatore, qui *inquit* non ferebat post *fatur*. 79 *ne si* Ven. et ed. Ven. 80 *fingit* Gud. e tribus aliis. *fingat* ed. Ven. *finxit* Goth. tert. *iam vanum et mendacem* Doruill. 81 *aliquod* praeclare Heins., sc. *nomen*, ex optimis codd. Vulgo etiam apud Grammaticos *aliquid*. v. Heins. et Burm. 82 Carisius notat, veteres legisse *Belida*, quomodo Σιμωνίδα et Λεωνίδα pro Λεωνίδου et Σιμωνίδου dicebant, notante Heinsio. In Zulich. pro diu. lect. *Nauplide*. In *Belidae* pro *Naupliadae* prosodia haereo ambiguus inter rationem grammaticam et vsum. Si a *Belus* est, esse debet media breui *Belides*: vt Aeolides, Phylacides. Nec producta illa esse potest, nisi, vbi orta vox fuerit ex *ευς* vel *ης*. v. Etymol. M. in Ἀτρείδης. Aut itaque dicendum, patronymicum h. l. ductum esse a Βηλεύς, quod non occurrit; aut formandum *Beliades*: quod non magis occurrit; etsi sic etiam Danaides a Belo dictae *Belides*, non *Beliades*. Cum igitur et hoc exemplo careat; omnino autem permutationem duorum Naupliorum epitheton illud arguat (v. Exc. IV ad h. l.): statuere malebam, vitium lectioni insidere, et amissa priore syllaba *Belidae* superesse ex vetere lectione *Naupliadae*; hoc etiam Brunck. reposuit. Inter haec tamen non ausim quicquam mouere: nam etiam Statius VI, 291 *Belidae fratres*, et Ouid. Ep. XIV, 73 *surge age, Belide*. Nolo commemorare *Tyrrhidae* inf. VII, 484 a *Tyrrhus*, nam hoc verius *Tyrrheus* legi arbitror. At Ouid. in Ibi v. 503 *Quique Lycurgiden letauit*; huic quid faciemus? Et sunt alia, quae in his variant: vt docte nuper pluribus declarauit Ouwens, eruditus vir, in

mihique exinde acciderit. Bene Seru. *i. e. quicunque me sequatur euentus.*

79. *Hoc primum* sc. verum fatebor. Sic iunge. Reliqua ex Accio in Telepho sumta Macrobio teste Sat. VI, 1 *Nam si a me regnum Fortuna atque opes Eripere quiuit, at virtutem non quiit.*

81—85. *Fando* h. e. narrando, aliorum narratione. Formula exordii etiam apud

Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent; 85
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,

Noctib. Hagan. III, 23, vt in multis duplex forma admissa esse videatur. Haec igitur et similia dicendum est obseruanda esse, non mutanda. Ita et illud, quod male me habuit, Mars *Gradiuus* prima longa a *gradiendo:* Aen. V, 208 *trudes* a *trudendo*, *disertus* a *diserendo*. cf. ad Ge. IV, 355. 84 *qui* vitium est edit. Gotting. *quos* pr. Hamburg. f. *quod*, vt est in Goth. tert., qui porro: *bella vocabat*. 85 *Dimisere* multi h. l. vt alibi, male. v. Heins. et Burm. *nec* c. Goth. tert. 86 *et* deest sec. Hamb.; id quod ipse malim. *et sanguinitate* Parrh. et Ven. Pro declaratiua particula *et* h. l. est habenda, vt coniicere necesse non sit: *vt c. pr.*

alios obuia: v. c. Apollon. II, 1141, vbi Brunck. notavit Ouid. Met. XV, 497. *gloria inclita* adiecto *fama* ornatum est. *Pelasgi* h. l. Achiui, seriorum Graecorum more. Nam Homerus nunquam ita: agnoscit ille tantum Pelasgos in Thessalia Larissam incolentes Iliad. β, 840: porro Pelasgos inter Troianorum socios cum Lelegibus, Cauconibus et aliis: Iliad. κ, 429. *bella vetabat*, dissuadebat bellum et oppugnationem *Troiae*. *demittere neci*, exquisite, ad similitudinem alterius formae: *demittere Orco*, *vmbris*, h. e. ad loca infera, ex Homerico: ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν, vbi v. Clark. *falsa sub proditione;* h. e. sub falso crimine proditionis, vt bene Seru. nam litteras eius ad Priamum datas, sed a se fictas, protulerat Vlysses. *cassum lumine*, priuatum vita, antique et docte. Palamedes hic Nauplii f. *Belides* h. l., quoniam eius auia Amymone, Danai filia, Beli neptis. v. Excurs. ad h. v. Quae ad h. l. illustrandum faciant, possunt fere ex Ouid. Met. XIII, 56—60 peti; nisi quod ibi alia odii caussa.

86. Ita plures apud Homerum comites dati heroibus. Sic Achilli Phoenix, Aiaci Telamonio Teucer. Versus 87 eximii artificii. cf. inf. III, 614 sq. et copiosiorem locum Ouidii Met. III, 583—596. *misit in arma*, h. e. ad bellum. Quod *pater pauper* est, ad amplificationem Homericae similem pertinet;

Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.
Dum ſtabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis: et nos aliquod nomenque decusque
Geſſimus. Inuidia poſtquam pellacis Vlixi

87 *in annis* Witt. *ab armis* Bigot. Idem fere verſus inf. III, 595. 88 *regio incolumis* Goth. tert. a pr. m. *regumque* Heinſ., ſecundum optimos codd. Vulgo *regnumque*. Obſcurior verſus, in quo haeſiſſe quoque acutum iudicem Io. Schraderum e ſchedis intelligo. 89 *Conciliis* Medic. cum melioribus. Alii *Conſiliis*, vt omnes Pieriani, duo ex Goth. Gudian. Mentel. Moret. pr. Sane Regum ſeu Principum de regno deliberantium fuere *conſilia*, et ita proprie deberent dici. Sed poetae videntur id ſequi, quod a vulgari vſu recedit, et ponunt *concilia*. 90 *fallacis* multi codd. ap. Heinſ. et Pierium, quem v., quod eſt vulgare. cf. Bentl. ad Horat. III Carm. 7, 20. *Vlyxi* Heinſ. h. l. vt ſup. v. 7, vbi vide. alii *Vlyxei* vel *Vlyxis*. *infelicis Vlyxis* Zulich. ex VII, 613.

vti aliis in locis, quod *pater dines* eſt; nec in eo argutandum. *primis ab annis*, ab initio belli, bene Burm. poſt Seruium.

88. 89 *Dum ſtabat regno incolumis* Palamedes. Durior oratio: dum erat ipſe incolumis, *regno*, per regnum, h. e. poteſtatem ſeu auctoritatem, quam habebat; aut *dum regnum eius ſtabat, erat, incolume, vt regnum* ſit auctoritas, qua quis *regnare* dicitur, hoc eſt, potens eſſe, opibus valere: nam, vt regnum ſit dignitas regia, multo durius fieret. Eſto ergo: quamdiu ille erat incolumi inter caeteros Achiuorum principes auctoritate, vnde ille quoque *vigebat*, valebat, *in conciliis regum*; etiam ego propter Palamedis cognationem in aliqua dignatione fui habitus. *ſtare* dicuntur, qui florent rebus proſperis, auctoritate, opibus; vt notum. Summa autem Palamedis erat ſapientiae ac conſilii in principum conſeſſibus auctoritas; quippe σοφώτατος ἀνδρῶν, et multarum rerum, etiam litterarum, inuentis clariſſimus. etiam nos *aliquod nomen* ac *decus*, h. e. honorem, *geſſimus*, habuimus.

90—93. *Pellax* Vlyſſes exquiſitius quam fallax, qui in fraudem pellicit. v. Cerda et var. lect. Eſt Homer. πολύ-

(Haud ignota loquor) ſuperis conceſſit ab oris:
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et caſum inſontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens; et me, fors ſi qua tuliſſet,
Si patrios vmquam remeaſſem victor ad Argos,
Promiſi vltorem; et verbis odia aſpera moui.
Hinc mihi prima mali labes; hinc ſemper Vlixes

91 *loquar* vnus Leid. a m. pr. *exceſſit* Longob. *deceſſit* Puget. *disceſſit* Zulich. quae omnia vulgaria ſunt. vulgatam lectionem etiam Donatus agnoſcit. *ab auris* Exc. Burman., ſoliti lapſus. 92 *adſtictans* alii monente Taubmanno. *vita*, eraſa littera *m*, Regius Cod. *luctumque* Franc. a m. pr. 93 *caſu* Venetus. 94 *Nec t. infeliæ* pr. Moret. *et fors me ſi qua* ed. Ven. *fors* multi, vitio ſollenni. 95 *vsquam* duo. *remearem* Sprot. *ad agros* idem, ſec. Hamb. et Ven. *in agros* Leid. et duo pro diu. lect. Malim equidem ita ſcripſiſſe, cum de homine priuato agatur, non de Diomede, cui tale quid conuenientius eſſet: *ſi remeaſſem victor ad Argos.* 96 Lectio, quam Faber ex Seruio ad h. l. exſculpſit et Cuning. recepit, *hinc aſcita mihi labes*, nihili eſt et plane nulla. Nam recentior Grammaticus explicuerat vocabulum *adſcita* rarius, quod in Seruii explicatione occurrit, per vulgare *adſumta*, nullo ad ipſum poetam reſpectu.

μητις. ποικιλομήτης. *ſuperis ab oris*, e vita, ad loca infera. ſup. 85 *Demiſere neci.* v. 92. 93 pulcri verſus. *in tenebris*, incluſus domi, vitatis hominum conuentibus.

96. *Promiſi vltorem*, minatus ſum: vt alibi quoque. v. Seru. h. l. et Burm. *verbis odia aſpera moui* exquiſite pro, Vlyſſis odium exaſperaui, exacerbaui.

97—99. *Prima mali labes* elegantius quam origo vel cauſſa. κακῆ δ' ἄρα οἱ πέλεν ἀρχή Iliad. λ, 603: ſiue vt labes ſerpentis vlceris vel morbi primam maculam et notam denotet, ſiue vt primam compagis ſolutionem, antequam ruina ſit. Explicat Iuſtinus Cerdae laudatus (XVII, 1): *Haec* prima mali labes, *hoc* initium impendentis ruinae *fuit. Criminibus terrere nouis*, eleganter pro crimina noua proferre, eum criminationibus exa-

Criminibus terrere nouis; hinc spargere voces
In volgum ambiguas, et quaerere conscius arma.
Nec requieuit enim, donec Calchante ministro —

Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata reuoluo?
Quidue moror? si omnis vno ordine habetis Achiuos,

99 *In vulgum ambiguam* Sergius in Artem Donati; sed v. Heins. In altero hemistichio etiam Io. Schraderum haesisse, lubens cognoui. 100 *magistro* Goth. alter. Quia in media sententia interpellat se, inepti quidam in MSS. supplerunt: *Hostia tum* (sum) *miser ac sacras reputatus ad aras.* 101 *autem* deest fragm. Moret. et ed. pr. Burm. *sed autem*, vt ap. Plaut. Rud. II, 5, 11. *nequiquam* ap. Macrob., vt passim in MSS. v. Pierium h. l. *ignota reuoluo* ed. Venet. 102 *in ordine* Exc. Burm.

gitare. *et quaerere conscius arma.* Varie haec in Seruio expositа videas; nam e recentioribus nihil proficias. *Arma* esse possunt consilia, quae agitabat Vlysses ad depellendum imminens sibi a Sinone periculum, sic *conscius* sc. periculi imminentis; possunt etiam esse fraudes et insidiae, quas in Sinonem parabat, *conscius*, tacite intra se; aut *conscius* est cum aliis, communicato scilicet cum aliis consilio. Hoc verum videtur, cum statim Calchantem consiliorum socium assumsisse dicatur. *Neque* sane (δὴ, *enim*) *requieuit* etc. *Arma* autem dicta de consiliis et insidiis, fere vt *machinae*, μηχανήματα, μηχαναὶ, τεύχεα. Mox reticere Sinonem summa cum arte, tum, quum maximam expectationem excitasset, facile quisque sentit.

102 — 104. *Vno ordine*, pro vulgari, *vno loco*, Seruius *vno reatu*, et a caussarum classibus vel ordinibus explicationem nimis docte petit. *idque audire sat est.* Varie et hoc exponitur et exponi potest. Placet, *audire id*, esse me vnum ex Achiuis; et ad primam enuntiationis partem refero: *si sat est.* Ad apodosin retulisse videtur Cerda, vt sit, vel

Idque audire fat eſt; iamdudum ſumite poenas.
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.
Tum vero ardemus ſcitari et quaerere cauſſas,
Ignari ſcelerum tantorum artisque Pelasgae.
Profequitur pauitans, et ficto pectore fatur.
Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri, et longo feſſi discedere bello.
Feciſſentque vtinam! ſaepe illos aſpera ponti

104 *Haec I.* Marius Victorinus in Arte Grammat. v. Heinſ. inſ. ad 664. *hoc magno* tres Moret. Menag. pr. Leid. et Schol. Horat., nec displicet; ſcil. vt copula abſit. *Ithacus*, Ἰθακος cum Euripide, v. c. Cyclops v. 103 et aliis. Apud Hom. Ἰθακήσιος. 105 *Dum vero* Leid. *ſcitare* Exc. Burm. *ſcrutari* Goth. ſec., quod vulgare eſſet. 106 *Pelasgi* Excerpta eadem. 108 *voluere* Cariſius p. 193, vbi *ſaepe* pro *aliquoties* explicat *Burm.* 109 *et* abeſt Parrhaſ. *decedere* nonnulli, vt editum a Germano et Cerda. Enimvero aut *decedere* abſolute vix bene diceretur, aut *decedere bello*, vt, *nocti* III Georg. 467, *calori* IV Georg. 23, alium ſenſum daret. Contra *discedere* eſt proprium de exercitu dimiſſo. v. Burm. 110 *et ſaepe* ſec. Rottend. *portum* Montalb. a m. ſec., ſcilicet vt eſſet: *illis a. portum I. hiems.*

haec audire ſatis eſt, nil vt amplius addam neceſſe. Sed *id* et *que* et *audire* pro *audiuiſſe* valde duram orationem efficerent. Manendum adeo in prima interpretatione, quam et Servius agnoſcit. Mox *iamdudum* ita poſitum, vt poſſit per *quam primum* exponi, vt ſaepe. cf. Burm. Vulgo diceremus: iamdudum ſumere debebatis poenas. Verſus 104 illuſtratur ex Iliad. α, 255 Ἦ ῥα νύ γε δὴ σὺν Πριάμοιο, Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κε κεχαροίατο θυμῷ, Εἰ — *Ithacus* pro Ithacius Vlyſſes, vt *Itala gens* et ſimilia. Alias Ἰθακήσιος, *Ithacenſis. mercentur* elegantius quam magno emant.

107. *Ficto pectore*, ad fraudem compoſito animo, h. e. ſubdole et fraudulenter. Mox 108. 9. *moliri fugam* graue vocabulum pro parare, v. ſup. I, 404; et *feſſi longo bello* eleganter adiectum τῷ *discedere*.

Intercluſit hiems, et terruit Auſter euntis.
Praecipue, quum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto ſonuerunt aethere nimbi.
Suſpenſi Eurypylum ſcitatum oracula Phoebi
Mittimus, isque adytis haec triſtia dicta reportat:
Sanguine placaſtis ventos et virgine caeſa,

112 *iam cum* Medic. *cum hic* Doruill. *confectus* pr. Hamb. *contectus* Menag. alter. *conceſtus* Franc. 114 *Eurypilum, Euripilum, Euriphilum* librariorum lapſu. Eſt Εὐρύπυλος. *ſcitatum* defenditur ab Heinſ. et Burm. Plerique codd. *ſcitantem*, etiam Gud. a m. pr. at Medic., inquit Heinſius, probe *ſcitatum*. Sed ne mireris, Gudianum a Mediceo hic diſſidere, tenendum, in Mediceo a prima manu *ſcitantum* eſſe ſcriptum, quod erratum eſſe poteſt ex *ſcitantem*, veriorque adeo haec et eadem doctior lectio, quam et ex Longob. Pierius affert et Seruius exponit. Pomponii memorabilis eſt nota: *ſcitatum*, non *ſi tantum*. Igitur Aproniana, quam ille fere ſequitur, lectio, ac potius correctio, eſt *ſcitatum;* eam exhibent tres Goth. poſt Regium; etiam Cariſius memorat. v. Pierius, et in Seruianis aliquis. Porro *ſcitari* Puget. cum Bigot. et binis Hamburg. pro var. lect., quod graecum eſſet, ſed recte Burmannus monet, graecismum non vbique contra codd. eſſe intrudendum. *ſcitatem* ed. Mediol. *citatum* Zulich. vitioſe. 115 *que* abeſt ab Parrhaſ. *in que* alter Hamb. *ſusque* Montalb. *triſtia dona* pr. Hamb. 116 *placaſti* alter Hamb.

111—113. *Terruit euntes*, ire volentes, (vt Seru.) deterruit, quo minus irent, nauigarent, vt Graeci etiam poetae. Mox 112 *trabes acernae*, ſupra v. 16 ex *abiete*. *contextus* (v. ſup. v. 16). *ſtaret*, eſſet; vt mox *ſonuerunt nimbi*, orti ſunt turbines. Omnia ad ornatiorem orationem ſpectant.

114—119. *Suſpenſi*, ſolliciti, dubii, quid facerent. *Eurypyli* plures; v. Burmann. ad Ouid. Met. XIII, 357: celeberrimus Telephi f., qui Troianis auxilio venit et poetis cyclicis atque etiam tragicis argumentum nobile ſuppeditauerat. De quo late Quint. Cal. VI, 119 ſqq. At h. l. intelligendus is, qui

Quum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica. Volgi quae vox vt venit ad auris:
Obſtupuere animis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor; cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quae ſint ea numina diuom,

118 *animamque Argolicam* alter Hamb. cum Longob. *litandum eſt* Medic. Pierii. 120 *animi* Seruius. Sic et Doruill. cum Gothanis et aliis ſine dubio codd. et edd. nonnullis, quod eſſet vulgare: hoc tamen maluit Heinſ. inf. IX, 123 *Obſtupuere animis Rutuli*. *Obſtipuere* ſcribitur et hic in codd. 121 *parant* Hamb. ſec. *petant* alter Goth. *paret* coni. Viri docti miſc. Obſſ. crit. T. II, p. 86, vt *Apollo* intelligatur; quod haud dubie leniorem iuncturam facit. Receptam tuetur Burm. 122 *Hinc* Sprot. *magno vatem* tres ap. Burm. et tert. Goth. *Calcanta* male ſcribunt librarii. *Calchante* Montalb. 123 *ea munera* pr. Hamb. perpetuo lapſu.

fere apud Homerum occurrit, Euaemonis filius, ex Ormenio Theſſaliae copias ducens. v. Iliad. β, 734 ſqq. *virgine*: expetita victima Iphigenia, ſubſtituta tamen mox cerua. Sed, cum haec fabula poſt Homerum demum adſcita et varie olim tractata fuerit, videntur etiam fuiſſe, qui Agamemnonis filiam vere immolatam traderent. Quod et Lucret. I, 85 ſequitur: *Aulide quo pacto Triuiai virginis aram Iphianaſſai turparunt ſanguine foede* etc. cum *veniſtis*, venire volebatis. *animaque litandum Argolica*, verba cum dilectu, ex religionum formula.

121. *Cui fata parent*, h. e. metuentium, cui *hoc* fatis, h. e. oraculo, deſtinatum ſit, vt mactetur pro victima. Vt *parent* ſc. mortem, ſuppleas, fieri non poteſt, nam *mortem* omitti non potuiſſet. Dictum vti: *quid fata parent;* et, *in quem*. Mox *poſcere* proprium de fatis, oraculis, deorumque voluntate.

123. *Quae ſint ea numina diuum*, quod numen,

Flagitat. Et mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Conposito rumpit vocem, et me destinat arae.
Adsensere omnes; et, quae sibi quisque timebat,

125 *ventura timebant* Hamburg. pr. pro diu. lect., sed v. Burm. *taciti* erasum erat in Gudiano v. eund. *pauidi* coni. Io. Schrader. 126 *bis senos* Bigot. 127 pro *aut* neminem video legere *atque*. 128 *magni* editio Dan. Heins., vitiose, *clamoribus auctus* Zulich. 129 *Compositam* Longob. et Goth. pr. *rupit* Medic. cum maiore librorum parte, etiam ap. Pier. *compositor rupit* Vratislau. *vt me* Goth. tert. 130 *timebant* Gud. a m. pr., non male, vt etiam in Seruianis monitum. *sibi q. parabat* Goth. tert. a m. pr.

h. e. quae voluntas Phoebi et sententia oraculi sit. Recte Seruius: *numina diuum* pro oraculis posuit, id est vt ambiguitatem oraculi interpretetur; et quaerit modo, non quid dicant, nam planum; sed, quis debeat immolari. Nolim Burmannum sequi, qui malebat: quaenam sint tam crudelia numina, quae iterum sanguinem poscant. Nam haec esset et otiosa quaestio, et responsio parum consentanea, v. 129 et 127.

124. *Multi canebant*, vaticinabantur, diuinabant, vt *videbant*, prouidebant; *taciti*, apud se, secum; aut etiam secreto inter se. cf. Burm. 126. *Tectus*, ornate additum, est dissimulans, vt saepe etiam apud Ciceronem; scilicet tamquam qui rem horrendam et in aliorum exitium vertentem eloqui detrectaret. mox *prodere* cum dilecto pro edere, nominare. 129. *Vocem rumpit*, vt ῥήσσει, emittit. Sic saepe Graeci et Latini. v. Burm. et Cerda, qui et illustrant τὸ *destinare*, voc. proprium de damnatis. exquisite etiam *composito* pro *ex* vel *de composito*. Caeterum Calchantis tergi-

Vnius in miseri exitium conuersa tulere.
Iamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et falsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi;
Limosoque lacu per noctem obscurus in vlua
Delitui, dum vela, darent si forte, dedissent.
Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,

132 *Ergo dies* ap. Nonium in *dies*, sed v. Heins. ad Ouid. III Met. 519. *dies infesta* Goth. tert. *parantur* Goth. pr. 134 *leto fateor* tres ap. Burm. *fateor me leto* duo ibid. 135 *lacus* Goth. pr. Sic deb. Limosaque *lacus — vlua*, quod imitatione expressum putare possis a Lucano in noto illo: *Exsul limosa Marius caput abdidit vlua*, II, 70. 136 *dilicui* Menag. alt. *daret* fragm. Moret. *si forte tulisset* alter Hamb., solita variatione in hoc verbo; nisi putes: *si fata tulissent*. Sensum commodum versui subieci interpunctione mutata: vt sit, *dum vela dedissent, si forte darent*. Vulgo legebatur ieiune et incommode; *dum vela darent, si forte dedissent*. Multa argutantur Seruius et Donatus; nihil, quod ad rem faciat. Itaque malebam suspicari, versum imperfectum: *Delitui, dum vela darent*, ab aliena manu male esse suppletum.

versationem adumbrasse videtur ex Iliad. α, 69 sqq.

131. *Conuersa tulere;* exquisite pro *conuerterunt*. 133. *Salsae fruges*, mola salsa, h. e. far tostum contusum sale adsperso. Σπονδάς τ' ἐλοχύτας τε μάλ' ἐσσυμένως ὑπαλύξας Quintus Cal. XII, 375. 134 sq. *Vincula* non sunt vittae, sed, quibus ligatus seruabatur, et ad aram adducebatur, etsi iam vittatus. v. infra 156. Ante aram vero soluta stabat hostia. Multa h. l. argutantur Seru. et Cerda.

137. Sequentia egregie ad miserationem ficta. In quibus respexisse videri potest Iliad. ε, 408. 409. *patriam antiquam*, pristinam. nihil amplius. Omnibus colonis, exsulibus, transfugis prior patria est *antiqua patria*. cf. Cerda. *Ob nostra effugia*, plenius quam exile: ob fugam meam — *piabunt*, h. e. expiabunt, pro punient, vlciscentur, exquisite.

Nec dulcis natos exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad poenas ob noſtra repoſcent
Effugia, et culpam hanc miſerorum morte pia-
bunt.
Quod te, per ſuperos, et conſcia numina veri,
Per, ſi qua eſt, quae reſtet adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides, oro, miſerere laborum
Tantorum; miſerere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miſereſcimus
vltro.

138 Ex Seruianis apparet, fuiſſe olim, qui *duplices* legerent, quia *dulces* leue eſſet et commune epitheton liberorum. Inepte. 139 *fors et p.* Medic. Gud. et Rottend. tert., quibus adde Seruium. vt ſit: *quos forſan etiam illi poenas repoſcent. poſcere* cum duobus accuſatiuis illuſtrat Heinſ., ſed recte monet Burmannus, iis locum eſſe, vbi aliquid poſcimus, quod ille ipſe, a quo poſcitur, dare vel facere poſſit; at filii ipſi Sinonis vice puniendi poſcebantur. *fors et* ortum ex ſcriptura antiqua *at* pro *ad*. Iunxere apud Seruium alii *forſet* pro *forſit*, fors ſit, fortaſſe. Vulgatam habet Pomponius. *Quos illi ad p. forſan* ed. Ven. 140 *refugia* Bigot. 142 *reſtet* ab Heinſ. receptum, quippe elegantius poſt *ſi qua eſt*, ex Medic. a m. ſec. Gudiano ſec. et tert. Rottend. et Menag., adde Goth. tert. Vulgo *reſtat. vnquam* Medic. a m. pr. et alii, vitioſe. 143 *horum m. laborum* Bigot. *malorum* Ven. 144 *miſerere viri* Bigot. 145 *veniam* MS. Petau. ſollenni varietate, ſed bene Burmannus monet, h. l. *veniam* per *vitam* potuiſſe explicari, non facile *vitam* per *veniam*. *vltra* pr. Hamb. pro var. lect. Caeterum poſſit diſtingui ante *vltro;* nec tamen ſatis bene.

141. *Quod*, qua in re, vt ſaepe transitui ſeruit. Seru. propter quod te oro. cf. Burmann. Eſt ex Gr. ὃ pro κατ' ὃ, διʼ ὅ. *conſcia numina veri*, inſpectores ac teſtes, me vera narrare. Mox 143 *fides*, quam hic inclamat, eſt iuſti rectique obſeruantia, h. l. iuris diuini et humanitatis.

145. *His lacrimis*, propter has lacrimas. quod vulgare eſſet, ipſi cum lacrimis narranti. *vltro* eſt libenter, facili promtoque animo. Mox *leuari* eſt laxari proprie, vt

Ipſe viro primus manicas atque arta leuari
Vincla iubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios;
Noſter eris; mihique haec ediſſere vera rogauti.
Quo molem hanc immanis equi ſtatuere? quis auctor?
Quidue petunt? quae religio? aut quae machina belli?
Dixerat. Ille dolis inſtructus et arte Pelasga,
Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas:
Vos, aeterni ignes, et non violabile veſtrum

146 *Ipſe vltro primus* Sprot. *manicas primus* alter Hamb. *alta* Hugen. *arta atque* Graeu. *leuauit* Goth. tert., deberet ſequi: *Vincla ſenex* vel *bonus Priamus*. Pro *ita fatur* Goth. tert. *ad. ſtat*, forte ex *adfatur*. 148 *hic* Leid. et alt. Rottend. *hinc nam* pr. Moret. *hinc obliuiſcere* Bigot. 149 *mihi haec* hiatu relicto Leid. Montalb. alt. Hamb. *mihique hoc* Sprot. *mihique ediſſere* duo aut tres Heinſ. Sed *mihique haec* agnoſcit etiam Donat. ap. Burm. 150 *quid molem* Hugen. *qui* pr. Moret. a m. pr. *hanc* abeſt ſec. Hamb. *ſtrauere* Ald. *quis actor* Hamb. pr. 151 *petant* tres Burm. *petit* Sprot. a m. pr. 153 *exhauſtas* Leid. vnus. *exuſtas* Goth. alter. 154 *veſtrum N.* Specioſiſſima eſt Marklandi bene Burm.; ſed tum poetis omnino de demtis vinculis. Sic et χαλᾶν.

148. *Hinc*, porro, in poſterum, *amiſſos Graios*, quorum vſu et contubernio nunc priuatus eſt, dixit vt liberos, amicos, ſup. 217 ſocios, *amiſſos*, quibus priuati ſumus, exquiſite. 149. Iliad. ν, 384 et aliis locis: Ἀλλ' ἄγε μοὶ τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον. 151. An fuit aliqua religio, qua permoti equum ſtatuerunt? Quid in equo fabricando ſpectarunt? num religionis cauſſa, vt deo alicui conſecrarent, an vt machina bellica eſſet, fabricati ſunt? Mox v. 152 *dolis inſtructus* Homericum κακοῖσι δόλοισι κεκασμένος, περδαλεόφρων Iliad. δ, 339.

154. *Aeterni ignes* vix alii eſſe poſſunt quam ſol, luna et ſidera, de quibus et Seru.

Testor numen, ait; vos arae, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura,

emendatio ad Stat. p. 7 *Vestae N.*, qui etiam praeclare aduocat versus inf. 296. 297. cf. Iortin (*Tracts* Tom. II. p. 465) Firmat eam codex Ge. Fabricii, forte et hoc, quod Sinon, qui iam Troianus ciuis videri volebat, numen Troiae tutelare inuocat. Obstat tamen, quod iam a viris doctis monitum, non *ad vrbem et arcem*, in qua seruabatur sacer ignis, *conuersum*, sed *manibus ad sidera sublatis* haec dicere Sinonem. cf. Burm. 156 *vittaeque, deum q.* ita distinguitur in Mentel. et in Pierii codd., et sic iam olim distinctum Seruii tempore. Placebatque Cerdae ea ratio. Sed *vittae deum* sunt diuinis rebus adhibitae. *et vittaeque* Witt. 157 *secreta* Leid. Hamb. sec. et pro var. lect. alter Leid., quod a Couterio male defensum recte reiecit Burmannus. *reuoluere* Hamb. pr. et Menag. alter.

ac Donatus acceperunt. nam paullo ante: *Sustulit ad sidera palmas.* Iis aeternitatem, numen, et locum in iureiurando tribui, iam satis notum, et docuit Burmann. ad h. l. Etiam *non violabile* bene ad periurii vltionem retulit; per quos nemo impune peierat; minus bene Seruius ἄφθαρτον exprimi putabat. De Penatibus aut Vestae igne, quem etiam Pomponius ad h. l. vocauit, qui Troianorum esse deberet, vix Sinon loqui sine aliqua affectatione potuit, inprimis cum *arae ensesque, quos fugit,* sequantur, qui cum istis nihil commune habebant. cf. var. lect. *Enses*, μάχαιρα, σφαγίς, inuidiose pro singulari.

157. *Sacrata Graiorum iura* sunt, nostro iudicio, ciuitatis ius, saltem ius commune popularium, quod *resoluere* se dicit, vt patriis legibus solutus in ciuitatem Troianam transeat, amplius iam Graecus non sit, sed vnus e Troianis. itaque subiicit: *patriae teneor nec legibus vllis.* In hunc fere sensum, vt a sua quasi patria tamquam familia se abdicet, accipit Donatus. At Seru. et Pomponius ad sacramentum militare referunt, quale scilicet inter Romanos erat, quo ad bellum exiens miles adigebatur. Burmannus multo etiam argutius de conscripto sacrata lege exercitu, qua iurabant se non reditu-

Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus vllis.
Tu modo promissis maneas, seruataque serues
Troia fidem; si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaum, et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inuentor Vlixes,

158 *ac* o. Oudart. *et cuncta* qu. Moret. *et cunctas* Menag. pr., omnes vitiose. 159 *patriae teneor* Leid., meo sensu mollius. *tenear* Heuman. coni., non male; vide tamen Burm. 160 *Dum modo* Wall. *iurataque* tert. Moret. *promissaque* Goth. tert. 161 *si vera rependam* Menag. alter, ex priore loco. *repandam* nonnulli apud Pierium. Sed magnam mercedem pro salute sua persoluit, arcana Graecorum retegendo. 162 *capti* Vratisl. *coepti et* Ven. cf. v. 75. 163 *auxilio* tres Burm., quod vulgare esset. *semper fuit* Bigot. 164 *Titides* libri, vitiose, *scelerumque repertor* Graeu. ex glossa. vid. Burmann.

ros domum nisi victores. Sed *sacrata iura* simpl. pro *ius sacrum; resoluit* ius, qui eo se liberat; quale illud sit, declarat v. 159. Mox 158 debebat sequi: Fas mihi sit ex iusto odio in eos omnia arcana (haec sunt, *si qua tegunt*) proferre. In inuersione agnosces poetam. 160. *Seruata* egregie adiectum, vt, quod *reuelaturus sit*, ad Troianorum salutem pertinere videatur. *si vera feram*, pro vulgari, dicam.

162. Fabulam instruxit Sinon hunc fere in modum: Equum esse donarium Minervae destinatum ad deam placandam, quod Palladium ex eius templo fuerat subreptum. Iram deae fuisse declaratam prodigiis 171—175. Omni iam Troiae capiendae spe sublata, Calchantem monuisse, vt domum redirent, nouisque captis auspiciis Palladium Troiam reueherent nouamque profectionem instituerent — 182. Interea dea videri debuit donario Equi sibi dicato acquiescere. *Fiducia* est eadem quae spes certa; *belli* docte adiectum, de belli exitu, vt et *stetit* pro vulgari, *posita fuit in*. 164 — 170. Palladio rapto fortuna Achiuorum mutata

Fatale adgressi sacrato auellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,
Conripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi diuae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractae vires, auersa deae mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae

165 *egressi* Graeu. *aduellere* Menag. alter pro *abuellere*. 168 *virgineasque* ed. Dan. Heins. *diuas* Menag. alt. *sunt diuae ausi* Ven. et Parrhas. 169 *retro ac s.* Menag. *et retro* duo Burm. *sublata* Hamb. pr. et pro diu. lect. Zulich., sed vindicat vulgatam Nonius in *fluere* et repetitus idem versus Georg. I, 200, vbi pro *fluere, ruere*. Sane, quae retro labuntur, *ruunt* proprio voc., sed *fluere* exquisitius pro hoc ipso *ruere*. Et h. l. poeta non de monte sed de flumine petiisse notionem videri potest. 170 *aduersa* Gud. cum quinque aliis, sollenni varietate.

est. Ornate singula. Diomedes *impius* propter Palladium ablatum. De quo v. inf. Excurs. IV **. 165—168. Grauissime singula — etiam quod *vittas virgineas* deae memorat; nam est nihil aliud quam *deam virginem* (supra *innuptam*) *attingere*, contrectare, manibus impuris. *Vittae* h. l. esse debent in capite Minervae; adeoque erit sine casside: nam, ne vittas signo vel arae iniectas intelligas, vetat epitheton *virgineas*, quod ad ipsam deam spectat. 169. 170. Ornate, vt iam Georg. I, 200. Ex illo tempore spes bona Achiuorum Troiae expugnandae euanuit. *fluere*, diffluere, dilabi. *retro sublapsa referri* pro pedestri, retro ferri, labi, de mole, quae in altum erat euecta. Caeterum ex his inferre liceret, non *vnius ob noxam Aiacis Oilei* sup. 41 succensuisse Mineruam Achiuis. Verum hoc esset argutari in poeta.

171—175. Vnde *Tritonia* Pallas dicta sit, iam veteres ignorarunt. E pluribus, quae memorantur, cassis maxime probabilis est, quod a τρίτω, quod Aeolibus caput est, sit

Luminibus flammae adrectis, salsusque per artus
Sudor iit; terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas;
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis;
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curuis secum auexere carinis.

173 *arreptis* Zulich., vitiose; idem *frementem*. Porro expectabat forte aliquis *parmam* vibrans *hastamque tr.* aut simile quid paullo fortius. Sed sobrie ac pudenter poeta in tali τεραστείᾳ; maluit is deae formam declarare, et satis habuit *trementem* addere, deae signo a terra subsiliente, tamquam prae ira. (Quod in Seruio ad 173 est, *fudor salsus*: „Hoc autem Ennius de Lamis dixit;" leg. *de lacrimis*. Locus esse debuit, qualis Accii in Phoenissis: *Salseis eruorem gutteis lacrimarum laui*. Ex Ennio laudatur apud Macrob. VI, 2 *Neque miserae lauere lacrumae salsum sanguinem*). 177 *Non* Goth. tert. *excindi* multi scribunt etiam ap. Burm.; adde fragm. Vatic. *excidi* Zulich. 178 *Omnia* vulgg. *Numina ni r.* Zulich., ab interpolatione, ex iis, quae sequuntur. 179 *pelago et curuis carinis*, ornate satis, sed forte secundis curis a Virgilio delendum. *et* nusquam deletum video. *auexere* post Pierium debetur Heins. e melioribus codd. petitum. vulgo, *aduexere* (quod tamen et ipsum fragm. Vatic. exhibet), et Voss. vn. cum Goth. tert. *adduxere*, male.

appellata Τριτογένεια, capite Iouis nata. Alii modo ab amne, modo a palude seu Libyae, seu Boeotiae, seu Thessaliae, seu Argolidis ductum nomen esse volunt. *monstra* h. l. ostenta — *arsere coruscae luminibus flammae arrectis*, ornate, oculi Palladii exarsere ira; *lumina arrecta* exquisitius quam erecta; vt semper poeta, v. c. v. 206, *erigere oculos, vultus*, vt contra, *demittere, deiicere*. porro Palladium sudauit, subsiliit clipeo hastaque mota; quibus ipsis eius habitus a poeta declaratur.

176—179. *Tentanda fuga aequora*, ornate, pro reuertendum esse. *Omina*

Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenſo
Improuiſi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio, moniti, pro numine laeſo

180 *Et nunc quae* Menag. pr. Vide an poeta dignior ſit oratio ex mutata interpunctione: *Et nunc, quod — Calchas, Hanc pro Palladio — effigiem ſtatuere.* In medio poſita reliqua, tanquam in parentheſi. 181 *parent* Parrhaſ. *parant ſocios* Goth. tert., non malo lapſu. 182 *aderant* Medic. a pr. m. *omina* bene Heinſ., librorum meliorum conſenſu. vulgo, *omnia*, quod ſane ad intelligendum facilius. Sed v. not. 183 *Et pro n.* Rottend. tert. *numine rapto* Oudart., ſed *laeſo* doctius; nam laeſa dea, quod fuerat rapta.

ni repetant Argis ductum videtur, vt Seruius et Pomponius iam notarunt, ab imperatoribus Romanis, qui ad auſpicia repetenda ac renouanda Romam nonnunquam ex caſtris reuerti ſolebant, ſi v. c. malum omen inciderat. Itaque ſimiliter ſtatuit, eſſe Achiuis Graeciam repetendam, auſpicia ibi inſtauranda, et cum ipſo Palladio auecto, vt reſtituatur in ſedem ſuam, reuertendum.

180. 181. Et nunc quod in Graeciam redierunt, hoc eo pertinet, eo conſilio factum eſt, vt parent — ſed poeta exquiſite medium orationis membrum neglexit. *arma parant*, h. e. opes et copias bellicas inſtaurant, *deos parant comites* factis ſacris placatos. 182. *Ita digerit omina Calchas.* Ita *omina*, (*monſtra* v. 171) h. e. oſtenta, ſimulque eorum procurandorum rationem, *digerit*, ordinat, interpretatur Calchas. Sic Seruius quoque accepiſſe videtur.

183. Interea *moniti*, Calchantis monitu, Palladii vice, quo rapto deae ſibi iram conflauere, ad ſacrilegium expiandum, *hanc effigiem*, hoc equi ſignum, ſtatuerunt; quod quatenus Palladi poni potuerit, quaeſitum eſt Excurſu III ad v. 15. 16. At Sinon rem hunc in modum interpretatur: Achiuos ait hanc fraudem machinatos eſſe, vt Troiani viciſſim ad ſacrilegium committendum pellicerentur, donario Miner-

Effigiem ſtatuere; nefas quae triſte piaret.
Hanc tamen immenſam Calchas adtollere molem
Roboribus textis, coeloque educere, iuſſit:
Ne recipi portis, aut duci in moenia poſſit;
Neu populum antiqua ſub religione tueri.

185 *Hanc adeo* MS. Fabric. cum Mediceo Pierii; niſi hunc eundem Fabricius reſpexit. *tamen* recte, quod vim propriam hic habere, intelliges ex noſtra interpretatione. *immenſum* Goth. tert., ex interpretatione, vt ſit pro immenſe. 187 *Neu recipi* Priſcianus lib. XVII cum codd. aliquot. *in portis* ſec. Moret. *nec duci* primus Moret. *poſſet* Priſcian. ibid. c. Gudiano et al. 188 *Nec* alii. Sed in his varietas MSS. ad faſtidium. *teneri* Priſcian. l. c., vitioſe.

vae violato: quo facto ira deae ab Achiuis in Troianos verteretur. Cum hoc tamen aliud malum metuendum fuiſſe Achiuis, ſi in templo Mineruae in acropoli collocaretur donarium, Equus, pro Palladio; hoc eos cauere voluiſſe donario in tantam magnitudinem exſtructo, ne in vrbem induci poſſet. Quae nunc ſe Troianis prodere velle ait, vt in rem ſuam vertant; nam eo facto deam placatam Troianorum ſtudium tantum eſſe ſuſcepturam, vt non modo vrbem tueatur, verum etiam vice verſa Troiani Achiuos bello ſint petituri. Vides technas ſatis veteratorie inſtructas.

185—188. Quam ornate, ſi ſingula expendas! Ne tamen votiuus hic equus in vrbem inferri, et pro tutela ſtatui poſſit, ad tantam magnitudinem Equum fieri (ad tam ingentem molem, trabibus contextam, extollere et tantam, vt ad coelum pertingere videatur) iuſſit Calchas. Etiam in membrorum ordine et collocatione poetam agnoſcis. *antiqua religione*, h. e. ea, qua ſurreptum Palladium antea coluerant; ne nunc pro Palladio Equus haberetur; quo cultu demerita et propitia reddita Pallas eandem, vt ante, tutelam colenti populo praeſtaret.

Nam, si vestra manus violasset dona Mineruae,
Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Conuertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram adscendisset in vrbem:
Vltro Asiam magno Pelopea ad moenia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis periurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,

190 *excidium* Prisc. ibid. alter Hamb. et Voss. 191 *convertent* Puget. *Phrygiis* Hamb. pr. cum aliquot codd. Pierii et fragm. Vatic. antiquissimo. Burmannus laudat Drakenb. ad Sil. VIII, 243. *Frigibus, Frugibus* male scribitur. 192 *vestris manibus* Parrhas. et Ven. cum Goth. tert. 193 *magnam* Hamb. pr. *Pelopea* Heins., recte, cum Mediceo et Schol. Statii. adde Goth. sec. Vulgo *Polopeia*, quod et ipsum bene scribitur, sed non h. l. *ad Pelopeia* sec. Hamb., interpolate. 194 *in nostros* Witt. *et vestros* Bigot. 196 *coactis* Heinsio acceptum ferendum, qui Medicei optimorumque codd. et Grammaticorum, Seruii inprimis, forte et Donati auctoritatem recte sequutus est. Probat quoque Tyrwhitt. apud Dawes Misc. crit. cum Burgess. V. C. p. 386. Sic et a Pomponio lectum et in fragm. Vatic. Illustrat *lacrimas coactas* Heins. et h. l. eas defendit ipsa rerum ratio ac veritas. Vulgo *coacti*, sicque omnes Pierii.

189 sqq. Melius haec quam apud Tryphiod. 288 sqq., si conferre lubet. 192 — 194. Sin a vobis in vrbem inductus esset equus, Troianos, conuersis fatis, Argos esse bello petituros et excisuros.

195 — 198. Egregium epiphonema, inclusum sententia aliqua inprimisque ad miserationem aptum. *Achilles Lariss*aeus simpl. Thessalus; alias non satis accurate; nam Larissa tum Achilli non parebat, sed Letho; et a Pelasgis habitabatur. v. Iliad. β, 840 sqq. *mille carinae* numero paullo liberius expresso, vt solent poetae. v. Popium ad Iliad. β. Barnes. ad Eurip. Androm. 106. Muncker. ad Hygin. 97 fab. etiam

Quos neque Tydides, nec Lariſſaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.
Hic aliud maius miſeris multoque tremendum
Obiicitur magis, atque inprouida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno ſorte ſacerdos,
Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.

199 *Huc aliud* Donat. *miſeris maius* pr. Hamb. *timendum* idem. vulgata eſt apud Nonium in *tremere*. 200 *Obiicitur monſtrum* Bigot. Sed id iam peti poterat ex 171. *Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris*. Sed *aliud* eſt alia res. *ac impr.* Leid. vn. 201 *Laucoon, Lachoon* in Gothanis; et ſic ſine dubio etiam in aliorum libris fuit. Ita enim fere librarii. v. ſup. 41. cf. ad Petron. 89, v. 19 et 43. Burm. Anthol. lat. lib. I, ep. 110. *Neptuni* Bigot. et a m. pr. Hugen. a ſec. Hamb. pr. Sed alterum doctius. 202 *taurum immenſum* ſec. Hamb. *ingentes m. ad aras* Goth. pr. Porro

Cerdam ad h. l. et Vrſin. nuper quoque Wernsdorf. V. C. P. M. T. IV, p. 645.

199. Sequitur locus de *Laocoonte*, in quo animadvertendum, quam accommodate poeta omnia *ad terrorem* extulerit, quem oſtentum hoc iniicere Troianorum animis debebat. Vide v. 228 ſqq. Vid. Excurſ. V ad h. v.

199. Homericum locum Iliad. β, 305 ſqq., quo Neſtor oſtentum Achiuis Aulide occluſis obiectum memorat, Virgilio ante oculos fuiſſe, coniectura eſt ingenioſi viri, *Herderi* (*Critiſche Wälder* P. I, p. 98 ſqq.). Res ipſae inter ſe ſatis dispares eſſe videntur; formulae tamen, qua orditur vterque narrationem, eſt aliqua ſimilitudo. *obiicitur* eleganter, vt de oſtentis et rebus miris vel inopinatis, pro, *euenit. improuida pectora*, h. e. Troianos, qui tale quid non praeuiderant. Repentinum et inopinatum prodigium, quod adeo tanto magis animos turbat ac percellit. cf. Cerda.

201. 202. *Ductus ſorte.* Siue ex hiſtoriis hoc habuit, interemto enim Neptuni ſacerdote, ex aliis, vt mos erat, ſacerdotibus Laocoon,

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) inmenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus adrecta iubaeque
Sanguineae exſuperant vndas; pars cetera pontum

ſollennis ſacerdos olim iunxere viri docti. v. Pompon. Sabin.; at cf. not. 203 *a Tenedo gemini* Hamb. pr., quod mollius. *geminae — angues* pr. Moret., vt ſolet nonnunquam. Sed vni libro tali in re non parendum. 205 *incumbent* Mentel. 206 *erecta* pr. Hamb. et Bigot., quod vulgare. cf. not. ad 173. *arrepta* Goth. tert., vt ibidem codd. 207 *ſuperant* omnium librorum lectionem eſſe apparet, praeter recentem Venetum Heinſii. Nam Pierius nec ipſe in ſuis codd. aliud inueniſſe videtur, et *ſuperant* etiam in priſcis edd., quas euolui, extare vidi, praeterquam in Iuntinis et Stephan., in quibus vulgaris lectio *exſuperant* comparet, vt ex Aldina adeo primum profecta eſſe videatur. Mireris itaque, cur eam

qui Apollinis Thymbraei erat, ſorte obtingente, Neptuni ſacra curabat, cf. Seru. ex Euphorione; Siue vnum ſacerdotii adipiſcendi modum e pluribus poſuit, vt poeta. Quod autem in his adiunctis paullo copioſior eſt, in eo artem poetae agnoſce; facit enim expectationem. *aras ſollennes* dixit docte, ad quas ſollenne ſacrificium parabatur; vt *ſollennis circus*, in quo ſollennes ludi habentur, Ouid. V Faſt. 597: *ſollennia theatra*, I Art. 133: *campus ſollennis*, Claudian. de VI. Conſ. Hon. 5. Caeterum, quod in primo ſatim laetitiae publicae tumultu de ſacro, Neptuno faciendo, cogitatur, mirum videri poteſt. Videtur hoc Seruio obuerſatum: *mactabat*, inquit, *ſcilicet, vt Graecis mala naufragio prouenirent.* Poteſt tamen ſimplicior ratio reddi, vt ſoluta obſidione inter caeteros deos Neptuno ſacra parata ſint χαριστήρια, et quidem in ipſo littore, vt et ap. Hygin. 135 *vt ſacrum faceret Neptuno ad littus;* et ſic alibi apud Homer. Neptuno ſacra fiunt.

203 — 209. Ornatiſſimus locus. *incumbunt pelago*, praeclare, pro innatant, ſed

Pone legit, sinuantque immensa volumine terga.
Fit sonitus, spumante salo: iamque arua tenebant,
Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Heinsius retinuerit. Sed varianda forte visa oratio propter v. 219 *superant capite et cerulcibus altis. superant undis* nonnulli Pieriani; alterum tamen, *superant undas,* doctius arbitror dictum. 208 *Pone secat* Zulich. a m. sec. *sinuantque* ab Heinsio reuocatum ex Mentel. pr. et aliis pluribus; etiam Pierianis, adde Goth. sec., vt *terga sinuant* absolute dictum sit, pro sinuant se; cuius formae multa exempla ad h. l. congessit. Sic modo *superant,* inf. 229 *insinuat,* 235 *accingunt,* et infinita apud ipsum Virgilium. Vulgo *sinuatque,* etiam in Seru., vt Georg. III, 192 *sinuatque alterna volumina crurum.* 209 *solo* alter Menag. 210 *suffecti* vel *infecti* Zulich., male. *igne* alii multi. v. ad Valer. Fl. I, 821. Burm.

cum significatione magnitudinis. *iubae sanguineae, φόνιαι,* hydrorum, nam hoc genus intelligendum, suluae barbae seu comae. cf. Cerda ad h. l. Ap. Homer. Iliad. β, 308 δράκων δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινός. *exsuperant undas,* eminent supra mare. *legit pontum* egregie de vestigiis inceſſus lenis vel tractus in superficie. *sinuantque immensa volumine terga,* h. e. pars posterior serpentum sinuat se in immensum volumen, spiram. v. V. L.

209 — 211. Etiam haec valde ornata. *arua* pro littore. *suffecti,* h. e. habentes oculos suffusos sanguine, rubentes. Omnino erant ii oculis fulgore rubenti infectis, tinctis. *ora sibila,* vt Ge. III, 421 *colla sibila,* συρίζοντα. *Lingua vibrans* et *lambens,* λιχμῶσα, in praecipuis est ornamentis poeticis, quoties de serpentibus agitur: cf. Hesiod. Θ, 826: Sc. 235. De hoc ipso serpente, de quo noster loquitur, sed minus ornate, Quintus XII, 448 ἑπεσμαράγησε δὲ πόντος Νισσομένων, κυμω δίετατο τοῖδ' ἐΦέροντο, Αἰνὸν λιχμώοντες. Caeterum similia de ingentium draconum allapsu plura sunt poetarum loca (cf. Cerda), vt de draconibus ab Hercule puero et a Cadmo interemtis, comparanda illa quidem non sine fructu, si otio abundes, ita tamen, vt iudicium in cognoscendo

Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt. Et primum parua duorum
Corpora natorum serpens amplexus vterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus;

212 *exanimes* Oudart. *ex agmine* Sprot. *agmine cepto* pr. Moret. a m. pr. *agmine facto* tres ap. Burm., quod scilicet et alibi occurrit. 214 *iam amplexus* Rottend. pr. *complexus* Moret. fragm. *conplexus* Hamb. pr. perpetua variatione. 215 *teneros m. d. artus* Vir doctus (I. Iortinus) coni. in Obss. Misc. Crit. T. I, p. 29. IV, p. 29, quia puerorum corpora. Et ferri sane id possit. Sed poetae aliter placuit. *miseros artus* exquisite pro artus miserorum puerorum.

rerum dilectu, varietate narrationis et suauitate, acuas, non, vt inanem lectionis copiam ostentes ieiunamque inde verborum rerumque similium copiam memoria comprehendas. Ex Virgilio hausere Ouid. IV Met. 688 sqq. et Manil. V, 540, 579 de bellua Andromedam, et Valer. Fl. II, 479 sqq. de bellua Hesionen inuadente; Silius II, 584 sqq. inprimis VI, 149 sqq. de hydro ad Bagradam caeso. Adde Statium VI Theb. 506 sqq. de serpente, qui Archemorum puerum deuorat, et Petron. c. 89. v. 29 sqq. de eodem monstro, de quo noster agit.

212. *Agmine certo*, exquisita latinitate, pro vterque simul destinato in eum lapsu. 215. *Implicat*, circumdat spiris seu nodis ac voluminibus. *morsu depascitur*, ἐπινέμεται, ornate pro, admordet, deuorat (sic poetae, *morsu lacerare, consumere*); nec aliter intelligendus Lycophronis παιδοβρὼς Πέρμης. *tela ferentem*, cum telo in manu appropera rantem. *bis circumdati collo squamea terga*, cum vterque serpens corpus et collum eius, h. e. omnino superiorem corporis partem, tractibus inferioris corporis sui bis circumdedissent, super eius caput eminent, emicant suis capitibus. *bis* ita proprie dictum accipio. At si *collo* proprie dictum habeas, quod *bis* ab vtroque serpente circumdari vix potuit, *bis* esset, binis spiris, seu binorum serpentum spira.

Poſt ipſum, auxilio ſubeuntem ac tela ferentem,
Conripiunt, ſpirisque ligant ingentibus; et iam
Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum
Terga dati, ſuperant capite et ceruicibus altis.
Ille ſimul manibus tendit diuellere nodos,
Perfuſus ſanie vittas atroque veneno;
Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit:
Qualis mugitus, fugit quum ſaucius aram
Taurus, et incertam excuſſit ceruice ſecurim.

216 *auxilium* Moret. ſec. et Hugen. *et tela* Bigot. et Hugen. *tela parantem* fragm. Moret. et Sprot. 217 *collo bis* alter Menag. 219 *collo* vnus Guelpherb. in Collect. Sax. *et crinibus* Voſſ. *alte* Goth. ſec. *capite et ceruicibus altis.* quod debebat eſſe *capitibus et ceruicibus* ſuis. 220 *deuellere* Mentel. pr. et Moret. pr. cum aliis vett. ap. Pierium. 221 *perfuſas* aliquot ap. Burm. *ſaniae* Gud. et Voſſ. 223 *Qualis* Grammaticorum et Codicum auctoritate recepit Heinſ. Vulgo *quales.* Eſt tamen et *qualis* de plurali accipiendum. *mugitus veluti* ap. Macrob. II Sat. 5, at idem lib. VI, 13 *Qualis m.* Apud Lactant. de M. Perſec. 33 vitioſe laudatur: *quales mugitus fingit ſaucius taurus. aram* Heinſ. ex libris, poſt Pierium, probauit. Vulgo *aras.* 224 *ſecurim* per *i* Virgilium ſcripſiſſe, Probi Valerii teſtimonio conſtat apud Gell. XIII, 20.

220—224. Pro ſerpentibus docte *nodos* ponit; et egregie ad horrorem facit v. 221, quod *vittas,* infulas ſacerdotis, narrat. *Clamores:* ſuper his v. Excurſ. ad h. v.; ſunt autem praeclare comparati ad terrorem animis iniiciendum. *incertam ſecurim* non ſatis certo et valido ictu depreſſam. Imitationem Senecae Agam. 777 *ceruice taurus vulnus incertum ferens* laudat Burm. Adde aliam apud Silium V, 64. 65. Sapienter autem boue non quacunque, ſed, vt dignitatem res haberet, boue victima in comparatione vſus eſt; quod iam in ſacro Neptuni Heliconii fecerat Homerus loco, quem noſter ante oculos habuit Iliad. υ, 403 — 405. Male comparant Iliad. ρ, 520 ſqq.

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſaeuaeque petunt Tritonidis arcem;
Sub pedibusque deae clipeique ſub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta nouus per pectora cunctis
Inſinuat pauor; et ſcelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt, ſacrum qui cuſpide robur
Laeſerit, et tergo ſceleratam intorſerit haſtam.
Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandaque diuae

225 *lapſi* alter Hamb., ſed vid. not. 226 *Diffugiunt* alter Hamb. in Collect. Sax. *Tritonidos* ap. Macrob. IV Sat. 4, et edd. Fabric. et Cuning. 227 *clypei ſub* Franc. 228 *trema facta* Reg. 229 *expandiſſe* Menag. pr. v. Burm. *inſinuat* v. ad 208. 230 *ſacrum quia* pr. Moret. *qui ſacrum* Puget. 231 *torſerit* Zulich. 232 *ſedem* Zulich. a m. pr. *ſedis* pr. Moret. *horrendaque* Franc. a m. pr.

225 — 227. *Lapſu effugiunt* ornate pro labuntur, ſerpunt; ne *lapſu* nude ſtare putes. *delubra ad ſumma*, Mineruae templum in arce ſumma. Minerua h. l. *ſaeua*, irata Troianis. At Palladium ex arce abreptum ſupra vidimus, v. 164: vnde ergo h. l. Palladis ſignum? dicendum ſcilicet, fuiſſe aliud ac diuerſum ab illo arcanae religionis Palladio. cf. Excurſ. IX extr. ad II, 293. *ſub pedibus*, h. e. inter pedes, et poſt clipeum. Egregie hoc a poeta adumbratum ex eo, quod Palladis ſigna (ξόανα) interdum draconem pedibus adporrectum habent: vt in ipſo illo praeſtantiſſimo Phidiae ſigno in arce Athenarum. v. Pauſ. I, 24. Illud tamen ſatis portentoſum, quod a mari per campum Troianum ad vrbem et arcem hydri ſe voluendo peruenerunt. Modeſtius, quod Il. υ, 147. bellua marina (τὸ κῆτος) perſequitur Herculem a littore in planitiem ἀπ' ἠιόνος πεδίονδε.

228 — 232. *Scelus expendiſſe*, exquiſite, poenas meritas pro ſcelere, ſacrilegio, in equum, Mineruae donum, commiſſo. *tergum*, v. ſup. ad v. 50, vbi *latus* et *aluum* dixerat. At variauit vt poeta; et patet *tergum* latius.

Numina conclamant.
Diuidimus muros, et moenia pandimus vrbis.
Adcingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subiiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae

233 *conclamat* tert. Mentel. a m. pr. 234 *diffidimus* Schol. Cruqu. Horat. III Od. 16 ad v. 13 *diffidit vrbium portas Vir Macedo*. At vulgata retinenda non modo propter librorum consensum, sed et quod doctior et exquisitior est. cf. Markland. ad Stat. I Silu. I, 10 *Hunc neque discissis cepissent Pergama muris*, quo in loco, ex Virgilio expresso, Marklandi emendationem *diuisis* non bene spernit Burm. ad h. l. 235 *operi omnes* alter Hamb. cum Goth. tert. *stuppea* scribunt optimi. 236 *subiciunt* multi, veteri ac sollenni more in talibus, vt *obicit, obicitur*. 238 *pueri circum* Heins. ex optimis codd. Vulgo *circum pueri*.

ad sedes, deae, h. e. templum, quod in arce erat. *simulacrum*. Homericum μεγ' ἄγαλμα θεῶν θελκτήριον Od. Θ, 509. *orandaque diuae Numina*, numen eius exorandum, placandum.

234—236. *Diuidimus muros*, exquisite pro dissoluere et dirumpere, vt aditus fiat, aut vt h. l. latius pateat; nam de porta Scaea agitur, a qua non longe stabat equus; ἐν πύλαις, vt Eurip. Troad. 521. *moenia* h. l. proprio significatu, vt aedificia intra muros sint. v. Burm. h. l. et Lexica. *accingunt* se, v. var. lect. ad v. 208. *rotarum lapsus* egregie pro simplici, *rotas*, quae *labentes* dicuntur poetis, quando voluuntur — sic et *intendunt* exquisitius, quam illigant, innectunt. cf. IV, 506. In *collo* noli argutari: cum fune ex eo nexo trahi equus vix commode posset. Intellige simpl. funem ex anteriore parte aptum. Occurrit aspectus in anaglyphis. Caeterum poetam, saltem 238. 9. ad thensas Romanorum suorum sacramque pompam respexisse non improbabile est.

237—240. *Scandit muros*, h. e. transcendit, maior imago quam si portam *intrat*, quae, murorum impositorum et attingentium

Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediaeque minans inlabitur vrbi.
O patria, o diuum domus Ilium, et incluta bello
Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit, atque vtero sonitum quater arma dedere.

241 *Ilion inclyta* nonnulli libri et Prisc. ap. Heins. *Ilion et* duo Burm. cum Goth. sec. 242 *ipse* Ven. v. Burm. *limine poste* Exc. Burm.

parte deiecta, erat latior facta, conf. inf. VI, 514. 515, et *machina fatalis*, exitium fatale Troianis afferens, et *feta armis*, plena armatis viris; vt iam ἐγκύμον' ἵππον τευχέων apud Eurip. Troad. 11, h. e. ἔνοπλος, vt ibid. v. 520: supra 20 *vterum* dixerat. *grauis* inf. VI, 515 *et armatum peditem grauis attulit aluo*. Locus autem ex Ennianis expressus apud Macrob. VI, 2 *nam maximo Saltu superauit grauidus armateis equus — Qui suo partu ardua perdat Pergama. Sacra canunt* h. e. hymnos, vt bene Seru.; scilicet quemadmodum alias apud poetas, *canere dulce, ferale*. Hic, et in toto loco, manifesta Euripidei chori vestigia Troad. 522 sqq. *mediae vrbi*, omnia media dicuntur post initia, adeoque tota vrbs intra muros; etsi vtique per mediam vrbem ad arcem ductus est equus, vt Palladis in templo collocaretur. cf. Eurip. l. c. 540, 1 et Odyss. ϑ, 504. *minans* simpl. ad altitudinem ref. Nam, quae altitudine sua super caetera eminent, minari iis dicuntur. cf. Aen. IV, 88 et Seru. Melius autem iungitur *illabitur vrbi mediae, minans;* quam *minans mediae vrbi*, quod tenuius.

241 — 243. *diuum domus*, incertum esse potest, quo sensu dixerit poeta. Proprie tamen vrbs ita appellari debet propter augusta templa et religiones; et ex persona pii Aeneae haec acceptio est conuenientissima. Sic et in numo ap. Eckhel. V. C. Numi vet. anecd. p. 170 vrbs Germanicopolis Paphlag. dicta est ἑστία θεῶν· vt et de aliis vrbibus dictum meminimus. Caeterum v. 241 totus En-

Inſtamus tamen inmemores caecique furore,
Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, dei iuſſu non vmquam credita Teucris.
Nos delubra deum miſeri, quibus vltimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per vrbem.

247 Male ab aliis ad antec. referri *dei iuſſu*, monet Burm. *iuſſo* Oblongus Pierianus. 249 *per vrbes* alter Hamb.

nianus eſſe fertur apud Servium. Scilicet in verbis: *O pater, o patria, o Priami domus.* v. inf. ad 502. Vs. 242. 243 ad omina pertinent, quae putide exſequitur Quintus Cal. XII, v. 491 ſqq. Expreſſa e noſtro eſſe Senecae Agam. v. 626 ſq., iam Cerda monuit. *Sonitum* plus quam tragice declarat Eurip. Troad. 519. ἵππου — οὐράνια βρέμοντα. *ad coelum frementem*, ſonantem, dum trahebatur. Videtur totus locus Maroni ante oculos fuiſſe; eſt certe chorus comparandus.

244. *Inſtamus tamen.* Quintus Cal. XII, 419 οἱ δ' ἅμα πάντες Ἴλιον ἐπιβρίσαντες etc. *immemores* h. l. improuidi, incogitantes (cf. eund. v. 512 ſqq.), quippe quos monuerant dii tali omine, nec tamen Troiani eorum monitum intellexere. *monſtrum infelix* praeclare de Equo portentoſae magnitudinis, qui exitium vrbi erat allaturus. Sic Ciceroni *fatale prodigium portentumque* pro pernicioſo homine.

246. 247. De Caſſandra vate, cui ne nunc quidem creditum et fides habita, copioſius Quintus Cal. XII, 516 ſqq. Tryphiod. v. 346 ſqq. Tzetza Poſthom. p. 168 in Tab. Iliaca n. 99, in qua Priamus eam retrahere videtur. *dei iuſſu*, Apollinis: cuius amores illa eluſerat. res nota. Adi vel Seruium h. l. *tunc etiam* int. pro *etiam tunc.* alias languet.

248. 249. *Velare* proprium hac in re, ſuſpenſis ſuper templorum poſtibus coronis ac ſertis, etiam frondibus, infulisque. Traduxit aliis locis poeta ad quodcunque co-

Vertitur interea coelum, et ruit oceano Nox,
Inuoluens vmbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per moenia Teucri
Conticuere; sopor fessos conplectitur artus.
Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat
A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae,

253 *amplectitur* tres ap. Burm. 254 *At iam* sec. Moret. *falanx, phalans,* male in libris. *ibant* aliquot ap. Pierium cum Donato, et probat Heinsius. 255 *tacite* duo Goth.

ronandi genus, etiam victimarum vel sacerdotum, supplicum quoque, sola corona vel insula ac vitta.

250—253. *Vertitur coelum.* Circumacto coelo (ad oculorum fraudem iudicio facto, quasi hoc singulis noctibus fiat: v. Excurs. II ad hunc librum). *ruit* exquisite pro venit, surgit. *vmbra magna,* v. ad Georg. II, 338. *Myrmidonum dolos,* quam ingeniose adiectum et vere tamen! *per moenia* nunc est per vrbem dispersi. *sopor fessos complectitur artus.* Non moratur poeta in comissationibus Troianorum, quas adtingit tantum v. 265. At vide ineptias Quinti Cal. XIII pr.

254. 255. *Phalanx* docte pro classe. *tacitae per amica silentia Lunae* ornate pro noctu. *Silentia noctis* saepe apud poetas; eadem *tacita, silens, taciturna.* Nunc Virgilius *silentia* ad *Lunam* transtulit; quod magis etiam poeticum; cumque *silentia Lunae* per se dici recte possint pro *nocte,* sine Luna fulgeat sine lateat; poeta tamen versu 340 *oblati per Lunam,* satis declarasse videtur, se *lunam* cum ratione posuisse, adoptata eorum opinione, qui Troiam plenilunio excisam tradiderant. v. laudd. a Burmanno, inprimis vero Vet. Schol. Euripideae Hecub. 913 et Petron. 89, 54. 55. Praeclare de h. l. egit Burm. Nihil expedierat cum aliis Parrhas. Quaes. per epist. I. Sunt sane etiam *silentia maris et ventorum,* et possunt illa cum silentio noctis coniuncta esse; de his tamen poeta nunc nihil memorauit. *amica*

Litora nota petens: flammas quum regia puppis
Extulerat; fatisque deum defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus; laetique cavo se robore promunt

256 *flammas tum* pr. Moret. 257 *fatis diuum* Zulich. quod malim; nam copula parum commode interposita est. *fatisque dei* Gud. pro diu. lect. v. Burm. 258 *Danaos utero* Puget. 259 Post *Sinon* finita priore sententia nouam ordiendam puto. *Laxat claustra Sinon. Illos p. — Epeos. Inuadunt urbem* etc. Vulgata distinctio parum commoda. Mox post *promunt* interpunct. mutaui. Porro *Laxat castra* e nonnullis Heins. laudat Burm. ad Petron. 89, v. 7. 260 *cauo se r. promunt* maior librorum pars; et sic proprie hac in re dicitur. Enimuero Longob. Pierii, quem etiam Ge. Fabricius respicere videtur, *produnt* habet; quod sane exquisitius, *se prodere*. Itaque Heinsio illud probatum ad Claudian. IV Cons. Honor. 643, et Ouid. V Fast. 508. *promit* fragm. Moret. *cauo de r. promunt* Leid. cum Goth. tert. a m. sec.

silentia, grata et fauentia insidiis Achiuorum.

256. Fax sublata, signum profectionis, e naui praetoria; nunc reditus versus littus Troianum. v. Excurs. VIII. 257. *fatisque deum defensus iniquis: fata deum* ex more. Nam modo fatis ipsi dii tenentur; modo deorum, inprimis Iouis voluntate, constituuntur, et pro *diis iniquis* fata iniqua dixit, sc. Troianis infesta. *defensus*, seruatus Sinon a Troianis. 258. *Danaos et claustra* (in latere fores) *laxat*, solito more, vno verbo duobus nominibus accommodato, proprie diuersis; aperit et Danaos emittit. ἐκλύσας apud Lycophr. 343, quod Brunck. ad Apollon. I, 955 e cod. restituit, pro illustratione esse potest: γαστρὸς ἐκλύσας ζυγὰ, est *soluta alui compage*.

259 — 264. De his equo inclusis vid. Excurs. III ad h. lib. *se promunt*, prodeunt. ἱππόθεν ἐκχύμενοι, κοῖλον λόχον ἐκπρολιπόντες Odyss. Θ, 515. *Thessandrus*, seu verius Thessander, Polynicis

Theſſandrus Sthenelusque duces, et dirus Vlixes,
Demiſſum lapſi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipſe doli fabricator Epeos.

261 *Tiſandrus, Theſandrus, Therſandrus* in libris ſcribitur et in edd. hic et alibi. In Graecis eſt Θέρσανδρος, vt ap. Pind. Ol. 2, 76. Apollod. III, 7, 2. Pauſ. IX, 5 et al. Ita et pro *Sthenelus* aberratum *Stenelus, Scelenus, Schelemus, Schoeneus.* Porro *durus* Ven. et Franc. poſt Longob. Vide Pierium, qui et *diuus* e codd. et grammaticis memorat. *diuus* etiam a m. pr. fragm. Vatic. 262 *dimiſſum* alii, ex more. *demiſſam* Rottend. alter. *Acamas* bene poſt Pierium ab Heinſio reſtitutus e libris. Vulgo *Athamas*, perpetua varietate. 264 *Epeos* Heinſ. e libris, vulgo *Epeus*. Ἐπειός.

et Argiae f., ſecundum Seru. (*ex Aetolia* ait Pompon. ad h. l. et Dictys lib. I, c. 14, adde c. 17. f. leg. *ex Boeotia*). Deſideratur ſane inter caeteros heroes nomen aliquod clarum; verum Therſander Polynicis f. locum vix tueri poteſt; cum vbique ille tradatur in pugna cum Telepho in principio b. Troiani cecidiſſe. v. Pauſ. IX, 5. Dictys II, 2. Et ſic Cypria carmina tradiderant, vt e Proclo MS. didici. Aut itaque alius hic Therſander habendus, aut *Tiſandrus* verior eſt lectio. In Homero neutrum nomen occurrit. De *Acamante*, altero Theſei filiorum et Demophoontis fratre, v. *Intpr.* ad Hygin. f. 108 et h. l. Heinſ.; de caeteris ſaltem Seruium. *Demiſſum lapſi per funem*, h. e. delapſi ſune demiſſo. Ex hiſtoria hoc acceperat; v. Excurſ. III: at egregie ad magnitudinem equi declarandam accommodauit. Itaque emphaſin Quintil. agnouit Inſt. VIII, 3, 84, vbi v. not. et Vrſin. ad h. l. *primusque Machaon:* intelligo, qui primus, inter primos, egreſſus eſt. Argutantur in hoc iam veteres. Vide Sext. Aurel. Victor. G. Rom. c. 1. *Machaon* apud Theſſalum in πρεσβευτικῷ ſub f. memoratur paullo poſtquam equo exierat vitam amiſiſſe. *doli fabricator.* Sic δόλου pro equo ad inſidias facto Hom. Odyſſ. Θ, 494. *Epeus:* de quo v. Exc. III. pr.

Inuadunt vrbem ſomno vinoque ſepultam;
Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis
Adcipiunt ſocios, atque agmina conſcia iungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono diuum gratiſſima ſerpit.
In ſomnis, ecce, ante oculos maeſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largosque effundere fletus,
Raptatus bigis vt quondam, aterque cruento
Puluere, perque pedes traiectus lora tumentis.

Mediic. *Epaeos*. Gud. a m. pr. cum aliis *Epios*. tres *Epius*. Alii vitioſe: *Epyus*, *Opeus*, *Ipeus*, *Ypheus*, *Epheus*, *Efeus*, *Ephius*, *Epheos*. 265 *ſomnoque meroque* Hamb. ſec. *vino ſomnoque* Goth. tert. et *ſopitam* alter. 268 *erat*, *cum* fuere qui legerent teſte Guellio; ſed vtrumque dici mos eſt. 270 *Inſomnis* vna voce, multi ap. Heinſ. *inſomnes* Montalb. *inſompnis* Leid. vn.; ſed non inſomnem fuiſſe Aeneam patet ex v. 302, vbi *excutitur ſomno*; quod iam Burm. monuit. *in ſomnis* diuiſim etiam fragm. Vatic. 271 *refundere* Medic. Pierii. *fluctus* aliquot Pier. *fletus* Hamburg. alter, v. inf. 298. 272 *biiugis* Rottend. tert., quod Heinſ. praeferebat. Suſtuli importunam interpunctionem poſt *bigis*.

268 ſqq. Locus, cui ſimiles e pluribus poetis excitari poſſint, quoties per ſomnum ſpecies obiicitur, adumbratus videtur ex Iliad. ψ, 62 ſq., vbi Patrocli Vmbra Achilli apparet. Virgilium plane expreſſit Statius V Theb. 265 ſq. et totum locum, qui ſequitur, Seneca Troad. 438 ſq. *mortalibus aegris*, ſane vt alias miſeris, ὀλιγροῖς, πολυπόνοις, proprie tamen infirmis. Burmannus feſſos laboribusque et curis diurnis fatigatos interpretatur. *ſerpit*, quando latenter membris infunditur. *Seru.* 271. *Viſus adeſſe*, adſtare ſic, *vt quondam* viſus erat *raptatus*, cum raptabatur: v. ſup. I, 483. *ater* plus quam reſperſus, inquinatus. cf. verſus Homericos Il. χ, 401 ſqq. *tumentes*: οἰδάων ſimiliter in fabula Oedipodis.

Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achilli,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crinis,
Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios. Vltro flens ipse videbar

274 *Ei* Medic. fragm. Vatic. Rottend. pr. *heu* alii. Caeterum Gronou. Diatribe Stat. c. 22, p. 124, ordinem verborum ita instituendum edicit: *vt quondam erat raptatus. — heu mihi! qualis? q.* Duriſſime. 275 *exuuiis* aliquot ap. Pier. et Burm. *inductus* aliquot apud vtrumque *Achilli* Heinſ. cum melioribus etiam h. l. Vulgo *Achillis* et *Achillei*. cf. ſup. I, 30. 276 *iaculatum* Goth. pr. 277 *et* abeſt Franc. *concretoque* qu. Moret. *et concreto ſ.* Menag. pr. a m. ſec., quod vulgarius eſſet. conf. Burm. 278 *Vulnera illa* Leid. *vulnera et illa* Bigot. *vulneraque ipſa* Franc. et Witt. Stat. III Theb. 364 *Vulneraque iſta ferens putri inſiccata cruore.*

274—279. Nobiles verſus ex eo loco ducti, qui magnos adfectus habere ſolet, fortunae priſtinae et praeſentis comparatione. Similia loca congeſſit Cerda. Verſum 274 Ennii eſſe Seruius docuit. Quam diuerſus ab ea ſpecie, qua redibat victor Patrocli, et vna iam antea naue Achivorum incenſa. cf. Excurſ. VIII *. *qui redit* pro qualis redibat, paullo inſolentius; et inſ. 279 *accepit*, pro acceperat; poetica, etiam graeca, ſaltem Homerica, ſtructura. *exuuias A.*, arma Achillea Patroclo detracta: Iliad. ρ, 194. *Danaum puppibus*, in naues Achiuorum. reſpicit ναυμαχίαν Iliad. ν ſqq. et π, 122 τοὶ δ' ἔμβαλον ἀκάματον πῦρ Νηῒ θοῇ —. 277. *concretos ſanguine crines*, foedum quidem, ſed quod horrorem non minus quam miſerationem facere queat. Porro 278 *vulnera* omnino in pugnis cum Achiuis factis accepta interpretabar; nunc intelligo haec non conuenire cum caeteris, quae miſerationem facere debent; meliusque referri ea ad τὸ αἰκίζεσθαι, *vulneribus foedato corpore caeſi Hectoris ab accurrentibus Achiuis*: v. Il. χ, 369. adiunctis tamen la-

Conpellare virum, et maeſtas expromere voces: 280
O lux Dardaniae, ſpes o fidiſſima Teucrum,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exſpectate venis? vt te poſt multa tuorum
Funera, poſt varios hominumque vrbisque labores
Defeſſi adſpicimus! quae cauſſa indigna ſere-
nos 285
Foedauit voltus? aut cur haec volnera cerno?

280 *Incertas exp.* fragm. Moret. *moeſtas promere* Exc. Burm. et Menag. alter a m. ſec. *has promere* Bigot. *effundere* Menag. pr. Moret. qu. Vulgata eſt apud Nonium in *moeſtas*. 281 *Dardanide* alter Hamb. et Franc. cum Goth. ſec. et tert. *Dardanidum* aliquot Pierii. *ſpes o ſanctiſſima* Schol. Cruqu. Horatii I Sat. 7 et IV Od. 5. Sed vulgatam etiam Macrob. IV Sat. 2 habet. *fidiſſuma* ſcribunt codd. antiquiores ap. Pierium, et in vno *firmiſſima* vel *fortiſſima*. 283 *quem te poſt* Zulich. *multa dierum* Gud. a m. pr. *poſt tanta* vnus Guelph. 284 *per varios* Oudart., vt lib. I, 628. *poſt hominum varios v.* Bigot. 285 *accipimus* Hamb. pr. et Goth. tert. a m. ſec. Et poteſt exquiſitius videri. *ſeueros* Hugen. a m. ſec. 286 *et cur* Leid.

niationibus tracto circa muros corpore: quandoquidem adiectum *circum muros patrios*.

282—286. Quaſi immemor caedis Hectoris, eum obiurgat, quod tam diu abfuerit et nunc demum ad auxilium Troianis ferendum adveniat. Etiam in his Ennium ante oculos habuit, cuius verſus apud Macrob. VI, 2 *O lux Troiae, germane Hector! Quid ita cum tuo lacerato corpore miſer? Aut, qui te ſic reſpectantibus tractauere nobis? Lux* autem non ad gloriam referendum, ſed de *ſalute* accipiendum, ſi quidem ex Homerico φάος expreſſum, quo is hoc ſenſu plerumque vtitur; excepto forte loco Iliad. Υ, 282. *vt te p.*, ὡς, h. e. quomodo: *defeſſi* cladibus, vt eleganter poetae v. c. Horat. II Carm. 4, 11 *Tradidit feſſis leuiora tolli Pergama Graiis. ſerenos foedauit vultus*, quoniam et *foeda tempeſtas* proprie dicitur. cf. Serv.

Ille nihil; nec me quaerentem vana moratur:
Sed grauiter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia.
Sat patriae Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent: etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troia Penates:
Hos cape fatorum comites; his moenia quaere,

287 *Ipse* Montalb. *nec quaerentem me* sec. Hamb. *nec me remoratur vana querentem* Menag. pr. *fata moratus* ed. Ven. 288 *de p. fundens* Parrhas. 289 *Heus f.* Leid. vn. *tete* corr. Cuning. *eripe telis* Dorvill. 290 *a* deest Dorvill. Menag. pr. et Mediceo Pieriano. Adde Goth. tert. In secundo *Alte a c. alto culmine* superscripto *a* fragm. Vatic. *ab c.* Leid. vnus. Dorvillius bene coni.: *ruit alta a culmine Troia*, quod significantius est, et sic Acronem legisse, Iani vidit ad Horat. IV Carm. 6, 3. et Homer. Iliad. ν, 772 ὤλετο πᾶσα κατ' ἄκρης Ἴλιος αἰπεινή. adde Iliad. ο, 557. 558. 291 *Priamo patriaeque* sec. Hamb. *datum est* Witt. 292 *possint* alter Rottend. Olim distinxere nonnulli — *defendi possent etiam, hac d.* pro adhuc. v. Serv. 294 Heins. distinguere volebat: *his moenia quaere magna, p.* et ita in Witt. erat. Contra Burm. disputat magis subtiliter quam vere. Declaranda res ex eo, quod elegantior loquendi modus, si epitheton vel adiectiuum post

290. *Ruit alto a culmine T.* (etiam inf. v. 603) ex Homerico, quod saepius occurrit, κατ' ἄκρης. cf. Var. Lect. Videtur tamen hoc paullo diuerso modo dictum. Ad 291. 292 cf. inf. XI, 288. 289. Habet patria et Priamus omnia, quae a te ad ipsum defendendum fieri ac praestari poterant. *etiam hac*, δεικτικῶς, Hectoris manu, h. e. mea.

293 — 297. *Penates* sunt Troiae publici, patrii dii, vrbis tutela. Vid. Excurs. IX ad h. v. *Sacra* et *Penates* possunt pro eadem re haberi, vt illa, quibus generis notio inest, declarentur per hos. Sic mox v. 320 *Sacra manu victosque deos — trahit.* Et sic saepe *sacra* vniuerse, de deorum simulacris, etiam de his ipsis Penatibus. v. c. Ouid. Fast. I, 527. cf. Cer-

Magna pererrato ſtatues quae denique ponto. 295
Sic ait; et manibus vittas Veſtamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diuerſo interea miſcentur moenia luctu;
Et magis atque magis, quamquam ſecreta parentis
Anchiſae domus arboribusque obtecta receſſit, 300
Clareſcunt ſonitus: armorumque ingruit horror.

relatiuum ponitur: *moenia, quae magna,* pro vulgari, *moenia magna, quae.* 296 *qui* Longob. et alii ap. Pier. 297 *affert* duo ap. Burm. v. ad Georg. IV, 311 et ad Ecl. VIII, 64. 298 *m. fletu* Leid. vnus. v. ſup. 271. 299 *at magis* Medic. a m. pr. 300 *obtexta* Guelpherb. vn. in Collect. Sax., non male. 301 *conclareſcunt* cod. antiquiſſimus Pierii. Videtur Heinſ. etiam *crebreſcunt* inueniſſe. cf. Burm. *que* abeſt Franc. *irruit* Goth. tert., male. *ingruunt* bene de iis quae accedunt, propiora fiunt. *error* pro *horror* pr. Moret., perpetua aberratione.

da. Mox tamen v. 296. 297 *Veſtam et ignem ſacrum* memorat, quae cum Penatibus asportauit; an haec quoque per *ſacra* declarare voluit? Potuit ſane! Eſt tamen prior ratio praeferenda, quippe poetis ſollennis, vt primo ponant genus, tum adiungant ſpeciem ſynonymice: Ita oratio ipſa ſit ornatior. *Vittas* religioſe poſuit, cum *Veſta vittata* (non enim ad Palladem vittae referri poſſunt, quod Burm. fecit) aut *cum vittis* dicenda eſſet. vide ſup. ad v. 168 *Virgineas auſi diuae contingere vittas. Fatorum comites* quanto potentius, quam, *errorum, viae, caſuum! Moenia* int. vrbem Lauinium. *magna* dixit reſpectu Romae inde oriundae; vt et III, 159. 297. *adytis penetralibus effert:* Viſus eſt Hector ex ipſa Veſtae aede deae ſimulacrum cum igne ſacro efferre. Quo vero loco Penates poſiti fuerint, poeta non docuit.

298 — 301. Interea *vrbs miſcetur luctu*, h. e. in vrbe miſcetur *luctus*, eiulatus, clamor, (mox v. 301 *ſonitus*) *diuerſus*, a diuerſis vrbis partibus. *domus ſecreta receſſit* ornate pro, eſt ſe-

Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero, atque adrectis auribus adsto:
In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores,
Praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
Adcipiens sonitum saxi de vertice pastor.

305 *saxi de vertice torrens* Schol. Horat. IV Od. 14 ex v. 308 *saxi de vertice pastor. montano a vertice* Bigot. ex VII. 567 *et torto vertice torrens. rapidos* pr. Moret. et Franc. *a flumine* Moret. tert. 306 *hominumque labores* pr. Hamb. pro diu. lect. ex I Georg. 118 *haec quum sint hominumque boumque labores Versando terram experti — laborem.* Voss. et fragm. Moret. *bouumque labores* fragm. Vatic. 307 *sedet* pro *stupet* Quintil. VIII Inst. 6, memoriae vitio. 308 *aspiciens* Sprot. pro var. lect.

creta, remotior a littore et porta Scaea, eaque parte, qua Achiui vrbem ingressi erant. Statii imitationem notat Burmann. Theb. V, 242 *et si lata recessit Vrbe domus.*

302 — 308. *Adscensu supero*, pro adscendo, ornate, in re tenui. Comparantis et comparati ratio primo intuitu non satis aperte declarata esse videtur. Latet autem in illis: *arrectis auribus adsto*, et *stupet accipiens sonitum*: vt sic componas: *adsto arrectis auribus*, aures arrigo, veluti pastor *accipit stupens sonitum, quum flamma in segetem incidit.* Quae sequitur, comparatio adumbrata est ex II. β, 455. 456. λ, 155 sqq. et Iliad. δ, 452 — 455. adde ε, 87 sq. λ, 492 sqq. Lucret. I, 282 — 290. Cons. inf. 496 sq. Georg. II, 304 sqq. Aen. XII, 523 sqq. et X, 405 sqq. Argutantur in comparandis locis Macrob. Scalig. Cerda. Dicendum simpliciter, poetam Homeri inuenta egregie suis verbis reddidisse et ornasse. Nisi forte in hoc reprehendendus videri potest, quod *ex Aeneae narrantis persona* talis comparatio non satis commode intexta sit. Quod et Wartono ita visum video. Sed illius narrantis recordationem suauitas

Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam, 310
Volcano superante, domus; iam proxumus ardet
Vcalegon; Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis.
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem 315

310 *alta* Hamb. sec., vt saepe alias. 312 *Vchalion* Rottend. sec. In aliis codd. alio modo vitiose. *Sigeoque igni* Parrhas. 315 *et currere* Sprot. *ad arcem* Moret. pr.

narrationis iamdudum animis audientium excussit. *furentibus austris* dicit vt poeta pro, ventis flantibus. *torrens*, χείμαῤῥος, *rapidus montano flumine*, auctus aquarum colluuie e montibus. 308. Iliad. δ, 455 Τῶν δέ τε τηλόσε δῶπου ἐν ἤρεσιν ἔκλυε ποιμήν.

309—313. *Tum vero manifesta fides* ornate, vti *rebus fides fieri* dicitur euentu: manifesta iam res erat. Alii interpretes aliter. *Deiphobi* domus prima incensa; duxerat is Helenam post Paridis mortem, vt iam Seruius. cf. Quintus Cal. XIII, 354 sqq. Odyss. δ, 517 sqq., qui locus fundus fabulae. cf. Exc. XII. (etsi, si argutari velis, sui oblitum dixeris poetam, nam in arce cum caeteris Priami filiis ille habitauit) proxima domus Vcalegontis, qui e principibus erat et in consilio Priami Iliad. γ, 148. *Sigea relucent*, prospicienti ex vrbe per tenebras. cf. Quintus ibid. 464 sqq. *lata* cum dilecta h. l. positum: nam late relucet mare circa promontorium Sigeum. (cf. Cerda. Male, puto, Seruius et Pompon., quod illic fretum Hellespontiacum incipit dilatari.) Denique *tubarum clangor*, Euripidis et Tragicorum exemplo, memoratur, etsi Iliacis temporibus nondum fuere tuba et lituus.

314—317. *Nec sat rationis*, h. e. parum consilii, *in armis*, nec mihi satis ipsi constabat, quantum his ar-

Cum ſociis ardent animi. Furor iraque mentem
Praecipitant; pulcrumque mori ſuccurrit in armis,
Ecce autem telis Panthus elapſus Achiuum,
Panthus Othryades, arcis Phoebique ſacerdos,
Sacra manu, victosque deos, paruumque nepotem
Ipſe trahit, curſuque amens ad limina tendit.

317 *Praecipitat* Gud. *praecipitent* ſec. Hamb. 318 *Achivom* Heinſ. e Medic. et Gud. Vulgo *Achiuum*. *Achiuis* pr. Menag, Sprot. et alter Hamburg. 319 *Pantos*, *Panteus*, *Pantheus*, *Phantheus*, hic et mox vitioſe in MSS. Eſt Πάνθοος et Πάνθους. In Sprot. *Panthoys* et mox *Panthoy*, expreſſa enuntiatione graeca. v. Heinſ. *Otriades*, *Otyriades*, *Oetriades* male vulgo hic et infra. Ὀθρυάδης. 320 *iactos* tert. Rottend. *victus* Gud., ſed v. Burm. 321 *curſumque* Moret. qu. et ſic legebatur Seruii aetate. *curſusque* Menag. pr. et Witt. Eadem varietas et alibi, v. Burm. Vtrumque autem recte etiam in poeta dicitur, videtur tamen *curſum* remotius a vulgari eſſe — *ad litora* pauciſſimorum librorum videtur

mis profuturus eſſem captae et incenſae iam vrbi. *ardent animi glomerare manum bello*, ardeo, hic vnus impetus erat, colligere milites ad pugnam, et cum iis *(cum ſociis)* in arcem ad regem concurrere. 317. et illa vna cogitatio animum ſubit, quam pulcrum ſit, fortiter pugnando mori. Sic Georg. IV, 218. *pulcramque petunt per vulnera mortem.*

318—321. Panthus ſacerdos Apollinis, cuius templum erat in arce. Ponunt autem poetae primo loco continens, tanquam latius: *arcis Phoebique ſ. Panthus* inter primores Troianorum eſt Iliad. γ, 146; filii eius Polydamas et Euphorbus, Πανθοΐδαι, ſaepe Homero commemorati. Nunc Othryos filius ipſe editur. Sacerdotis perſona ducta ex Iliad. ο, 522, vbi Apollo Panthi filium, Polydamantem, tuetur. Adde inf. v. 430. Fabula de Pantho, Delphis abducto, quam Servius memorat, etiam apud Euſtath. p. 900 l. 47 occurrit, ſeriorum forte poetarum commentum. Etiam mox genus primo loco, *ſacra*, et tum finitius, *deos*, h. e. ſi-

Quo res ſumma loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit ſumma dies et ineluctabile tempus

eſſe lectio; vnum Hamburg. pr. laudat Heinſ. Caeteri, quotquot inſpecti ſunt, etiam e noſtris vnus (in duobus *lumina*) et vett. edd.; porro Seruius, Donatus, Pomponius, *ad limina* prae ſe ferunt; quod adſtipulante Brunckio recepi. Alterum illud ex ſollenni lapſu in h. v. ortum videri poteſt, et ſubiiſſe primum Aldinam; vnde in Iuntina, quam ex illa expreſſam coniicio, et in al. excuſum video. At eam deſeruit Rob. Stephan. Conſenſum librorum firmat ipſa rerum ratio et ordo. Nondum conſilia exſequi coeperat Aeneas: vide v. 314 — 317, antequam domo exeat, ecce tibi offert ſe ei Panthus, qui ad eius domum, quippe in remota vrbis parte ſitam (vide v. 299. 300), confugiebat. Forte et hoc ipſum poeta ad Aeneae pietatem retulit, vt religionum miniſter ad eum confugiat. Pomponius haec habet: limina *domus meae: in hoc auctoritas et dignitas Aeneae videtur.* Seruius autem: *Aeneae et religio laudatur et virtus. limina* igitur ipſa re ſatis definita, quod ſint Aeneae. Sic XI, 267. Quae pro altera lectione dici poſſint, v. ap. Burm. 322 *Quo res ſ. loci?* pr. Rottend.; ſed v. Burm. Idem vir doctiſſimus coni.: *qua preadimus arcem?* qua via, ratione, ad arcem peruenire poſſumus? Mihi quidem hoc tenuiter dictum videtur; et adi notas. *qua tendimus arcem* coni. Io. Schrader. *Panthu:* ex Πάνθοος, οε, ου. 323 *eram gemitu, cum* diſtinguit Leidenſ. 324 *ineluctabile fatum* Macrob. V, 1 recitat; ex lib. VIII, 334 *ineuitabile tempus* ed. Ven., quod et in Witt. Cod. ſupraſcriptum.

mulacrum Apollinis: vt v. 293 *Sacra ſuosque — Penates.* Non ignoro, vaſa et vtenſilia ſacra ab aliis intelligi. At *victos* quam inuidioſe! Deorum autem ſimulacrum in excidio templi et vrbis ex more ſecum ferre et ſeruare ſtudet ſacerdos, vt Aeneas Penates, ne in hoſtium poteſtatem veniant. Nota res eſt, ſed ſemel monenda. *trahit* cum dilectu poſitum pro ducit. *ad limina,* Aeneae.

322. Fruſtra laborant in interpretatione, qui *arcem* de Pergamo accipiunt. Optimum factu, vt *arcem* pro perfugio accipias: quo confugimus?

324 ſqq. Admirabilis oratio, grauitatis et doloris plena, et ea quidem ſacerdotis

Dardaniae. Fuimus Troes; fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit. Incensa Danai dominantur in vrbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet,
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis vmquam venere Mycenis.

325 *Dardanidae* Moret. tert. *Ilion* nonnulli, vt sup. 241. 326 *omina* Bigot. pro var. lect. Et sunt, quae pro hac lectione dici possint. cf. sup. ad 178. Transferuntur enim auspicia, et auspiciorum habendorum ius, cum imperio; sed argute magis, quam vere. 328 *mediisque* aliquot ap. Burm. 329 *fudit* nonnulli codd. Heins. et Burm., nec male hoc. Seruius vulgatam lect. interpretatur; et habet *fundit* grandius quid, quam *fudit*. Nimis argute τὸ *fundere* h. l. a partu repetunt, quia v. 238 *foeta armis*. Est simpl. emittit. Odyss. Φ, 515 ἱππόθεν ἐκχύμενοι. *que* abest Regio. *victorque Sinon* coni. Waddelius; sed v. Burm. *victor*, propositi effector, recte interpretatur Seruius. 330 *Exsultans* Menag. pr., quod minus esset. *alii portis* sec. Moret. et Leid. vnus. *portisque alii* Menag. et Sprot. *alibi patentibus* Gud. *alii patentibus* Rottend. a m. pr. *alii in bipatentibus* Leid. et Moret. tert. *aliique petentibus* ed. Venet. 331 *vmquam* Heins. cum libris potioribus; alii, vt vulgo, *nunquam*, quod et Priscianus lib. XVII habet. Sed totum

Apollinis, et in tali rerum conditione! Euripidis illa Troad. 581 si respexit poeta: Πρίν ποτ' ἦμεν. Βέβακεν ὄλβος. Βέβακε Τροία, quantum ille de suo attulisse videri debet! *ineluctabile*, fatale. Euripideum: τύχα, τύχα δυσπέλαστος ἥκει. Alcest. 892. 326. *Ferus Iupiter*, vt alias *faeuus*, h. e. iratus, crudelis. *omnia Argos transtulit*, Argiuis victoriam et rerum summam permisit, Troia nunc euersa.

329—335. *Mediis in moenibus*, in media vrbe, nam in arce. cf. 240. 252. *incendia miscet*, plus, quam promiscue, passim, facit. ita *miscere caedes*. haerent in h. v. interpretes. *alii, — millia quot*, h. e. tot millia, quot eorum etc. pro vulg. re-

Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi; stat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci; vix primi proelia tentant
Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt. 335
Talibus Othryadae dictis et numine diuom
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat, et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Rhipeus, et maxumus armis

versum abesse malim: quot enim ex illis millibus per decem annos caesos esse putare licet! Etiam Iac. Bryant V. C. suspectum habebat versum. Vt defendas, dicendum: alii ad portas ruunt, tanto numero, vt vix plures prima statim profectione e Graecia exiisse putares. 332 *Obsidere* sec. Moret. et Goth. tert. a m. pr. inf. v. 450. 333 *oppositis* Gud. cum magna parte codd. Heins. et Pierian., quod Heinsio non displicebat. Etiam Pomponius *telis oppositis* exponit. Videtur tamen alterum, quod etiam Goth. pr. et sec. habent, exquisitius, poeticaque adeo dictione dignius esse. Adhaeserat *s* ex sequenti voc., v. Burm. *ferrea acies* Hamb. pr., v. Heins. *stat pernicies* nonnulli codd. ap. Pierium cum Donato. *stant* Goth. sec. *vmbone coruſco* ed. Ven. 335 *resistent* sec. Rottend. 338 *quod fr.* Gud. *quo gemitus* Doruill. et Witt. *in aethere* sec. Hamb. *ab aethere* pr. Moret. 339 *sociis* Menag. pr., sed Ecl. VI, 20 *addit se sociam.* Mox *Ripheus, Repheus, Rypheus,* scribitur. Ῥιπεὺς est. Quae sequuntur, obscura nomina sunt, nec in iis morandum. *maximus annis,* quod a nonnullis legi Pierius et Ge. Fabricius testantur, interpolatum per eos, qui v. 335 *Iphitus aeuo Iam grauior* meminerant, quasi idem cum Epyto esset.

liqui omnes. *portis bipatentibus,* variatum pro simplici: patentes, apertae. Intelligendae autem portae Scaeae. cf. sup. v. 266 *portisque patentibus omnes Accipiunt socios. Obsedere oppositi* ornate et hoc adiectum. *stat — stricta* pro stricta est; *stat,* quippe sublatus et erectus

ensis. *caeco Marte,* nocturno praelio, quo cerni ac discerni hostis nequit.

336 — 338. *Numine diuum* tamquam a deo aliquo actus — in medium incendium et pugnas ruit Aeneas. *Erinnys,* quae ante *Furor,* h. e. animi impetus.

Epytus; oblati per lunam Hypanisque Dymas-
que;
Et lateri adglomerant nostro; iuuenisque Coroebus
Mygdonides. Illis ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandrae incensus amore;
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.
Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
Audierit.

340 *Epytus* (Ἤπυτος) ex libris Heins. restituit. Medic. *Aepitus* (Aepytus, Αἴπυτος non minus recte diceretur), in aliis vitiose: *Epitus, Epithus, Ephitus, Aephitus, Iphytus. Et Pythus;* et mox *Hyphanis, Hipanis et Dimas, Dumas.* cf. inf. 394. Ὕπανις. Δύμας. *oblecti* Wall. a m. pr. *per lucem* coni. Waddelius; at v. Burm. Forte autem suauior iunctura erit, si interpungas: *addunt se socios Rhipeus et — Epytus, oblati per Lunam, Hypanisque Dymasque, Et lateri agglomerant nostro.* 341 *glomerant* Reg. *Coroebus* vnice vere; ab Heinsio restitutum ex Κόροιβος. Vulgo fere *Choroebus, Chorebus, Corebus.* Puget. *Thorebus.* 342 *Mirdoneis* Goth. tert. in litura. Est Μυγδονίδης. *illis qui* ante Heins., qui Medicei et vetust. libb. (adde Seruii) auctoritate *qui* sustulit; vt iam Pierius e suis libris auctor fuerat. Suadet idem poetici sermonis genius. cf. sup. ad I, 378. *illis qui Troiam* Parrhas. 343 *Cassandrae* in multis scribitur; et sic fere in geminanda littera semper variant veteres. cf. Heins. neque adeo in eo haerendum, modo teneas, antiquiores vnam litteram pinxisse, sequiores adiecisse alteram. *accensus* quatuor ap. Burm. *captus amore* quinque ibid. 346 *audierit* concinnius Heins. e Medic. et melioribus; adde Colot. Vrsini. Vulgo *audierat.* Etsi aliis in locis contrarium sequuntur critici, et indicatiuum vindicant poetae, vbi exquisitior Ciceronis oratio subiunctiuum ponere solet. Tam incerta sunt plurima in verborum critica.

340 — 346. De Aeneae pugna lege Quintum XII, 300 sq. — *per lunam* docte adiecit poeta: v. narrata de tempore excidii inf. Exc. II. ad lib. III pr. *Adglomerant*, docte, se adiungunt. sup. 315. *glomerare manum* adiungere manus, sociare. Suauiter rerum miserabilis facies distinguitur episodio breui de Coroebo Mygdonis

Quos vbi confertos audere in proelia vidi:
Incipio ſuper his: Iuuenes, fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi (quae ſit rebus fortuna videtis:
Exceſſere omnes adytis arisque relictis
Di, quibus imperium hoc ſteterat; ſuccurritis vrbi

347 *concretos* Goth. tert. a m. pr. *confectos* Franc. *confertos* Wall. et Witt. cum aliis ap. Pierium, qui e melioribus libris *confertos* tuetur. v. Burm., qui et coni. *ardentem in p.*, quia *audentem* v. 349 ſtatim redit. 348 Quae ſequuntur, meo iudicio aut ſic, vt feci, ſunt interpungenda, vt parentheſis intra *(quae ſit — ſuccurritis vrbi Incenſae)* contineatur; vt ſit: *ſi vobis cupido eſt audentem extrema ſequi, moriamur;* cauſſis a principio ſtatim, vt plerumque ſit, commemoratis; aut ſic ſunt conſtituenda ſine parentheſi: *Iuuenes, fortiſſima fruſtra Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido Certa ſequi* (agite, ſequimini me; quod membrum orationis ita omitti ſaepe videas), *quae ſit rebus fortuna, videtis; Exceſſere — Di, quibus imperium hoc ſteterat; Succurritis vrbi Incenſae. Moriamur et in media arma ruamus.* Explicationem v. in notis. In vulgari ratione et interpunctione, quae haec erat: *(quae ſit rebus f. v. — Di quibus imperium hoc ſteterat)* in hac, inquam, *ſuccurritis* nihil habet, quicum commode copuletur. Seruius quidem *fruſtra ſuccurritis* iungit parentheſi incipienda a *ſi vobis*. Sed intricate et contorte omnia. *fortiſſima fruſtra* ſeparanda non ſunt. 349 *nobis* Goth. tert. *audendi* duo Goth., aliquot ap. Heinſ. et apud Seruium nonnulli *audendi* vel *audenti;* etiam Donatus *audendi* interpretatur. *in extrema* Franc. vt 347. *cupido eſt* etiam tres. 351 *adytis omnes* Zulich. 352 *hoc* aberat ſec. Rottend. et Leid. a m. pr. *ſuccurrimus* Parth.

filio, de quo v. Exc. X ad h. v. *gener* autem h. l. ſpe. *praecepta* h. l. ſunt monita vatis a deo actae; ſcil. ne communi Troianorum cladi ipſe tamquam pars accederet, nec ſuas nuptias ſperaret. *Infelix* ſuauiter, vt ſaepe poetae per epiphone-

ma. Sic νήπιος, vt ſtatim Iliad. β, 38.

347 — 354. *Audere in proelia* exquiſite, cum audacia procedere in pugnam. *ſuper his*, ſimpl. pro poſthaec, inde. Quae ſequuntur, ſic ordinare iuuat: O iuuenes, fruſtra fortes! ſi vo-

Incenſae): Moriamur, et in media arma ruamus.
Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Sic animis iuuenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exſpectant ſiccis; per tela, per hoſtis
Vadimus haud dubiam in mortem; mediaeque tenemus

354 *ſuperare* Goth. tert. 356 *in* deeſt fragm. Moret. et vni Leidenſi. 359 *in mortem haud dubiam* Oudart. et Leid. vn.

bis cupido certa eſt, ſequi audentem extrema, h. e. ſ. me, ſ. omnino aliquem, qui extrema mortis pericula adeat, agedum! moriamur, et in media arma ruamus; nam videtis, quae ſit rerum fortuna et conditio; videtis, deos tutelares ac praeſides Troiae nos plane deſeruiſſe; *ſuccurritis vrbi Incenſae!* ſero ad patriam defendendam properatis, quippe *iam captam et incenſam.* Nihil ſupereſt, quam honeſte mori. Moriamur etc. v. 351 ex veteri ſuperſtitione ſatis nota interpretandus, qua vrbes captae vel capiendae a diis deſeri credebantur. v. Vrſin. Muret. Var. Lect. V, 19. qui tamen argutatur, et Cerda ad h. l. Euripidis locum e Troad. 23. iam Macrob. V cap. extr. comparauit. cf. Tryphiod. v. 496. 497. Hinc euocatio deorum, de qua h. l. Seruius. 354. *Vna ſalus*, int. honeſtam mortem, qua ſe ab hoſtium poteſtate liberent. 355. *Furor additus.* Incenſi ſunt eorum animi. Laudat Burmann. Statium V Theb. 33 *O miſerae, quibus hic furor additus.*

355—360. Homerus comparatione luporum ſaepe vtitur v. c. Iliad. λ, 72 οἱ δὲ, λύκοι ὡς, Θῦνον. inde et alii, vt Apollon. II, 123 ſqq. *lupi raptores* ex epitheto σίνται Iliad. π, 353 natum videtur. et π, 56 λύκοι ὡς, Ὠμοφάγοι. item Odyſſ. ζ, 133 de leone: κέλεται δέ ἑ γαστὴρ Μήλων πειρήσοντα — ἐλθεῖν.

Vrbis iter. Nox atra caua circumuolat vmbra. 360
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis aequare labores?

360 *Nox a.* — *vmbra.* Haec assuta esse et versum imperfectum reliquisse Virgilium, credebat Ortuinus ap. Burm. At optimo poetae hoc hemistichium admodum dignum videtur. Nisi quod *atra* redit post 356. 361 *foenera* alter Mentel. *vulnera* Sprot., perpetua variatione. *talia* Doruill. ex huius libri initio. 362 *lacrimis possit* Ven. *per lacrimas* Doruill. e glossa. *possit animis aequare* ed. Ven. *lacrimis explere* Sprot. pro var. lect. Porro *aequare dolores* pr. Hamb., perpetua aberratione. *dolorem* nonnulli codd. apud Macrob. V, 1. Tandem *lacrimas aequare dolori* Vratisl., quod sane et ipsum dicitur, sed vulgarius; et forte natum e glossa; Nam etiam Pompon. interpretatur: *laboribus aequare lacrimas.*

Propius tamen est: λύκοι ἁρπακτῆρες. Etiam ap. Quintum sunt λῃστὰ ἀναιδεῖς μήλων. *quos improba* (magna) *ventris Exegit* (egit, quia prodeunt ex latebris) *caecos rabies;* quantum ornatius! vt etiam reliqua; *atra in nebula,* ex obseruatione sagacitatis in talibus animantibus. Sic Apollon. a Burmanno laudatus II, 124 ἤματι χειμερίῳ lupos praedari facit, et Homerus Βάν ῥ' ἴμεν, ὥστε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν Ἀμφόνου, ἀνεκύας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα *(per tela, per hostes)* Iliad. ν, 297. 298. Comparatio autem tantum ad impetum et rabiem irruentium referenda; nil amplius, ne cum Trappio haereas. *Vadimus,* impetum et furorem notare verbum notat Burm. Saltem tali in contexto, puta. Ita et ire et ἐλθεῖν et alia. *Nox circumuolat,* quippe alata: inf. VIII, 396, vt Somnus, Somnia. v. ad Tibull. II, 1, 89. *caua vmbra,* quatenus ipsi ea circumdantur, quasi tecti; puto equidem.

361. Odyss. γ, 114 τίς κεν ἐκεῖνα Πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων; imitatus Silius V, 421 sqq. et II, 650 sqq., vbi plura in Sagunto euersa ex altero Aeneidis libro petita sunt; Sic illa mox 363, quae inter eximia loca equidem ponere soleo. *Vrbs antiqua ruit,* belle translata sunt ibid. v. 654 sqq.

Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, et religioſa deorum
Limina. Nec ſoli poenas dant ſanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus;
Victoresque cadunt Danai. Crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, et plurima mortis imago.
Primus ſe, Danaum magna comitante caterua,
Androgeus obfert nobis, ſocia agmina credens
Inſcius; atque vltro verbis conpellat amicis:

363 *fuit* Hugen. *durata* Goth. alter, ex compendio ſcripturae orto vitio. 365 *domus* duo Heinſ. *perque vias et religioſa d.* omiſſis mediis Voſſ. vnus. 366 *dant poenas* qu. Moret. 367 Legitur et *quaedam* teſte Ge. Fabricio. Sed vulgatam etiam grammatici firmant. 369 *noctis imago* aliquot ap. Pier. 370 *Primus ſed* Rottend. *magna Danaum* Doruill. 371 *Androgeus* reſcripſit Heinſ. poſt Pierium cum libris potioribus. Vulgo *Androgeos.* v. Heinſ. *ſe offert* alii ap. Pier. *effert* Hugen. 372 *affatur* Bigot.

364. *Inertia corpora,* poſſunt eſſe ſine vita et motu, ſi modo *ſternuntur* eſt, *ſtrata ſunt, iacent;* verum *ſternuntur corpora inertia,* inertium hominum, malim accipere de imbellibus, ſenum, infantum, feminarum. Bene hactenus Seru. et Pompon. exponunt: „non repugnantia“ vt *inertia pecora* inf. IV, 158. Mox *poenas dant* pro caeduntur, moriuntur, vt Seru. bene. 367. Sententia eadem, aliter tamen expreſſa, Iliad. ξ, 480. 481. 368. 369. *Crudelis luctus,* vt, *ſaeuus dolor,* qui in nos ſaeuit. *plurima mortis imago,* h. e. *vbique* caedes facta cernitur; paſſim caeſorum cadauera proiecta. Magis hoc accommodatum antecedentibus, quam varias caedis formas et genera intelligere.

370. *Androgeos* alibi non occurrit in Troicis. Pomponius Sabinus: *miles Mneſthei, ducis Athenarum;* neſcio vnde habeat. Diuer-

Feſtinate, viri, nam quae tam ſera moratur
Segnities? alii rapiunt incenſa feruntque
Pergama: vos celſis nunc primum a nauibus itis?
Dixit; et extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſit, medios delapſus in hoſtis.
Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit.
Inprouiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepidusque repente refugit,
Adtollentem iras, et caerula colla tumentem:

373 *tam lenta* Witt., ſed in marg. *ſera*. 375 *nunc* deeſt Menag. *a* deeſt Parrhaſ. et Goth. tert. *nunc primum celſis a nauibus* Exc. Burm. *vos nunc a nauibus* Lutat. ad Stat. VII Theb. 229. *a puppibus* Hamb. ſec. In fine verſus interrogationem addunt duo Heinſiani. 376 *neque tam* Bigot. 377 *delapſus* meliores, vt Medic. Gud. a m. pr. Moret. pr., item alii ap. Pier., vulgares *dilapſus*. Apud Priſcian. XVIII *illapſus*, qui interpretatur, *ſe illapſum eſſe*. Sed hoc profaico propius. *ad hoſtis* etiam nonnulli apud Pierium. 378 *retorſit* pr. Hamb. pro var. lect. 379 *inprouiſam* Hugen. v. ſup. v. 203. *qui in ſentibus* Menag. pr. *anguen* alter Rottend. 380 *gradiens trep.* Parrhaſ. ex interpr. *nitens pedibus trep.* Wittian. 381 *colla mouentem* Oudart.

ſus eſt Minois filius VI, 20.

373. *nam quae*, quae tandem v. ad Ge. IV, 445.

374. *Rapiunt feruntque*, ἄγεσι καὶ φέρεσι, vt notum. v. vel Cerda. Quaenam ſegnities tam *ſera*, quae ſeros facit, id eſt, tardos. Seru.

376. *Reſponſa non fida ſatis*, quibus fides haberi non poteſt, quae fidem non faciunt, adeoque ſuſpecta. Reſpexit verſum Statius II Theb. 535—537. *ſenſit delapſus*, ἔγνω ἐμπεσών, vt notum, ad formam graecam, intellexit ſe in hoſtem incidiſſe.

379—381. Comparatio ab Homero petita, ſed variata Iliad. γ, 33 ſqq. Hinc alii certatim. Propius ad Homerum Inuen. I, 43 noto

Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat.
Inruimus, densis et circumfundimur armis;
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus. Adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Coroebus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis

382 Post versum 378 abesse poterat alter hic. Eum otiosum esse, sensit quoque Io. Schrader: sed idem bene obseruauit similitudinem Homerici loci, ex quo haec expressa diximus: Iliad. γ, 31 κατεπλήγη etc. et 36 ὣς αὔδᾱτις etc. 383 *circumfundimus* multi ap. Pier. et Heins., quem v.; Gud. a m. pr. *circumfudimus*. 384 *et passim* Ven. et Goth. sec. 386 *successu exsultans* Heins. e libris post Pierium. Vulgo *exsultans successu*. 387 *quae prima* aliquot. *quam* Rottend. sec. et Gud. a m. pr., addita intp. *in quam partem*. Rottend. tert. *qua primum*, non male. *quod prima* Leid. a m. pr. At *qua* recte. Inf. VI, 95. 96. *tu contra audentior ito, Qua tua te fortuna sinet.* 388 *qua se ostendit* sec. Hamb. *se* abest a Zulich. et Goth. tert. *sed* alter. *extendit se dextra* fragm. Moret. et eiusdem codex quartus. 389 *mutamus* Gud. a pr. m. *mittemus* Deg. *ciclopes* Goth. pr.

versu: *Palleat; vt nudis pressit qui calcibus anguem. humi nitens*, pedem figens. *attollentem iras*, h. e. caput iratum, adeoque simpliciter, erigentem se vel caput prae ira et rabie. III Georg. 421 *tollentemque minas et sibila colla tumentem.*

388. *Qua ostendit se dextra:* fortuna *se dextram*, saventem ac propitiam, ostendit. 389. *Insignia* vel de clipeorum insignibus ac sculpturis vel de galeis et crista; Poetica tamen ratione ipsi *clipei* sunt *insignia*, quatenus Danai his ipsis insigniuntur, vt mox *clipei insigne*; vel, vt malim, omnino arma, quibus Troiani a Graecis dignosci poterant. Illud tamen verum est, in tragicis, forte et in cyclicis, Achiuorum et Troianorum clipeos insignia habere: et ex tragicorum vsu dictum esse 392 *clipei insigne*, pro clipeo, qui

Aptemus: Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? 390
Arma dabunt ipſi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam clipeique inſigne decorum
Induitur, laterique Argiuum adcommodat enſem.
Hoc Rhipeus, hoc ipſe Dymas, omnisque iuuentus
Laeta facit; ſpoliis ſe quisque recentibus armat. 395
Vadimus inmixti Danais haud numine noſtro,
Multaque per caecam congreſſi proelia noctem
Conſerimus; multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad nauis, et litora curſu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi 400

390 *quis ab hoſte* aliquot Pier. *requiret* nonnulli apud eund. *requirit* Hugen. et Goth. alt. et apud Macrob. V, 16. *reuiſat* alter Hamb. 391 *Arma? dabunt ipſi.* Ita Seruius diſtinguit; minus bene. *dabunt hoſtes* Bigot. *dabunt* int. dictum pro *dent*, miniſtrent. *clade* pro *deinde* Goth. ſec. 392 *Androgeo* nonnulli ap. Pierium et Doruill., ex interpolatione, vt inf. 425. *Peneleo* cf. VI, 20. *clipeique i. decori* ſunt qui legant ap. Pierium, et ſic Goth. tert. 395 *armant* Gud. 396 *non n. n.* Witt. *nomine noſtro* Gud. a m. pr. vel *omine bono* Zulich., ex interpr. 397 *per totamque* ed. Ven. *lumina* pro *proelia* Menag. pr. 398 *Dimittimus* Medic. c. caeteris fere omnibus. cf. Heinſ. etiam Goth. duo, at tertius *committimus. demiſimus* Leid. 399 *defugiunt* Sprot. et Menag.

inſigne habet. De mutatione autem clipeorum cf. Pauſ. IV, 28 f. 390. *Dolus, an virtus* ſit, adhibeatur. Mox *comantem galeam ἵππειν* — et *clipeum induitur*, loro ſuper humeros iniecto et inſerta manu anſae, ὀχάνῳ. vt ἐνεδύσατο. ἐγδύνε. cf. inf. 671. 672.

395. *Spoliis recentibus*, exquiſitius quam, nouis, aliis, quam quae habuerant, armis. 396. *Haud numine noſtro*, h. e. auerſo, nobis non propitio. *at ſi — Audiat auerſa*

Scandunt rursus equum, et nota conduntur in aluo.
Heu nihil inuitis fas quemquam fidere diuis!
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Mineruae,
Ad coelum tendens ardentia lumina frustra: 405
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.

401 *Scandere* Moret., bene, nisi *conduntur* sequeretur. v. Burm. 402 *quicquam* Wall. *quamquam* Bigot. *quenquam confidere* ed. Ven. 403 *sparsis* tres cum ed. Ven. *parssis* et a m. sec. *sparsis* Goth. tert. *virgo P. sparsis* Wall. a m. sec. 405. 406 Iidem versus in Ciri 402. 403 occurrunt. Versus 406 *Lumina nam t.* pro Virgilii epica grauitate paullo leuior nimisque ingeniosus videri potest. Iac. *Bryant* V. C. eum sublatum esse volebat; reuocatus tamen mox ea ratione, quod auctor Ciris eum versum iam legere debuit, quia illum ex Virgilio transtulit. *iam t.* Bigot. *geminas* Moret. sec.

non meus aure deus Tibull. III, 3, 28, vbi v. not. et h. l. Cerda. mox 402 *inuitis diuis.* ἀέκητι θεῶν. Nimis acute cum aliis apud Seruium Pomponius: „quia ferebant Mineruam, Graecorum numen, in clipeis, non Neptunum, Troianorum insigne.“ 397. *nox caeca,* in qua nihil cerni potest, vt iam supra, et saepe. 401. *Scandunt rursus equum.* Forte dictum nolis a poeta; nimis enim portentosum hoc; et abhorrens a fama virtutis Achiuorum; etsi *formidine turpi* adiecit. Certe sensum meum offendit in heroico carmine. Vidit hoc elegantissimus, dum viueret, Holdsworthius. *fidere* absolute pro audere; nimium rebus confidere.

403—406. Vim Cassandrae ab Aiace Oilei f. coram Pallade illatam esse vulgo memorant. Ita *trahi* potest doctius dictum videri. Potest tamen poeta simpliciter declarare voluisse, eam captivam vi abductam fuisse. Rem disertius expositam reieci in Excursum X* ad v. 403. Tenendum autem est, eam ad templum Mineruae confugisse, supplicem deae factam, ἱκετεύουσαν. *arcebant,* antique, continebant, coerce-

Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Coroebus,
Et ſeſe medium iniecit periturus in agmen.
Conſequimur cuncti, et denſis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Noſtrorum obruimur, oriturque miſerrima caedes,
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.
Tum Danai, gemitu atque ereptae virginis ira,
Vndique conlecti inuadunt; acerrimus Aiax,
Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis.
Aduerſi rupto ceu quondam turbine venti

408 *iecit* Ven. et Parrhaſ. cum Goth. tert. v. Burm. *medium mittit* Witt. *periturus* Heinſ. poſt Pierium e melioribus. Vulgo *moriturus*, ſollenni permutatione. v. Burm. 409 *concurrimus* alter Hamb. 411 *Obruimur noſtrorum* idem. 412 *horrore* Witt., vt ſup. 301; idem *tubarum* a m. pr., vt et alibi. 414 *vadunt* ed. Ven., vide ſup. 359. 415 *Dolopumue* ſcripti et edd. multi. 416 *diuerſi magno* Macrob. VI, 2, ſed vulgatam idem alibi et Lutat. ad Statium agnoſcunt. v. Burm. *aduerſo rupti* Witt. *quondam rupte ceu* alter Hamburg.

bant, ἔργον. Verſus 405 praeclarus eſt: at 406 *Lumina, nam t.* Ouidiano luſui propior eſt; Ouidius tamen caſtior nunc ipſo Virgilio, Met. XIII, 410. 411 *tractata comis antiſtita Phoebi Non profecturas tendebat ad aethera palmas.* 409. *Denſis armis*, vel ipſi denſis ordinibus, denſo agmine, vel irruimus in hoſtium denſum agmen. cf. v. 383.

410. *Delubrum* int. Mineruae, ex quo Caſſandra erat abducta. cf. v. 425. Erat autem illud in acropoli; ad hanc igitur iam peruenerat Aeneas, mediam per vrbem v. 359. 412. Quod arma, quae induerant, Graeca erant, et criſtae Graecae. 413. *Gemitu*, h. e. dolore, *atque ira ereptae virginis*, propter Caſſandram ſibi a Coroebo caeterisque ereptam, *in-*

Conſligunt, Zephyrusque, Notusque, et laetus Eois
Eurus equis: ſtridunt ſiluae, ſaeuitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.

217 *confugiunt* Goth. tert. a m. ſec.: forte cum fuiſſet *confugunt*. *Zephyrique* Rottend. ſec. *notus Eois* pr. Hamb. 418 *aquis* Ge. Fabric. emendare volebat; et ſic in vno Leid. ſuperſcriptum. Male. v. not. *ſtrident* aliquot; ſed *ſtridunt* etiam Probus agnoſcit ap. Heinſ. 419 *ponto* Menag. ſec.

vaduut vndique, collecti. Aiax eſt idem ille, qui Caſſandram abduxerat, Oilei f. Mox *gemini Atridae,* δίσσοὶ Ἀτρεΐδαι ap. Eurip. *Dolopes* v. ſup. II, 7.

417 — 419. Ad Homeri ductum Iliad. *ι*, 4—7 et Ennii ex Annal. XVII ap. Macrob. VI, 2, ſed multo ornatius et variate; porro Homerica cum arte, in comparationibus ei ſollenni, effectum rei attexuit: *ſtridunt ſiluae* etc. *Eurus laetus Eois equis,* ad ornatum ſpectat. *equi,* vt ἵπποι, Homerico vſu, pro curru. Bigis vecti venti apud poetas et ſculptores. Nec Ζέφυρον ἱππεύσαντα Eurip. Phoeniſſ. 220 et *Eurum equitantem Siculas per vndas* Horat. IV Carm. 4, 44 aliter accipere debebant quam de curru inuectis. Commune enim hoc omnibus diis, quoniam priſco illo tempore, quo religioſae hae notiones primum in hominum animos venerunt, bigis vecti reges vel quadrigis, nunquam equis inſidentes, conſpiciebantur. Itaque nemo vidit equitantem Iouem et ſic porro. Vana adeo Spencii ad h. l. ſubtilitas. *laetus* autem, vt ſuperbus, geſtiens, ἀγαλλόμενος. pro tenui, vectus. cf. I, 690. 276 et ſaepe. Caeterum Virgilium plures expreſſerunt. cf. Columna ad Ennium p. 114; adde inf. X, 356 ſqq. IV, 440 ſqq. Valer. Fl. I, 610 ſq. *Nereo* h. l. tridens tribuitur, quod notandum. *Spumeus* h. l. ſpuma maris adſperſus, ſpumoſus. *ſaeuit tridenti,* eleganter, vt alias *flagris, verbere,* infert tridentem mari, ad impellendum illud et fluctus excitandos.

Illi etiam, si quos obscura nocte per vmbram
Fudimus insidiis, totaque agitauimus vrbe,
Adparent; primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero. Primusque Coroebus
Penelei dextra, diuae armipotentis ad aram,
Procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus vnus
Qui fuit in Teucris et seruantissimus aequi:

420 *obscuram* Menag. sec. *per vmbras* pr. Hamb. *sub vmbram* aliquot Pieriani, et Leid. 421 *Fundimus* Gud. a m. pr. et quinque Heins. cum binis Burm., quibus adde duo Goth. *totamque a. vrbem* Longob. Pierii. *agitamus in vrbe* sec. Hamb. 422 *apparent primi:* alii distinguunt apud Pier. et *apparent primo* aliquot codd. ap. Heins. *clipei primos* Goth. pr. 424 *Illic* ed. Ven. *illicet* fere in libris scriptum; sed v. Pier. *illico* Goth. alt. *irruimur* Parrhas. 425 *Peneleo* Dornill. a m. sec. Vide sup. 392. In Homero est Πηνέλεως, sed et Πηνέλεος occurrit. *Rhipeus*, Ῥιπεύς, vidimus 394. 339. *Pelenei* Sprot. 426 *procubuit* Carisius lib. I Inst. Grammat. et Macrob. IV Sat. 3, cum Dornill. a m. sec.

420—423. *Illi etiam*, v. sup. 370, 383 sqq. *mentita tela*, falsa arma, quae nos Graecos esse mentiebantur, vt Seru. Mox 423 *signant* h. l. agnoscunt. Sic *notare* etiam vulgari sermone, et σημεῖσθαι, τεκμαίρεσθαι. Porro *ora sono discordia*, ad poeticae orationis genium, pro, obseruant discordiam et discrepantiam sermonis; quippe qui Troiani essent.

424—430. *Diuae a. ad aram*, in ipso adeo templo Mineruae sup. 403, nisi ante templum in προνάῳ vel in περιβόλῳ, vt et expressum vides in Tab. Iliaca n. 104. cf. Excurs. X. *Peneleus* hic alius esse debet, quam Homericus Boeotorum dux: nam is ab Eurypylo erat occisus, Telephi filio: Pausan. IX, 5 f. Dictys IV, 17. Eurypylum Antenoris filium memorat Pomponius ad h. l.; non video quo auctore. *cadit et Rhipeus, iustissimus vnus* omnium — *et seruantissimus aequi*, qui adeo cadere non debuisset, communi homi-

Dis aliter visum: pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro nec tela nec vllas
Vitauisse vices Danaum; et, si fata fuissent,
Vt caderem, meruisse manu. Diuellimur inde:

428 *visum est* aliquot Burm., quem v. ad Lucan. II, 5. 429 *Confossi* Vratisl. *a* deest Montalb., qui et a m. sec. *confisi. ab sociis* Exc. Burm. *Pantheu* Wall. *Phantu* Goth. alt. v. sup. 319. 430 *neque A.* Gud. c. binis aliis. 432 *nostro* Vratisl. *in hoc casu nostro* Goth., non infelici lapsu. 433 *manus* pro *vices* pr. Hamb. *si fata dedissent* Leid. tert. *tulissent* Bigot. et Zulich. pro var. lect., quod verum putat Burm., quoniam proprie ita dici solet. Ita vero quid facias sup. v. 54 *si fata deum, si mens non laeua fuisset.* 434 *mea* pro *manu* Sprot.

num iudicio; sed *diis aliter visum*, de caussis et rationibus, quae nos homines latent. Copiose de h. l. agit Burm. Laudant etiam Homericum Odyss. α, 234 Νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες.

431—434. Quanto cum affectu, egregia orationis inflexione, se incolumem abiisse narrat! cf. Senecae Troad. 28 sqq. Potest dubitari, *Iliaci cineres* et *flamma extrema meorum* sintne de rogo, an de incendio vrbis accipienda. *Iliaci cineres* ex loquendi vsu ad Ilium in cineres versum ducunt: tum: et vos, *o mei*, quibus incendium vrbis pro rogo fuit. *in occasu vestro*, sup. I, 238 *occasum Troiae tristisque ruinas*. Est tamen vsui magis consentaneum, *flammam extremam meorum* de rogo et funere, seu morte, accipere; Est quoque sollenne, *iurare* et *obtestari per cineres, rogum, flammam, carissimorum*. Testatur igitur funus patriae et funera suorum. Argutius enim quam par est foret, iungere: *cineres et flamma meorum*, epitheto adiecto *Iliaci*, quia Troiani erant aut cum Troia occubuerant. *vices* fortunae,

Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus aeuo
Iam grauior, Pelias et volnere tardus Vlixi:
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.

Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in vrbe,

435 *Yphitus, Iphytus, Ephitus, Hyphitus, Iphicus*, in libb. 436 *Pelia et v.* Barth. codex ad Stat. XI Theb. 310. *et* abest etiam a Parrhas.; Burm. coni. *Pelias ex vulnere t. V. Vlixi* Heins. e libris potioribus, vt et expressum ap. Gell. IX, 12. vulgo *Vlyssi.* alii *Vlixis, Vlixei.* v. Heins. Versus 435 et 436 Quintil. Inst. IX, 3, 35 laudat, vt exemplum regressionis. 437 *vocari* Heins. coniiciebat, vt sit pro vocamur. Interpungebat adeo plene post *Vlixi.* Heumannus, probante Burmanno distinguebat: *Diuellimur inde, I. et P. mecum (quorum — Vlyssi) Protinus ad sedes P. c. vocati.* Possit sententia vsque ad *Cernimus* continuari, vt sit: *Vlixi, Protinus — vocati, Hic vero — Cernimus.* Sed neutro opus. Iungenda sunt: *diuellimur inde; Iphitus et Pelias mecum* (sc. diuelluntur a caeteris), *clamore vocati ad sedes Priami.* Dum alii discurrunt, hi tres ad arcem pergunt.

casus, et quidem h. l. pugnae: quae, vt vidimus, modo secunda, modo aduersa fuerat. Recte adeo Seruius omnino per *pugnas* interpretatur. *manu meruisse* pugna, virtute, strage, quam inter hostes edebat. Ita Seru. *id est fortiter dimicasse; hi enim merentur occidi.* Centies autem *manus* pro *pugna.* Pompon. „*meruisse*, dimicasse; idem est merere, pugnare, dimicare.“ Respexit scil. stipendia. Iunxere alii *manu vt caderem.* Ita erit interpungendum: vitaisse vices; Danaum et, — *vt caderem, meruisse, manu. si fata f.* cf. sup. 54. 436. Gell. IX, 12 laudato loco: *quum diceret vulnus, non quod accepisset Vlyxes, sed quod dedisset.* Sunt autem hic *Iphitus* et *Pelias* diversi ab iis, quos Homerus memorat. Iung. *Iphitus et Pelias vocati.*

438—558. Sequitur narratio de pugna in Pergamo acropoli ad Priami domum facta, domus expugnatione et Priami caede. *Ceu nulla prius lamenta, nec atri Manasſent imbres* Statius III

Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris

440 *Hic M.* tres Heins. cum Zulich. a m. sec. Male puto. *ad bella* Exc. Cortiana Saxii. *que* non male abest a Goth. tert. 441 *alta* Hamb. pr. Bigot. et Zulich. Parrhasius in marg. scripserat *atra* (*s.* pro *arta*, vt in Silio mox laudando nonnulli legunt), perperam; sed et, *atra* superscripto, *acta* fragm. Vatic. *Testudo* proprie *agi* dicitur, etiam cum scutorum est. Eadem varietas ap. Silium I, 365 *condensis actae testudinis armis.* 443 *ac tela* Med. Gud. cum aliis apud Heins. et Pier.; it. Goth. pr., quod pravum est. Etiam in Seruianis occurrit cum altera lectione, *ad tecta* nonnulli Pieriani, cum fragm. Vatic. superscripto *tecta*. *que* abest post *clipeos* in tert. Moret. *clipeisque* Hugen.; vnde Heins. coni. *clipeisque ad tela sinistras P. a.*

Theb. 122, monente Burmanno.

441. Haud facile est speciem locorum assequi, qualem poeta apud animum suum finxerit. Puta ad ipsum aedium aditum fuisse, e more veterum, *turrim* eductam, quam 460 nominat; haec oppugnatur, et a Troianis desuper propugnatur. Aditum appellat nunc *limen*. *Acta testudine* scutorum haud dubie; συνασπισμῷ. nimis enim alienae forent ab illa aetate machinae bellicae. Praeiuerant antiquiores poetae graeci, vt colligas ex Quinto Cal. XI, 357 sqq., vbi simili modo oppugnantur moenia Troiae (cf. mox 443. 444). Mox *haerent*, in prosa, admotae sunt.

442. *Postesque sub ipsos Nituntur gradibus.* Cum *scalae* memoratae sint: *gradus* vix alii esse possunt quam scalarum; per quos *nituntur*, enituntur, *postes sub ipsos*, simpliciter, in foribus aedium. *Fastigia* pro ipso tecto dicta esse possunt; aut pro turris summa parte. ita ἐπάλξεις vt murorum, sic turrium, sunt. alioqui erant *fastigia* in templis et palatiis in fronte aedium. Voluit poeta cumulare vno in loco

Protecti obiiciunt; prenſant faſtigia dextris.
Dardanidae contra turris ac tecta domorum
Culmina conuellunt: his ſe, quando vltima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Deuoluunt; alii ſtrictis mucronibus imas
Obſedere fores: has ſeruant agmine denſo.

444 *preſſant* duo, et *penſant* alter Menag., ſolita aberratione. *dextris f. prenſant* tres ap. Burm. 445 *e contra* pr. Moret., male. v. Burm. *turres et* aliquot Pier. *tota domorum* poſt Medic. Pierii, Moret. tert. et Hamb. ſec. pro var. lect. et idem cum altera lectione in Seruianis laudatur. *tuta d.* Moret. qu. Sunt et viri docti, qui *Culmine* legunt, h. e. a culmine, vt v. 603, ſed v. not. 446 *hi* Sprot. et ed. Ven. *hisce et q.* Parrhaſ. et Goth. tert. a m. pr. Caeterum quorſum parentheſis hoc et ſequ. verſu faceret, non videbam: itaque eam ſuſtuli. 447 *in* abeſt a magna librorum parte, vt ferè alibi; ſed eſt in fragm. Vatic. et al. *parent* Parrhaſ. 448 *Aeratasque trabes* antiqui codd. apud Pierium, quod recte h. l. reiicit. *aeriasque* Hamburg. pr. pro var. lect., ſed v. Burm. *alta* in duobus aut tribus antiquis omiſſum viderat Heinſ. et in Gudiano eraſum; Pierius autem in nonnullis: *decora illa;* hoc et fragm. Vatic. habet, ſuperſcripto *alta;* quod defendi poſſit, et *decora ampla* ed. Ven. ſed *decora alta* verum eſſe, vel ex Statii imitatione apparet V Theb. 422. 423. Adde ſup. lib. I, 429 *columnas — ſcenis decora alta futuris.* 449 *fractis* Hamb. pr. *vnas* duo ap. Burm. cum aliquot Pierianis, perpetuo vitio. 450 *Obſidere* pr. Moret. cum

plures pugnae ſpecies. *obiiciunt ſiniſtris clipeos ad tela protecti,* vt aduerſus tela ſuperne miſſa protegerent ſe.

445. *Culmina domorum tecta,* docte pro ipſo tecto iisque rebus, quibus ſuperior domus pars tegitur, h. e. tegulis. *tecta penetralia* eodem modo I Georg. 379. Etiam *turres* pro eodem tecto dicit, quia altum eſt. Agitur autem de vna Priami domo: cui magnificentiorem ſpeciem adiecit, quam quae apud Homerum erat. 449. Videntur hi ſtetiſſe intra fores. cf. inf. 484. 485.

Inſtaurati animi, regis ſuccurrere tectis,
Auxilioque leuare viros, vimque addere victis.
Limen erat, caecaeque fores, et peruius vſus
Tectorum inter ſe Priami, poſtesque relicti
A tergo: infelix qua ſe, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata ſolebat

fragm. Vatic. Vide ad IV Georg. 436: ſup. 332, et al. *quas ſervant* Menag. pr. *aſſeruant* Leid. vnus a m. pr. *adſeruant* in Seruianis. *ordine longo* Bigot., memoriae lapſu, ex aliis locis. 451 *animis* pr. Moret. Montalb. ſec. Rottend. et Witt. Nec displicet, vt *ſuccurrere* infinitiuus hiſtoricus ſit. Vulgatam etiam fragm. Vatic. habet et Pompon. Sab. interpretatur. 452 *viros leuare* Wall., male. *et vim* Menag. pr. *vimque addere victi* coni. Heinſ. (ſcilicet, ſi *addere* pro finito modo poſitum eſt). *a. tectis* Bigot. et Wall. a m. ſec. 453 *deuius* Goth. tert. a m. ſec. 455 *quo* duo Burm. cum Goth. pr. *qua ſe infelix* Menag. pr. *tum r.* aliqui in Seru. 456 *Andromacha* alter Menag.

451. Hoc ipſo rerum adſpectu renouatum *in Aenea* conſilium ac propoſitum, quod iam pridem ceperat, (v. 315 *concurrere in arcem*), vt regiae Priamoque ſuccurreret.

453—458. Cum aditus ad regiam obſideretur ab hoſtibus, poſtica porta eam intrat Aeneas et a tergo peruenit ad portam regiae, qua parte verſus aditum a fronte domus pugnatur. Illa porta poſtica cum ornatu, quem tam vulgaris res vix videbatur capere poſſe, deſignatur per quatuor determinationes: eſt *limen*, ſunt *caecae*, h. e. ignotae aliis nec cognitu faciles et obuiae, *fores — peruius vſus tectorum Priami inter ſe*, h. e. qua commeare et conuenire ſe inuicem commode poterant, qui inhabitabant regiam; h. e. familia regia per plures domos, vt apud Homerum eſt, vel palatii partes diſperſa. *poſtes relicti a tergo*, h. e. porta, quae a tergo erat, oppoſita illi, quae eſt in aedium fronte. *ad ſoceros*, Priamum et Hecubam, — *trahebat*, accommodatum brevibus pueri greſſibus; pro ducebat. Sic ſup. v. 320 *parvumque nepotem Ipſa tra-*

Ad ſoceros, et auo puerum Aſtyanacta trahebat.
Euado ad ſummi faſtigia culminis: vnde
Tela manu miſeri iactabant inrita Teucri.
Turrim, in praecipiti ſtantem, ſummisque ſub aſtra
Eductam tectis, vnde omnis Troia videri,
Et Danaum ſolitae naues, et Achaïa caſtra,
Adgreſſi ferro circum, qua ſumma labantis

457 *Aſtyonacta* Wall. *Aſtianacta* alii. Totus verſus deerat Goth. pr. 458 *ad* omittit Eugraph. in Eunuch. Terent., ſane elegantius; ſed ſcriptis contra dicentibus; praeter Goth. pr.: Guiet. coni. *Euado hac ſ. f.*, quod et Seruius ſupplet. *inde* Sprot. 459 *iactabant vndique* Excerpta Burm. *inertia* a m. pr. fragm. Vatic. 460 *turrem* Cariſius lib. I Inſt. Gramm. agnoſcit. At Gellius XIII, 19 Valerium Probum *turrim* legiſſe teſtis eſt; nec aliter ſcripti. v. Pierium, Heinſ. et Erythr. Ind. h. v. 461 *inde* Sprot. 462 *Achaia*, forma poetae ſollenniore, Heinſ. tantum in recentioribus repererat; at accedentibus Franc. Witt. Parrhaſ. ed. Ven. et Doruill., quibus addendi nonnulli codd. Pierii, et primo omnium loco fragm. Vatic. p. 171, repoſuit Burmannus. Vulgo *Achaica*. Totus verſus deerat Goth. tert. 463 *circum ſerro* Parrhaſ. *quae* Gud. a m. pr. *labentes* duo Burm. cum binis Goth.

hit euado, ſc. hac porta ingreſſus regiam. 458. *Euado ad ſummi faſtigia culminis* 441. 445. tecti in ipſo domus aditu ac foribus.

460—467. *In praecipiti*, turrim in editiore loco poſitam, eandemque altiſſimam, hanc, ſiue ipſe adſcenderat, et culmen in hoſtem deiicit, ſiue e vicinis locis, vt equidem arbitror, ferreis vncis et contis quaſſatam et labefactatam *altis ſedibus*, e fundamentis, tandem in obſidentes deiiciunt. *qua ſumma tabulata dabant iuncturas labantes.* Scilicet turres habebantur quatuor et plurium tabulatorum adeoque et *contignationum;* quarum tigna vel trabes, capitibus ſuis, immiſſae eſſe debent parietibus. Iam h. l. *ſummum tabulatum*, cur proprie dictum nolis, cauſſa idonea non eſt: hoc facile admittebat vncos et contos

Iuncturas tabulata dabant, conuellimus altis
Sedibus, inpulimusque; Ea lapſa, repente ruinam
Cum ſonitu trahit, et Danaum ſuper agmina late
Incidit. Aſt alii ſubeunt: Nec ſaxa, nec vllum
Telorum interea ceſſat genus.
Veſtibulum ante ipſum primoque in limine Pyrrhus

464 *imis* Hugen. pro var. lect., ex interpretatione. In hoc et ſequ. verſu diſtinctionem mutaui. Nam ſententia non abſoluitur niſi poſt *impulimusque*. 465 *que* abeſt Franc. *et ea* Doruill. *Elapſa* pro *ea lapſa* Gudianus cum nonnullis aliis ap. Heinſ. et Burm., nec non cum Pierianis plerisque et duobus Gothanis; vitio tamen. *ruinas* Vratisl. 466 *agmine* ed. Dan. Heinſ.

in *iuncturis* ſuis (h. e. qua parte trabes inſertae et fultae erant pariete), quae facilius cedebant et inſertum vncum recipiebant, quam ſolidus paries; itaque *labantes*, cedentes, laxantes ſe. Seruius bene: *faciles ad reſolutionem:* et *dabant iuncturas*, plus quam *habebant;* praebebant ſcilicet aggredientibus turrim ferro. Quibus conuulſis ſuperior turris pars in oppugnantium capita decidit. *ruinam trahit* exquiſitius quam *facit:* et ſollenne hoc: ſolutis enim iuncturis et euulſis trabibus euelluntur et conuelluntur reliqua, vt ruentia ſequantur. Ἕλκ', ἡ δ' ἔσπετο πᾶσα Iliad. μ, 398, qui locus comparandus in τειχομαχίας narratione. Subeunt tamen alii in caeſorum locum v. 467, et interea ex poſterioribus ordinibus tela e longinquo ingeruntur. Narratio inde in ſolo Neoptolemo ſubſiſtit. v. 461 *vnde omnis Troia videri:* illuſtrant intpp. ex Il. ν, 13. 14; etſi ipſa turris poetae ex Iliad. Φ, 526 ſqq. nata eſſe videtur, vbi Hectoris fatum ex ea proſpicit Priamus cum Troianis. Egregia autem cum arte haec inſerta ſunt a poeta ad rerum faciem variandam, quod etiam Wartono obſeruatum.

469 ſqq. Expugnatur tandem regia per Neoptolemum Achillis f., qui ipſas fores

Exſultat, telis et luce coruſcus aena. 470
Qualis, vbi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat;

470 Vulgo interpungitur *Exſultat telis*, quod mutaui. *coruſcat* Montalb. Wall. et ed. Ven. *ahena* ſcriptum a ſec. manu in perueteri exemplari Gell. II, 3 teſtatur. 471 Praeſtat interpungere poſt *tegebat*, vt ſit: *Qualis* ſc. *exſultat coluber, quem tegebat. in lucem* offendit poſt *et luce* verſu ſup. et quod otioſum eſt: etſi aut *exſultat* repetas, aut ad *conuoluit* trahas. Burmannus Homericum ἐπὶ χειῇ comparans coni. *e luſtro*, vt referatur ad: *micat arduus*, dubitat tamen an *luſtrum* de ſerpentis cubili et latebra dicatur. Mihi videbatur *ingluuies* latere in corrupta lectione, quo ducere poſſunt *mala gramina paſtus* et *tumidum. paſtus ingluuiem mala gramina*, paullo exquiſitius, ſed propter hoc ipſum forte a librariis corruptum. Georg. III, 431 de ſerpente chersydro: *hic piſcibus atram Improbus ingluuiem ranisque loquacibus explet*: ex quo loco etiam alia in hanc comparationem traducta mox videbis. Vt igitur ibi *explere ingluuiem*, ſic h. l. dictum eſt *paſcere ingluuiem*, fere vt alibi *paſcere ventrem*. Silius autem *fatiare ingluuiem* dixit imitatione Virgilii lib. VI, 155 *Ingluuiem immenſi ventris grauidamque venenis Aluum deprenſi fatiabant fonte leones*. Malebat Valk. ad Theocr. p. 252 inter loca habere, quae Virgilius retractaturus fuiſſet. Schrader. varie tentabat locum: *in lucis. in ſiluis.* vt apud Silium XVII, 449, loco ex noſtro expreſſo, eſt *in campis*. Poterat et ſcriptum eſſe: *Qualis vbi exiluit* vel *exultat coluber*. 472 *ſub terram* Parrhaſ. v. IV Georg. 43 et Sil. VI, 160, et ſaepe. *gelidum*, ſed correctam, *timidum* Doruill.

erat aggreſſus. Nam hoc eſt *ante veſtibulum ipſum*, h. e. ianuam, qua illud intratur, *primoque in limine*. Egregie autem eum repraeſentavit: *exſultat*, pro pugnat. *telis et luce coruſcus aena*, h. e. armis, thorace, clipeo et galea, aereis, ſplendentibus; vt ſaepe apud Homerum λαμπόμενος ſimili in re. Iliad. υ, 341 ὅσσε δ' ἄμερδεν Αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἀπὸ λαμπομενάων.

471—475. Reſpexit locum Nicandri Ther. 31—34, ſimul tamen ad Homeri ductum, ſed ornatius et cum variatione, Iliad. χ, 93—95 Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέσεος ἄνδρα μένησι Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ' (*mala*, noxia et venenata, vt ſaepe, *gramina paſtus*) ἔδυ δέ τε μιν

Nunc positis nouus exuuiis nitidusque iuuenta,
Lubrica conuoluit sublato pectore terga
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis. 475
Vna ingens Periphas, et equorum agitator Achillis
Armiger Automedon, vna omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina iactant.

473 *Tum* pr. Hamb. *cum* aliquot apud Burm. *conpositis* alter Rottend. et Leid. a m. pr. *compositis* sec. Hamb., quod non displicebat Heinsio. Similis varietas III Georg. 437, vbi hic idem versus repetitur. 474 *corpore* Cod. Thuan. Macrobii V Sat. 5, perpetua variatione. *sublato pectora tergo* MS. ap. Pierium; male. Georg. III, 426 *anguis squamea conuoluens sublato pectore terga;* hinc τῷ *conuoluit terga*, quia fit *sublato pectore*, addi poterat ornate: *Arduus ad solem.* 475 idem versus III Georg. 439. cf. Silius VI, 222. 223. 476 *Peryphas, Peryfas, Perifas*, male in libris scriptum. 477 *Actomedon* et *Syria, Schiria, Seria* vitiose in libris. *Autumedon* Pompon. Sab. *omnes* Medic. 478 *succedunt muro* Seruius inf. ad v. 723, vbi et in MSS. *et flammam ad fastigia iactant.*

χόλος αἰνὸς, Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν, ἑλισσόμενος περὶ χειῇ (*lubrica conuoluit pectora*). ὣς δ' Ἕκτωρ — ἐχ ὑπεχώρει. At apud Virgil. Pyrrhus non sustinet hostem sed aggreditur. Porro *in lucem* trahendum aut ad *exsultat*, aut ad *conuoluit:* (sed v. var. lect.) *tumidum*, quoniam *gramina pastus*, quibus nouum vigorem sibi parauit, vt apud Nicandr. 33. 34. at gramina *mala pastus*, adeoque succis venenatis repletus, ex vulgari hominum opinione. Ap. Nicandr. Ther. 285 ἐπεί τ' ἐπορέσσατο Φορβῆς· at in Homero sunt, vt modo vidimus, κακὰ φάρμακα. Expressere hunc locum certatim alii, vt Statius IV Theb. 95 sqq. Silius XVII, 448—451. XII, 6—10. VI, 155 et passim alii. — 473—475. iam vidimus Georg. III, 437. 8. 9.

476—478. Occurrit Periphas apud Homerum, sed non hic; Automedontis ἱπποκλάτου, aurigae Achillis, saepius fit mentio. *Scyro*, insula de Cycladibus vna, copias adduxerat Pyrrhus, ab

Ipſe inter primos conrepta dura bipenni
Limina perrumpit, poſtesque a cardine vellit
Aeratos; iamque exciſa trabe firma cauauit
Robora, et ingentem lato dedit ore feneſtram.
Adparet domus intus, et atria longa pateſcunt:
Adparent Priami et veterum penetralia regum:
Armatosque vident ſtantis in limine primo.
At domus interior gemitu miſeroque tumultu

479 *correcta* vnus Leid. 480 *prorumpit* Menag. pr. *praerumpit* Venetus. *a c. rumpit* Wall. a m. pr. 481 *auratos* pr. Hamb. *ferratos* Voſſ. *et iam* Menag. pr. *exciſſa* Oudart. *cauabat* Longob.

ano Lycomede acceptas, cuius filia, Deidamia, Pyrrhi mater ex Achille. cf. Iliad. τ, 326 ſqq. Odyſſ. λ, 505 ſq. Sed fabulam de Achille apud Lycomedem latente Homerus non habet. *ſuccedunt tecto*, h. e. fores adoriuntur.

479—482. *Ipſe*, Pyrrhus, quis dubitet: ex 469. 470 et 491. *dura limina*, ipſas fores e dura materia, ilice, factas; eas etiam per *poſtes*, et quidem aere obductos, *aeratos*, intelligo, quos *vellit*, monet, labefactat, *a cardine*, e cardine vt emoueat, annititur. Nunc enim adhuc de conatu agitur. cf. 492. 493. Quintus Cal. X, 388 ſimilibus fere verbis: Ὥρμηναν δὲ πύλῃσι θεηγενέος Πριάμοιο Ἀθρόοι ἐγχριμφθέντες ὑπ' ἀμφιτόμοις πελέκεσσι Ῥῆξαι τείχεα μακρὰ, πύλας δ' εἰς ἕδας ἐρεῖσαι Θαιρῶν ἐξερύσαντες. Tandem perruptae et perforatae fores laxata aſſerum vel tignorum coagmentatorum compage: *iamque cauauit robora firma*, fores roboreas, *exciſa trabe*, aſſere, et *dedit*, effecit, *feneſtram*, aperturam, *ingentem lato ore*, foramine, quo proſpectus intra atrium efficitur: 483.

483 ſqq. Ad affectum haec magna cum arte traducta eſſe, iam alii poſt Scaligerum viderunt. 485. *Armati* ſunt, qui v. 449. 450 memorabantur.

486 ſqq. Proprie *clamor*, *lacrimae*, *gemitus miſcetur*,

Miſcetur; penitusque cauae plangoribus aedes
Femineis vlulant; ferit aurea ſidera clamor.
Tum pauidae tectis matres ingentibus errant,
Amplexaeque tenent poſtes, atque oſcula figunt.
Inſtat vi patria Pyrrhus; nec clauſtra, neque ipſi
Cuſtodes ſufferre valent. Labat ariete crebro
Ianua, et emoti procumbunt cardine poſtes.

487 *clangoribus* quatuor ap. Burm., ſollenni varietate. 490 *poſtes* ex Probi ſententia. *poſtis* alii. v. Pier. *poſtesque et* Witt. *fingunt* Ven. et Leid. vnus a m. pr., vt ſaepe alibi. 491 *neque ipſi* Heinſ. e Medic. et aliis. Vulgo *nec*. 492 *ſubferre* aliquot. *proferre* ſec. Moret. 493 *emoto cardine* Nonius ap. Pierium, Hamburg. et ed. Ven. Sane vtrumque recte dicitur, etiam a poeta. v. exempla ap. Heinſ. et inf. v. 610. VI, 382; vulgatam tamen ſuauiorem eſſe puto. *remoto c.* Franc. *ordine p.* Bigot.

quatenus promiſcue a pluribus vel diuerſis fit; hinc, ſi quo in loco hoc factum ſignificatur, vt h. l. in domo ipſa, *domus miſcetur gemitu*, pro pedeſtri: *impletur*. Mox *cauae* cum dilectu poſitum epitheton reſpectu habito ad ſonum. *vlulant* exquiſitius quam *reſonant*; exemplo Graecorum βοᾷν in ſimili re, v. c. Eurip. Troad. 29. Proprie vlulatus ſit in aedibus cum plangoribus, qui reſonant. Porro verſum 486 ex Ennii Annal. II de Albae excidio eſſe translatum Seruius ad h. l. notat. cf. inf. XI, 213 ſqq. et Liuius de Alba I, 29. *Quod matres* familias *errant*, discurrunt, per tecta, id ex veterum moribus tanto magis ad affectum, quod thalamo incluſae alias latebant. *oſculantur poſtes* (cf. Ouid. Met. XIII, 412. 413), quippe vltimum vale dicturae, iamiam ab hoſte abſtrahendae. Apollonium IV, 26 iam Seruius huc aduocauit; et Arioſti locum egregium (*Cant.* XVII *Stanza* 13) Wartonus.

491—493. *Vi patria.* πατρὸς ἔξ κατοιμένος ἀλκήν Quint. Cal. XIII, 219. *ſufferre*, ſuſtinere Pyrrhi impetum non potuere nec *clauſtra*, h. e. fores roboreae v. 481. 482 firmitate ſua, *nec*

Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Inmissi Danai, et late loca milite conplent.
Non sic, aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque euicit gurgite moles,
Fertur in arua furens cumulo, camposque per omnis
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Caede Neoptolemum, geminosque in limine Atridas.
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras

494 *irrumpunt* Hamburg., minus bene. *rapiunt* MS. Fabricii, bene, sed non h. l. 496. 497 *cum spumeus exit Amnis et oppositas euincit* Hamb. pr., a manu interpolatrice. 497 *eiecit* Ven. *erupit* Macrob. V, 5. *trahit de g.* Scheffer. ex v. 499. *oppositas euincit* Goth. tert. 498 *arma* duo ap. Burm. *tumulo* ed. Ven. 499 *rapit* Menag. pr., vt et alibi permutatur cum *trahit*. *parat* Hamb. sec. *frementem* Parrhas., quod praeferas post *furens* 498. 500 *que* abest Bigot. *Atrides* pr. Hamb.

ipsi custodes, qui v. 485 et 449. adstant foribus, pugnaturi. Burmannus mauult: *sufferre* sc. se, sustinere se. *arietem* nolim accipere proprie; quippe quod inuentum Troianis temporibus serius est. cf. ad 441. Sed de arietatione et pulsatione ac concussione forium ad arietis instar. 494. *Rumpunt aditus*, faciunt sibi aditum; at quanto potentius illud! Tandem fores emotae sunt, irruunt Achini.

496—499. Irruunt, fluminis instar exundantis, rupto aggere. v. sup. ad 305, vbi huius comparationis semina in locis Homericis et Lucret.: sed ornatius omnia Virgilius suoque more. Expende singula. *fertur cumulo* aqua cumulata. v. sup. 105 *insequitur cumulo praeruptus aquae mons*. 499. 500. Καὶ τὸν Φυτεργὸν Πρίαμον — τοῖσδε δ' εἶδον ὄμμασιν Αὐτὴ κατασφαγέντ' ἐφ' ἑρκίῳ πυρᾷ Eurip. Troad. 481 sqq. 501. *Centum nurus* latius dictum, quinquaginta enim erant filiae, totidem filiorum

Sanguine foedantem, quos ipſe ſacrauerat, ignis.
Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum,
Barbarico poſtes auro ſpoliisque ſuperbi,
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis. 505
Forſitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.

503 *Q. intus th.* Goth. pr., non male. *ſpes illa* legunt nonnulli apud Pierium, et ſic edit. Iunt. *ſpes quanta* vnus Pierii, ab interpolatore. *ampla* Medic. Pierii, Gud. ed. Ven. cum Goth. ſec. *alta* Scheffer. 506 *fuerint Priami* Oudart. *fuerunt* Franc. a m. pr. *requiris* tres Burm. *requires* Witt. Voſſ. et Cariſius Grammat.

vxores ſeu nurus. Mox 503 *quinquaginta thalami* ſecundum Homer. Iliad. ζ, 243 ſqq. vbi XII thalami filiarum ſunt. 502. In toto loco ante oculos Enniana illa apud Ciceronem Tuſc. Qu. I, 35 ex Andromacha: *O pater! o patria! o Priami domus — Vidi ego te, adſtante ope barbarica* (vt hic v. 504) *Tectis caelatis laqueatis, Auro, ebore, inſtructum regifice — Haec omnia vidi inflammarier, Priamo vi vitam euitari, Iouis aram ſanguine turpari. ſoedantem* plus quam cruentantem. *ſacrauerat*, accenderat diis Penatibus.

503 — 505. *Quinquaginta illi thalami*, illi tam magnifice exſtructi, proſirati iacent. *Barbaricum aurum*, h. e. Phrygium, vt ſaepe poetae; et modo Ennius, quem Maro expreſſit. (Vide vel Cerdam et Guellium, quosque Burmann. laudauit.) cf. inf. XI, 769. 770. Φρυγία σπυλεύματα dixerat Eurip. Troad. 18. de hoc ipſo auro. Nec in eo argutandum, quod h. l. verba Troiani illa ſunt: vtitur enim ille ſermone Romano, adeoque vſum eius ſermonis ſequitur. Petiere eum vſum Romani a Graecis, quibus Troiani, et hinc Phryges, inprimis dicti barbari. Non ſunt iidem thalami, ſed de tota regia accipiendi ſunt. *poſtes ſpoliis ſuperbi*, ornati, Romanorum notiſſimo more. v. inf. VII, 183 — 186. *Tenent Danai*, h. e. occupata habent loca, quae ignis nondum peruadit.

506. 512. Cf. Excurſ. XI de Priami nece. Tota nar-

Vrbis vti captae casum, conuolsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem:
Arma diu senior desueta trementibus aeuo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe,
Ingens ara fuit; iuxtaque veterrima laurus
Incumbens arae, atque vmbra complexa Penates.

507 *vti* Heins. reposuit e Mediceo aliisque melioribus. Vulgo *vbi*, quod interpretamenti loco esse potest: *vbi hic* Ven. et Parrhas. *casus* Hamb. pr. *collapsaque vidit* Schol. Iuuen. ad Sat. X, 268. 508 *mediis penetralibus* et *mediis in p.* passim codd. ap. Pierium, Heins. et Burm., manifesta corruptela exquisitioris formae: *medium in p. hostem.* vide sup. I, 348, et saepe alibi. cf. Burm. *in* omissum in nonnullis. 509 *senio* Goth. pr. *distincta* Wall. *timentibus* Rottend. sec. 510 *nec quicquam* Franc. cum al. 511 *hac densos* tres Burm. *moriturus fertur* Oudart. *ad hostes* aliquot Pierii codd.

ratio, intexta inprimis Politis caede, egregia cum arte elaborata est ad summam miserationem cum horrore: notatis scilicet cum dilectu et ante oculos positis iis, quae in fato multis communi propria tamen inprimis essent huic seni et summopere miseranda. Commendat eum, quod herois personam grandaeuus adhuc seruat; vbi vidit fores conuulsas et deiectas, armat se; reuocatur tamen ab vxore, et supplex sedet in ara.

512. Graecis poetis erat ara Iouis Hercei in atrio aedium Priami, ἐν αὐλῇ, v. Excurs. laud.; eam aram Virgilius in impluuium transtulit, *nudo sub aetheris axe*, sub aethere, sub dio, vt Penatium ara esset; propius hoc ad Romanum morem. — 513. Notabis morem, aras sub arbore poni solitas; alibi

Hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae, et diuom amplexae simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum iuuenalibus armis
Vt vidit: Quae mens tam dira, miserrime coniunx,
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, et sacra longaeuum in sede locauit.

515 *altaria cingunt* Goth. tert. 517 *sedebant* Heins. iterum reduxit vetustiorum codd. etiam Pierianorum auctoritate; et recte idem Burmannus monet conuenire τῷ *altaria circum* et *condensae*. Vulgo *tenebant*, quod cum multis aliis Medic. a m. pr. habet et Ge. Fabricius ex Ouid. XIII Met. 413 defendere volebat. *ferebant* alter Moret. 518 *iuuenalibus* Heins. cum Medic. et aliis melioribus, etiam Pierii. Vulgo *iuuenilibus*, at poeta rarius sequi debet. 521 *non def.* Montalb. *def. astis* Menag. pr. 522 *meis* Montalb., male v. I, 232. III, 489 Burm. 524 *Vel m.* Parrhas. *affata* plures Burm. 525 *longaeuom* Gud. *in* abest Excerptis Burm. et Goth. tert. *a sede* Bigot.

in *media* area. — 517. *Sedebant* ἱκετεύουσαι. vnde 523. haec ara *tuebitur*, iure ἱκετείας. — at sedebant *nequicquam*, nullum fructum salutis e loci sanctitate habiturae. — *praecipites*, deuolantes ad loca tuta. — 519. *Mens dira*, quae dira, male ominata, abominanda consilia agitat. — 522. *eget*, non locus est. — 525. *Sacra sede*, ara, v. 513. et *altare*, 515.

526. *Polites* inter Priami filios iam ex Homero notus; celeritate pedum insignis statim Iliad. β, 791 memoratus idem inter pugnantes. Eius filium, Priamum, videbimus

Ecce autem elabſus Pyrrhi de caede Polites,
Vnus natorum Priami, per tela, per hoſtis
Porticibus longis fugit, et vacua atria luſtrat
Saucius. Illum ardens infeſto volnere Pyrrhus
Inſequitur, iam iamque manu tenet, et premit haſta.
Vt tandem ante oculos euaſit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,

528 *fuit* duo Burm., vt ſorte alibi. *fugiens vacua* Bigot. 529 *infecto* ſec. Moret. et ed. Dan. Heinſ. *infauſto* Menag. pr. *infeſto in vulnere* Oblongus Pierii, ſaucius enim erat Polites; quod ferri poſſet. 531 *euaſit et ante p.* quidam Pieriani, e gloſſa. 532 *et vitam multo* Wall. *fundit* plerique Pieriani. 533 *in* deeſt ſec. Menag. Hamb. ſec. et Parrhaſ., quod et ipſe abeſſe malim. *me-*

inter Aeneae ſocios inſ. V, 564. De Politis caede v. in Excurſ. XI.

528. *Porticibus longis.* Si Homerica et non ſua potius tempora ſequutus eſt, αἴθουσαν expreſſit, quae αὐλὴν ab vtraque parte ornabat. Mox *luſtrat* h. l. diſcurſu, et *vacua* cum dilectu, vt ſignificet Troianos iam fuga diſperſos, cf. Burm. ad Val. Fl. IV, 21. 529. *infeſto vulnere inſequitur*, infeſte, hoſtili more, vt vulnus inferat; ſed alterum multo magis poeticum, *vulnere infeſto*. At *vulnus* de telo h. l. poſt alios accipit Burm.; vt ſane ſaepe vulnus reddi poteſt. cf. inſ. VII, 533. X, 140. XII, 376: ſcil. quando de telo ita agitur, vt vulnus ab eo factum ſimul memoretur. *premit haſta*, exquiſitius quam transfigit. cf. IX, 330. Proprie *premit haſtam* is, qui eam infigit, adigit, ἐρειδόμενος. Polites igitur vulneratus fugit, alter inſequitur, nouum vulnus illaturus. In 531. 2. miſeratio ad ſummum affectum adducta: quod concidit ille in parentum conſpectu.

533 — 543. *Media morte*, praeſenti mortis periculo.

Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est coelo pietas, quae talia curet,
Persoluant grates dignas, et praemia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios foedasti funere voltus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.

dia iam in pr. Moret., vide sup. 508. 535 *Ac tibi* ed. Ven. *Et t.* Voss. *pro scelere tanto* pr. Hamb. 536 *si qua coelo* Bigot. *si qua coelo est* Doruill. *in coelo* Leid. *est pietas coelo q. t. curat* Menag. pr. *curent* Medic. et Parrhas. 539 *f. vulnere v.* Ven. Parrhas. sec. Hamb. et Goth. pr. *sanguine* Bigot. a m. pr. Doruill. et Wall., quae sollennes sunt aut aberrationes aut interpolationes. Posterius quidem non displicere video Burmanno ad Anthолog. Vet. Lat. p. 338, nec, quod ad sensum attinet, dissentias; sed *funus* haud dubie exquisitius poetaque dignius. *Fecisti, patrios f. et v.* sec. Moret. *vultos* Medic. pro *voltus* v. Heins. 540 *a quo te* Reg. 542 *exhibuit* Bigot. *que* abest a nonnullis Pierii, Heins. et Burm. 543 *recessit* Parrhas.

abstinuit exquisite, continuit se. 536. *pietas* h. l. respectus ac miseratio eius, qui indigna patitur. *grates* h. l. poena: et sic *praemia* frequentius. *patrios foedasti funere voltus*, grauissimis verbis et atroci spectaculo accommodatis. Re funebri pollui et contaminari homines, religiosa erat opinio; et adspersio eius, qui caeditur, cruore foedatur, cruentatur, aliquis. h. l. ipsi *voltus*, tantum non adspersi et contaminati *funere*, caede, sanguine. (*funus* per cadauer interpretatur Seruius.) Forma versus 540 *At non ille* sqq. illustratur a Burmanno ad Anthолog. Poet. Lat. p. 338. *in hoste* exquisitius quam *in hostem*. v. Drakenb. ad Liu. XXVIII, 43, 8. Respicit autem redditum Priamo cadaver Hectoris Iliad. extr. *iura*

Sic fatus ſenior, telumque imbelle ſine ictu
Coniecit: rauco quod protinus aere repulſum,
Et ſummo clipei nequidquam vmbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo haec, et nuntius ibis
Pelidae genitori. Illi mea triſtia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

544 *fatur* Bigot. et Leid. vn. 545 *Proiecit* Parrhaſ., quod admodum ſe commendat, vt hoc verbo irritum ictum notet, vel Burmanno iudice. *repulſum eſt* Puget. Parrhaſ. et ed. Ven. cum Goth. tert. *ſepultum* et *ſepultum eſt* e ſuis codd. laudat Pierius, vnde Gifanius faciebat *repultum*, antique pro *repulſum*; Male. v. Burm. 546 *E ſummo* Vratisl., vt dudum ipſe malueram. *et* non citat Lutat. ad Stat. I Theb. 377. *repellit* alter Hamb. 547 *Cum P.* tertius Moret. *tum* ſec. Moret. 548 *illic* Zulich., et mirum veteres *illi* pro aduerbio h. l. accepiſſe. Sic Donatus et Seruius. *fata* ſec. Moret. Sprot. et Donat. ad Terent. ap. Heinſ. *dicta* Nonius in *triſte*. Sed v. not.

ſidemque ſupplicis, τὸ ὅσιον τῆς ἱκετείας, ſanctitatem ſupplicis, nam de *fide* proprie dicta et ſupplici data h. l. agi nequit: ſed eſt *fides* quam ſupplex habet in religione eius, cui ſupplex ſit. Tum ſupplex *in fidem alicuius* h. e. tutelam venit; debetur itaque ei incolumitas. Nunc *fides* eſt id, quod alter facit aut facere debet, propter fidem ab alio in ſe poſitam. *ſepulcro*, ad ſepulturam. *in mea regna*, in regiam. Sequutus eſt noſtrum Seneca Troad. 1103.

544—549. *Sine ictu*, quod vulnus non faceret, non penetraret; ſed perforato corio, quo ſcutum erat inductum, (nam mox, *pependit*) ab aere reſiliret. νωΦὸν βέλος dixit Hom. Iliad. λ, 390. *rauco aere*, aereo clipeo, qui percuſſu raucum, ſurdum, ſonitum edebat — et, *nequicquam*, ſine effectu et vulnere: etſi Seru. per, non, interpretatur. *pependit* in clipei pelle, vt Burm. (Male Seruius) qua aes clipei inductum erat. Sin aeream clipei ſuperficiem fuiſſe malis, dicendum eſt, haſtae aciem aes penetraſſe quidem, ſed impetu debilitato haeſiſſe, nec vlterius prouectam.

Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo labsantem sanguine nati,
Implicuitque comam laeua; dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit, ensem.
Haec finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam, et prolabsa videntem
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum

550 *Hoc* Heins. consensu codicum, etiam Pierianorum; vulgo *haec*. 551 *laxantem* Ven. pr. Hamb. et Goth. pr. 552 *impleuitque* sec. Hamb. *coma* Gud. a m. pr., non male, si *laeuam* legas cum Burm. 553 *scapulo* Sprot. a m. sec. et Witt. *addidit* idem cum Goth. sec. 554 *Haec finis* v. Gell. XIII, 20, et Heins. ad Aen. III, 145. *Hic f.* duo Goth. *Hic f. Priami, hic fatorum exitus* Francian. *hac exitus illum forte tulit* coni. Heins. 555 *et lapsa* aliquot ap. Burm. 556 *populis quondam* Parrhas. et Wall.

Saepe de ictu imbelli talia apud Homerum, v. c. Iliad. γ, 347 sqq. et de Aenea clipeum Achillis feriente Iliad. υ, 267 sq. *tristia facta*, atrocia h. l. Mox de sarcasmo ex Homero ducto: *Referes ergo haec* etc. videndus est Popius ad Iliad. XIII Obs. 31.

550 sqq. (Seneca expressit Troad. 44 sqq. vbi *Aeacidae* retinendum). In ipsa ara tamquam victimam immolavit Priamum Neoptolemus. *implicuit comam*, ergo cum caeteris armis v. 509 sq. galeam non sumserat. *extulit ensem*, non, vagina extraxit, monet Burmannus: sed sustulit, intentauit. Versu 529. 530 *hasta* vtebatur Pyrrhus; cum eminus poteret Politen.

554 — 559. Epiphonema ad commiserationis affectum praeclare compositum; simplex tamen et obuium. Placet non minus illud de Achille apud Ouid. Met. XII, 615. 616. *Iam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, paruam quod non bene compleat vrnam.* Sententia inde a multis expressa. *forte*, fatali necessi-

Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus,
Auolsumque humeris caput, et sine nomine corpus.

557 *aequore* pro *litore* Doruill., Burmannus coni. *limine* sc. regiae. Non est sollicitanda bona lectio, quam confirmant Manilius et Seneca. v. not. 558 *auolsumque* Gud. cum Medic. *abscissumque* Oudart. et Leid. vnus; sed atrocius *auulsum*. v. Burm.

tate abstulit. Seru. *Asiae*, magnae saltem partis Asiae minoris. v. Strab. XIII pag. 875 A. *regnatorem populis*, pro populorum: nisi melius est, *regnatorem Asiae, superbum tot populis terrisque* pro vulgari, tenentem terras. *iacet ingens littore truncus*. Scilicet insepultum proiectum fuit Priami corpus. Hoc alii simpliciter narrant, nulla apposita loci notione; praeter Quintum XIII, 241. 244, Seneca Troad. 54 sqq. Auson. Epitaph. 23, quod ex nostro adumbratum est. Eurip. Troad. 1313. Σὺ δὲ Πρίαμε, Πρίαμε,— ἄταφος, ἄφιλος, ἄτας ἐμᾶς ἄϊστος εἶς. Adiiciunt alii *littoris* notionem, vt adeo corpus ab Achiuis *ad littus tractum, et illic relictum sine capite* fuerit, vt Pompon. Sab., quae vnice vera interpretatio, obuia eadem in Seruianis; vnde etiam intelligitur, ad Pacuuii tragoediam poetam respexisse; quamquam locus, qui ibidem adscriptus fuerat, excidit. Nisi forte fuere verba illa Ennio ab aliis tributa Tusc. Qu. I, 44 [*Heu*] *Reliquias semiassi regis denudatis ossibus Tetra* (nam sic cum Dauis. legendum) *sanie delibutas foede diuexarier*. Sed imitationem notarunt viri docti ex Manil. IV, 64. 65 *Priamumque in littore truncum, Cui nec Troia rogus*, et Seneca ex hoc eodem loco Troad. 140 *magnoque Ioui victima caesus Sigea premis littora truncus*. *Littus* de Troia, tamquam *littorali plaga*, accipere, durum arbitror. Quod Seruius addit, Pompeii tangere historiam Virgilium, hoc eo dumtaxat pertinet, quod huius loci maior ac suauior aliquis sensus esse debuit Romanis, qui Pompeii simile fatum memoria tenerent. *sine nomine corpus*, sine nota, qua agnosci posset, quatenus sine capite et vultu erat.

At me tum primum saeuus circumstetit horror.
Obstupui; subiit cari genitoris imago,
Vt regem aequaeuum crudeli volnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus, et parui casus Iuli.
Respicio, et quae sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
[Iamque adeo super vnus eram: quum limina
Vestae

559 *Vt me* Menag. sec. *cum primum* quatuor Burm. *at mecum p.* Witt. *error* Hugen. 561 *funere* Oudart. et Parrhas. a m. pr. v. sup. 539. 562 *subit et* multi Pierii, Heinsii et Burm. Cur vero ante *Subiit* maiore distinctione sententiam iugulent vulgo editiones, non video; itaque eam mutaui. 563 *vt d.* codices ap. Pier. *et deserta* alii ap. eund. 564 *Despicio* Oudart. *me circum* Heins. e codd. vt mollius; vulgo *circum me.* In Wall. a m. pr. *quae sit rerum mihi copia.* 566 *dederunt* Bigot. 567 Versus hi XXII

559 sqq. Hic artem poetae agnosce. Priami casu conspecto patris Anchisae reminiscitur. Quis Aeneae in patrem, omninoque in suos, pietatem nunc eum rerum cardinem fore expectabat, quo narratio ad id, quod rerum caput erat, Aeneae discessum, conuerteretur? Et quam accommodata haec Aeneae personae! et quam apta ad studia nostra animosque in virum tam eximiae pietatis conuertendos? 563. *Direpta domus*, in prosa, direptio domus meae animo obiiciebatur, quasi iam facta. *casus Iuli*: quid Iulo accidere possit. Mox 564 *copia* docte pro copiis; notant Grammatici. cf. Burmannus. 565. Aeneam e turri pugnantem meminisse necesse est, supra v. 458. 460 sqq. incendio iam per regiam Priami sparso desiliunt alii in terram, alii dum vires ad fugam capiendam deficiunt, igni absumuntur. *corpora aegra*, quia *defessi* pugnando, exhausti viribus.

567—574. Sequuntur verss. XXII a codicum parte exu-

vsque ad v. 588 ab omnibus Pierii, Heinsii, et Burmanni codd. aberant, excepto Menag. alt., in quo recentiore manu erant adscripti, addita subscriptione: *Ista metra non sunt de textu.* In nonnullis ap. Burmannum (non in omnibus libris, vt Catroeus iactat) non hic sed initio Aeneidis exarati reperiuntur. Neque hos versus Seruius, Donatus, et Pomponius interpretantur. Desunt etiam in edd. nonnullis antiquis, sed paucis. E Codicibus vnum Dorvillianum, nullius auctoritatis codicem, Burmannus memorat, in quo illi legebantur. At e nostris Gothanis primus et secundus eos exhibent, vt et Bongarsi. alter in Excerptis Cortii et Vaticani nonnulli, sed omnes recentiores. v. praef. Bottarii ad Fragm. Vatic. p. VIII. Iam hos versus Virgilianos esse, non est, quod dubites, si eorum indolem et numerosam venustatem exquiras. At relictos mox ab ipso vel ab aliis resectos esse necesse est. In Dorvilliano adscriptum erat: *Tucca et Varus* (l. Varius) *detraxerunt haec Virgilio carmina, quum emendarent hunc librum iussu Octauiani* (cf. Vitam Virgilii c. 14. 15). Similis nota in aliis quoque occurrit, vt in Brunckianis. Etiam in Hamb. sec. et in Guelpherb. vno, quod in Excerptis Cortii notatum video, similis nota occurrebat; addita ratione: *Sed Tucca et Varus hoc* (quod Aeneas Helenae manum inferre volebat) *non competere stilo heroico, quia turpe esset viro forti in mulierem manus iniecisse, illos subtraxerunt.* Hausta videntur haec ex Seruio, quem v. ad v. 592, vbi additur alia caussa, cur sublati fuerint, quod contraria his (et sup. versibus 310 sq. *iam D.*) dicantur Aen. VI, 510 sqq. Quod quidem paullo grauius, alterum vero leuissimum est argumentum; non enim indecorum videri Aeneae, quod Helenae, omnium malorum caussae, conspectu, paullo grauius exarserit, si penitius rem inspicias, facile intelligas. Neque sine iis versuum 589. 592. 594. 595 sententia constat. Si tamen sublati fuere ii versus, Tuccae et Varii iudicio, aut forte ipsius Virgilii, cum in eius autographo essent expuncti, melioribus nondum substitutis, mirandum hoc non est, quod sententia sine illis versibus constare nequit, cum sublati quidem illi, non autem totus locus immutatus, nec in expunctorum locum alii repositi sint, nec reponi potuerint. In Seruio P. Danielis leguntur haec ad v. 566. *Posti hunc versum versus fuerunt, quos Tucca et Varus obliti sunt,* vt in poematis recensu

lantes, quos narrant a Tucca et Vario recisos. v. V. L. De Helena ab Achiuis recuperata v. Exc. XII ad h. l. *Super vnus eram.* οἰώθην Homericum, vt Iliad. λ, 401. *Erranti;* ergo Aeneas iam de turri vel tecto regiae desiluerat, et per regiam errabat vacuam, vt sup. v. 528. *inuisa,* abdita. Sic melius, puto.

Seruantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti. 570
Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros,
Et poenas Danaum, et deserti coniugis iras,
Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris inuisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem 575
Vlcisci patriam, et sceleratas sumere poenas.
Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet, partoque ibit regina triumpho?

siue casu, siue alia de caussa, forte, quia in poetae autographo erant in margine scripti, omissi fuerint. Enimuero panno illi assuto parum fidei haberi potest; et videtur *obliti sunt* praue pro *omiserunt* dictum esse. Defenderunt hos versus multi ap. Burmann. suo quisque more, quos vide; inprimis *Campani* Quaestionem Virgilianam super h. l. et cum iis Trappium ad h. l. *lumina* ed. Iunt. *vasto* Rottend. sec. a m. sec. *vaste* et *vastae* aliquot ap. Burm. 568 *tacita* Voss. 569 *Tyndaridem* ed. Ven. 570 *per c. tuenti* ed. Ven. 571 *obuersaque P.* ed. Ven. 572 *Et Danaum poenas* vel *poenam* alii ap. Burm. *Et D. poenas deserti et* Goth. sec. 573 *Praemetuens* Heins., cum melioribus. Vulgo *permetuens. patriae c. ob iras* Goth. sec. 574 *Argis* MS. in Seruio Dan. et Goth. sec. 575 *ignis* duo Burm. 576 an: *sceleratae sumere poenas* h. e. de sceleratа? vt malim, inf. 585 *merentis sumsisse poenas*. Et sic iam Valesium coniecisse docet Cuningh. Inde a 577. 578 XII versus stellulis notati sunt in splendidissima editione Parmensi Bodonianis litterarum typis exarata, tanquam Grammatici alicuius acumini debiti, cum decem superiores et Marone digni esse et ad sententiam necessarii videantur. 578 *regnata tr.* MS. in Seru. Dan. cum Goth. sec., sed v. Burm.

575 sqq. Sequentia ex Euripideis expressa in Oreste v. 1132 sqq. *Exarsere ignes animo* pro vulgari *animus ira exarsit. subit ira* h. e. impetus ex ira, vt vlciscerer excidium patriae. *sceleratas poenas*, paullo insolentius,

Coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine litus?
Non ita. Namque, etſi nullum memorabile nomen
Feminea in poena eſt, nec habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, et ſumſiſſe merentis
Laudabor poenas; animumque expleſſe iuuabit
Vltricis flammae, et cineres ſatiaſſe meorum.

579 *patris* alter Menag. 580 *et* deeſt nonnullis. 581 *ferro Priamus* Goth. ſec. *ferro vt P.* Menag. *ferro Priamo vt* tres Burm., alius *f. Priamus vt.* Reg. *ferro pro Priamo vt Troico.* Lintina *a. ignis.* 582 *ſudaret* vel *ſudari* Reg. *ſudauit* al. in Seru. Dan. Porro Heinſius poſt Valeſ. coni. *vndarit*, quod valde arridet. ſed v. not. et Drakenb. ad Sil. II, 455. *Dardanio* vnus Guelph. in Exc. Sax. *Dardanidum* alius. 584 *habet haec* quatuor Burm. et Seru. Dan. cum Goth. ſec., male. 585 *tanti et ſ.* ed. Ven. *merentes* alter Menag. cum MS. in Seru. Dan. et ſic explicat *merentis* Heinſius. Enimuero vide annon malis *poenas ſumſiſſe merentis* exquiſite pro *a merente.* 586 *animum expreſſiſſe* ed. Ven. 587 *famae* MS. in Seru. Dan. cum vtroque Goth. et ed. Iunt. *flammam* Rottend. *famam* ſex Burm. Malim reſingere cum Burmanno: *vltrici flamma*, non tamen, vt illam in incendium mittat, ſed vt ſatiet, placet cineres, manes ſuorum, flamma et rogo ac morte Helenae. Sed totus locus deſiderat curas ſecundas poetae. *ſeruaſſe* Goth. ſec.

pro, poenas a ſcelerata femina ſumtas: nam, vt ſint poenae per ſcelus exactae, alienum a loco eſt. 579. *coniugium*, coniugem priſtinum. *patres*, parentes. *Phrygiis miniſtris*, Troianis captiuis illi in ſeruitium addictis. *ſudarit ſanguine*, madefactum, humectatum. Ex Enniano: *Terra ſudat ſanguine* apud Nonium in *ſonere*. Alia ſunt apud Cerdam.

583—587. *Non ita*, ἐ δῆτα. Vulgo *abſit hoc! Nequaquam. nullum m. nomen*, nulla gloria. *tamen laudabor*, quod extinxerim *nefas*

Talia iactabam, et furiata mente ferebar;]
Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Coelicolis et quanta solet; dextraque prehensum
Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?

588 *ferebam* vnus Burm. *loquebar* MS. in Seru. Dan. 589 *Tum mihi* sex Burm. cum Goth. pr. *ante oculos* Medic. sec. Hamb. et Sprot. *tum mihi ante oculos sese* Wallian. *ante oculos t. c. videnda* Franc. 590 *ea clara* Bigot. et glossematis loco Regius. *in nocte refulsit* Zuñch. a m. pr. 592 *dextramque* Medic., vt graecisset Maro, addit Heins.; potius ex solito librarii lapsu. 594 *quid* Oudart. *quis indomitus tantas* Menag. sec. et Exc. Burm. *tantus furor* ante Pierium legebatur. 595 *vestri* Goth. pr.

h. e. nefariam feminam Helenam. *animumque explesse iuuabit Vltricis flammae.* Duriter dictum videtur de vlciscendi ardore, siue iungas *animum vltricis flammae* pro, flammam animi, vlciscendi cupiditatem; siue, quod praestat, *animum explesse flammae vltricis*, h. e. flamma s. ira vltrice, h. e. vltione. *poenas merentes*, vt v. 576 *poenas sceleratas*, a merente.

588—593. Aeneae Venus apparuit, non nube obducta, aut alia forma assumta, sed specie sua diuina. Imitatio Homeri manifesta Iliad. α, 193 sqq., vbi Minerua Achilli soli in conspectum venit eumque ab ira et impetu reuocat. Ad 592. 593 cf. ibidem v. 361. Erat autem is temporis rerumque articulus, qui deae praesentiam postularet, et quidem, vt tanto maior consiliorum auctoritas esset, ipsa diuina specie occurrentis, de quo in conspectum veniendi more v. Exc. XIII ad lib. I.

595—600. *Nostri cura* pietas esse videtur matri Ve-

Non prius adſpicies, vbi ſeſſum aetate parentem
Liqueris Anchiſen? ſuperet coniunxne Creüſa,
Aſcaniusque puer? quos omnis vndique Graiae
Circum errant acies, et, ni mea cura reſiſtat,
Iam flammae tulerint, inimicus et hauſerit enſis. 600
Non tibi Tyndaridis facies inuiſa Lacaenae,
Culpatusue Paris; diuom inclementia, diuom,
Has euertit opes, ſternitque a culmine Troiam.

596 *aſpicias* Leid. vnus. *ibi* Medic. a pr. m. 597 *Anchiſem* plurimi. *ſuper eſt* multi ap. Pierium et Burm. *coniuxque* Witt. *coniux ſuperetne Creuſa*, quod ſuauius foret, nullus habet. 599 *circuerant* ed. Ven. 600 *abſtulerint* Bigot. *inimicusque* edd. ante Pierium. *hauſerit ignis* Oudart. a pr. m. 602 *diuum i. diuum* recte probata poſt Pierium et alios Heinſio lectio, optimorum librorum et grammaticorum auctoritate. Vulgo edd. *verum incl. d*; plerique Pieriani: *ſed enim incl. d.* Sprot. *ſaeuum i. d.* Zulich. a m. pr. *vnquam i. d.* Bigot. *Diuum i. ſummis.* 603 *ſiernit a* Leid. vn. a m. pr. et Voſſ.

neri praeſtanda in eo, vt Anchiſen, ab ipſa amatum, tueatur ac feruet; et ſic Servius: *et hoc loco, vt ſolet, vnam ſe de Aeneae familia facit.* Niſi reuerentia eſt, quam Venus exigit in hoc, ne Helenae, quam ipſa tuebatur, filius iniuriam faceret. Verum ſequentia ad prius illud reuocant. *aſpicies*, vt poeta, pro *circumſpicies*. 600. *quos hauſerit enſis*, vt paſſim poetae, v. Drakenb. ad Silium V, 524, pro confodere, transigere, ἀφύσσειν Homer. vt Iliad. ξ, 517: primum, hauritur ſanguis enſe; hinc ipſe enſis haurit; vt hauriat, penetrat, transfigit latus, corpus, vt X, 314.

601—603. Non tam Paris et Helena Troiae euerſae auctores ſunt, quam repetenda calamitas a deorum ira. Sententia ex Priami verbis apud Homerum petita Iliad. γ, 164. 165. adde Odyſſ. α, 347. 348 et frequens apud veteres. v. Cerda poſt Guellium. *Tyndaridis facies inuiſa Lacaenae* ornate pro Helena, Οὐ γάρ τοι Ἑλένη πέλει αἰτίη etc. v. ap. Quint. Cal. XIII, 412.

Adſpice: namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortalis hebetat viſus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam. Tu ne qua parentis
Iuſſa time, neu praeceptis parere recuſa,
Hic, vbi disiectas moles auolſaque ſaxis
Saxa vides, mixtoque vndantem puluere fumum,

604 *adducta* Menag. pr. *timenti* Zulich. pro diu. lect. 605 *Mortales viſus h.* Wall., ſuperſcripto *que*. *hebetet* Franc. *tibi liminа circum* Leid. vnus. *lumina* Goth. tert. a ſec. m. 606 *Tu ne qua.* Dubito an Maro ſecundis curis haec, parum commode interpoſita, relicturus fuiſſet. 607 *ne* Leid. duo. 608 *Hic tibi* ſec. Menag. *deiectas* Bigot. *discretas* Menag. pr. *disiectaque ſaxis* Hugen. 609 *ſanguine* pro *puluere* Zulichem. a m. pr. v. ſup. 582. *Puluis* eſt ex ruinis.

culpatus, pro grauiore voc. nefandus, ſceleſtus. Sic culpa pro ſcelere. *a culmine, κατ' ἄκρας.* v. ſup. 290.

604 ſqq. Pulcerrimus, qui ſequitur, locus, dum cauſſae occultae magni euentus a diis repetitae oculis ſubiiciuntur tanquam manifeſtae, (v. 622. 623). partim Homeri auſpiciis Iliad. ε, 127, 128, vbi Minerua Diomedis viſum acuit, et in vſſ. 608 ſq. Iliad. μ, 13 ſqq., 27 ſqq., vbi Neptunus et Apollo vallum Achivorum diruunt (cf. imitationem Quinti Cal. XIV, 631—651), partim aliorum poetarum ductu elaboratus. Nam in Troiae excidio diis manifeſta aliqua opera ab antiquioribus poetis eſt tributa, vt ex imitatoribus patet. v. Quintus Cal. XIII, 415 ſqq. add. Tryphiod. 550 — 560. *nubem* int. caliginem, vt Hom. νέφος l. l. et Iliad. ο, 668, υ, 341, 342. Imitationes ſublimis huius loci paſſim in recentioribus obſerves. Miltonum lib. XI, 411 et Taſſum Cant. XVIII Stanza 93 Wartonus laudauit.

606 — 607. *Tu ne qua parentis Iuſſa time:* propter illa, quae v. 619 ſqq. ſubiunget. Mox *vndantem* pulcre, v. VIII, 257.

Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque ab ſedibus vrbem
Eruit. Hic Iuno Scaeas ſaeuiſſima portas
Prima tenet, ſociumque furens a nauibus agmen
Ferro adcincta vocat.
Iam ſummas arcis Tritonia, reſpice, Pallas
Inſedit, nimbo effulgens et Gorgone ſaeua.

610 *immota* Menag. alter. *remota* Vratisl. cf. ſup. 493. 611 *ab ſ.* Heinſ. e Gud., v. eum ad III Aen. 687. Vulgo *a ſedibus*: 612 *ſocias* Doruill., e verſu ſequ. 614 ſuppleuit Doruill. *ſaeuasque accendit ad iras*: 616 *Inſidet et n.* Bigot. *Obſedit* ſec. Moret., vt v. 450. Sed et Homerus ἐφέζετο Παλλὰς Ἀθήνη. *nimbo et fulgens* Medic. *nymbo fulgens* ed. Mediol. *effugiens* ed. D. Heinſ. *limbo* Moret. ſec. pro var. lect., vt iam olim lectum, in Seruianis notatum. *clypeo* Zulich. a m. ſec. F. *Inſedit nimbo, eff. et G. Gorgona* Franc.

610. Ex loco Il. μ, 27 ſqq., vbi Neptunus vallum Achiuorum diruens deſcribitur: h. l. aequat vrbem ſolo. Sunt autem hi ex infeſtis Ilio diis praecipui, Neptunus, Iuno, Athene. Vide vel Iliad *v*, 33 ſq.

612 — 614. Iuno praeit dux, — *prima* quippe in vrbis ingreſſu — *ſocium agmen*, Achiuos, — *vocat*, vt apud Homerum Neptunus Il. *v*, 83 ſqq. et Apollo apud eundem Troianos de muris Troiae inclamat. Imitatur noſtrum Statius de Venere, V Theb. 281. Quae ſuper h. l. Spencius Polymet. p. 56 disputat, dum Iunonem *armatam* miratur, hic et I, 16. aliena ſunt; ſed dicendum erat, alia Iunoni tribui, quatenus religioſe colitur, aut artis operibus exprimitur, alia, quatenus poeticum eſt numen ad res, humana vi maiores, exſequendas adoptatum.

615. 616. Pallas inſidet arci Pergamo, vt apud Homerum Apollo Iliad. ε, 460, ſed ibi ad tuendum, h. l. ad euertendum; ſaltem tanquam victrix acropoli occupata. *nimbo effulgens et Gorgóne ſaeua*; aegide. Si vtrumque eodem modo dictum eſt,

Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit; ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.

617 *vires animosque* Wall. 619 *excipe nate* Puget. *fuga* vnus Leid., et sic coni. Scioppius et facile est coniicere, vt subintell. te. Burm. coni. *arripe nate fugam;* quamquam et huius formae exemplum desideres; vt sit dictum pro *rape, raptim cape;* quem vsum illustrant passim, vt ad Val. Flacc. II, 252. Probat tamen Oudendorp. Cur. sec. ad Frontin. p. 356. Io. Schrader, acutius coni. *I rape.* Melius esset dicere, compositum pro simplici positum, vt mos poetis, et quidem in hac ipsa voce inf. VII, 119 *eripuit* pro rapuit, excepit. Et similia passim alibi. Enimuero veram rationem hanc esse censeo: est *eripere*, h. e. *rapere fugam ex* his rebus, et hoc labore. Vulgare esset: *eripere se fuga.* 620 *nunquam* Exc. Voss. et Med. a m. pr., perpetua varietate. *patrio*

vt illa fulgeat, vt aegide, ita nimbo, *nimbus*, qui de obscura fere vel atra nube dicitur, h. l. de candida et lucida nube accipiendus erit, quod alibi non facile occurrit; nisi vnum locum inf. IX, 110, 111 huc trahas: *Hic primum noua lux oculis affulsit, et ingens Visus ab aurora coelum transcurrere nimbus.* Verum *effulgens* est pro conspicua; aut *effulget illa aegide*, quia fulgentem aegidem tenet, a qua relucet *nimbus*, nubes obscura, qua illa cingitur: quod sollenne est, vbi de diis iratis agitur. cf. Exc. eund. XIII ad lib. I. De nimbo capita deorum ambiente in poeta nostro cogitare non licet. 617. *vires secundas*, vt euentus sit optatus et ex voto. Mox possis forte, *saeua Pallas Gorgone*, iungere, h. e. saeuiens, vibrans aegidem: sed hoc nimis argutum. *Saeua* est *Gorgo* iam per se, truculento ore. 618. *In Dardana arma*, aduersus Troianos pugnantes.

619. *Eripe* pro *fugam rape*, raptim capesse, accelera. v. Var. Lect. *labori*, pugnae, discede ab armis. Ego te per hostes medios tutum reducam domum tuam. cf. 632. 634.

Dixerat; et ſpiſſis noctis ſe condidit vmbris.
Adparent dirae facies, inimicaque Troiae
Numina magna deum.

Tum vero omne mihi viſum conſidere in ignis
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troia;
Ac veluti, ſummis antiquam in montibus ornum
Quum ferro adciſam crebrisque bipennibus inſtant
Eruere agricolae certatim; illa vsque minatur,
Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat;
Volneribus donec paullatim euicta ſupremum
Congemuit, traxitque iugis auolſa ruinam.

tutum te lumine Wall. *in limine* ſec. Menag. *limite* quatuor Burm. *patris te in limine* Franc. 622 *facies dirae* Wall. 624 *viſum eſt* quatuor Burm. *in igne* ſec. Hamb. 625 poſt *Troia* nolim plene interpungere, vt vulgo fit: nam repetendum in ſeqq. *ac viſa eſt ruinam trahere, veluti ornus, quum eam* etc. *r. traxit.* Dura tamen haec, et curis ſecundis facile expectes in leniora haec mutaturum fuiſſe poetam. 626 *ac veluti ſummis.* pr. Hamb. *antiquam ſummis.* 627 *abſciſam* duo Burm. *abciſam* Menag. alter. *actam* pro *inſtant* Codex Thuan. ap. Macrob. V Sat. 2, memoriae lapſu. 629 *Vt t.* Wall. 630 *ſupremo* pr. Hamb.

622. Dum illa loquitur, Aeneae cernuntur dii occupati in vrbe euertenda. Grande et mirabile phantasma! — *dirae facies,* non, monſtra, ſed, dirum viſum.

626 — 631. Similia ex Homero Il. δ, 482 ſq. et Apollonio IV, 1682 ſq. loca laudant Macrob. V, 11., Vrſinus, Guellius et Cerda; ſed ad occiſos, non ad vrbis excidium, inſtituta, verborumque ornatu cum h. l. neutiquam comparanda. Ab initio deficit commoda transitus formula: *Ac veluti.* non enim ſequitur apodoſis: quae facile expectari poterat. Nunc explendum: *viſa Troia verti,* euerti, *ac* ruinam trahere, *veluti ornus traxit,* trahit, *ruinam.* e v. 631. Ornatum illud *Vulneribus ſupremum ingemuit:* et *traxitque iugis auulſa ruinam,* plus quam

Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis
Expedior; dant tela locum, flammaeque recedunt.
Atque, vbi iam patriae peruentum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montis, primumque petebam,
Abnegat exciſa vitam producere Troia,
Exſiliumque pati. Vos o, quibus integer aeui
Sanguis, ait, ſolidaeque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.

632 *Discedo* pr. Hamb., et ita ap. Macrob. *dea* alii codd. apud Pier. Heinſ. et Burm., ſicque duo e Goth. *abducente* vel *adducente deo* vel *dea* aliquot apud Pier. et Burm. *hac d.* Bigot. *deo* in Medic. emendatum ex *dea*, et eſt ſane *deo* doctius: v. not.; at idem ſono ingratum: *deſcendo ducente deo*. Verum vltimam poetae manum flagitabant et illa in binis verſibus: *flammam, flammaeque*. 633 *experior* Schol. Horat. ad Carm. ſec. Perperam. 634 *Atque vbi* poſt Pierium Heinſ. e melioribus. Vulgo *Aſt vbi*. *Ac vbi* Leid. 636 *primos montis* Sprot. 637 *exſciſſa* malint Guellius et Cerda, quia *excidium* inde duci debuit. Sed vtrumque dicitur. v. inf. ad IV, 425. *abſciſa* alter Hamb. *perducere* ſec. Moret. 639 *corpore* Parrhaſ., male. 640 *et rebus ſeruate ſecundis* ſuppletus verſus in Franc. ex lib. I, 207.

duxit, fecit; et haec pro, *euellitur arbor, proruit.*

632. 633. *Deſcendo* de arce; non de turri; nam hoc iam factum v. 570. 588. *expedior,* liberum iter habeo inter hoſtium tela et flammas: vt contra *impedimur,* obſtante turba. Vulgari ſermone *via* ipſa *expediri, expeditum iter,* dicitur. *ducente deo* ex gr. ἡ θεός, ſaepe exquiſite pro dea, aut *deus* abſolute τὸ θεῖον, numen; vt bene monet Verheyck ad Anton. Lib. c. 29. *dant tela locum:* intactus telis et igni iter facit. cf. Aen. VI, 110, 111.

638 — 640. *Exſilium pati,* vt φυγεῖν, grauiter de patria relinquenda. Negat ſe eſſe Troia diſceſſurum. *integer aeui ſanguis,* h. e. integri

Me si coelicolae voluissent ducere vitam:
Has mihi seruassent sedes. Satis vna superque
Vidimus excidia, et captae superauimus vrbi.
Sic o, sic positum adfati discedite corpus.
Ipse manu mortem inueniam. Miserebitur hostis,
Exuuiasque petet. Facilis iactura sepulcri.

643 *et* in multis Burm. deest. 644 Abfuerat ab initio hic versus a Mediceo. *dimittite* pr. Hamb. 645 *miserabitur* Ven. et Moret. sec. An placet interpungere: *Ipse manu mortem inueniam, miserebitur, hostis; Exuuiasque petet.* vt iungas: *manu hostis.* 646 *petat* Hamb. sec. In fine versus *est* additum erat in edd. nonnullis ante Pierium. Licet etiam suspicari: *Exuuiasue p.*

aeui, iuuentae, adeoque pro, iuuenilis vigor. Mox *agitare* (animo) *fugam* proprie est, de fuga deliberare. cf. Burm.

642. *Satis superque vna excidia vidimus*, exquisite; satis superque est, quod semel Troiam (ab Hercule propter Laomedontis perfidiam) expugnatam vidi et vrbi captae superuixi, ne bis idem experiar.

644. *Sic positum corpus*, pro me, κείμενον, quasi iam funus, siue iam efferendum, siue iam sepultum, *sic*, vt sum, me *adfati* extremum illud Vale! Vale! Bene Pompon. Sab. *praestate mihi funebre officium et vbi effati estis vltima illa verba, quae dici solent mortuis, discedite.* cf. ad Tibull. III, 2, 15. — Vide tamen, an vividior exeat oratio: *Sic, sic discedite*, sic, vt estis.

645. *manu* non, mea, vt Cerda post Guellium, cum imbellis senex sit, sed hostis, vt bene Burmannus ex sequ. *miserebitur hostis*, vt vel miseratione motus me supplicantem, vt vita liberet me, occidat; vel *exuuias petet*, et occidet me, vt spoliet me. Priorem partem Seruius habet: *dixit affectu eius, qui cupiebat interimi, vt eum hostis quasi miseratus occideret*, vt inf. IX, 495. X, 676. Cadauer insepultum abiici, quod aliis tam horrendum, mihi graue non est.

Iam pridem inuisus diuis, et inutilis, annos
Demoror: ex quo me diuom pater atque hominum rex
Fulminis adflauit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra, effusi lacrimis, coniunxque Creüsa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum

647 *annis* Sprot. et Franc., male. v. Burm. 649 *igne* Oudart., sed alteram formam Virgilius sequitur. cf. Burm. 651 *Nos circum* Montalb. *effusis lacrimis* quinque ap. Burm., quod vulgare esset. *effusi lacrimas* Rottend. sec. et Exc. Burm., graecismo paullo duriore. 652 *cuertere* Menag. pr. et qu. Moret., vt alibi. v. Burm.

647—649. Fundus fabulae in Hymno in Venerem v. 287—289: afflatus fulmine et secundum alios excaecatus, iuxta nostrum tantum debilitatus membrisque captus, Anchises, quod consuetudinem cum Venere euulgarat. cf. Excurs. XVII ad h. libr. *annos demoror*, quasi festinantes diu viuendo detineo. *Seru.* Dictum pro morari in vita, *morari vitam*, (ne decurrat) *annos*, vt: *morari mortem, fata, Orcum, animam.* Exempla dat Burm. *fulminis adflauit ventis*, pro fulmine, quandoquidem aer fulminis iactu impulsus et rarefactus intercludit spiritum; saltem motus et impetus aeris cum fulmine sentitur: recte enim monet Meierotto in Dubiis p. 56, nostram subtilitatem physicam in vetere poeta locum non habere: verum docebat ipsa res, cum aeris impulsu fulmen cadere: hinc noto vsu loquendi dicta *aura fulminis*; vnde ipsum *adflare* ductum. 650 *fixus*. affixus loco, non discedens domo. cf. 699.

651—654. Lugubris sane et miseranda rerum facies, si singula cogites; sed an Wartono assentiaris, qui Lebrunium melius hoc argumento vsurum fuisse putat, quam Darii tentorio, forte dubites. Maior vtique rerum fortunaeque conuersio in hoc rege cernitur, quam in fami-

Cuncta pater, fatoque vrguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et ſedibus haeret in isdem.
Rurſus in arma feror, mortemque miſerrimus opto.
Nam quod conſilium aut quae iam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te poſſe relicto
Speraſti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet vrbe relinqui,
Et ſedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuuat: patet iſti ianua leto;

653 *obcumbere* Zulich. 654 *que* abeſt Wall. 656 *et quae* Moret. pr. *iam* deeſt Mentel. pr. Hamb. pr. a m. pr. et Leid., et placebat hiatus Heinſio; ſed bene Burmannus monuit, *iam* neceſſario h. l. requiri. *aut mihi quae f.* aliquot Pieriani. 657 *Mene ferre* Zulich. et pr. Rottend. *et ferre* Medic., quod et adſcripſit Pomponius Sab. 659 *ex tota* Oudart. a m. ſec. 660 *perituraе te addere* pr. Moret. 661 *Te quoque, nosque iuuat* Donat. legiſſe videtur. *iuuet* pr. Rottend. *iſtic* plurimi codd. apud. Pier. et Burm. cum binis Goth. et ed. Mediol. *illic* ed. Ven.

lia priuati hominis, Aeneae. *Nos contra* orare non deſiimus *effuſi lacrimis*, exquiſite pro *in lacrimas. ne vertere f.* h. l. euertere, perdere, *fatoque vrgenti incumbere*, vellet: h. e. exitium, quod vel ſic imminebat, accelerare. *Vrgent*, quae inſtant; vt, quae caſum minantur, his ſi *incumbimus*, ea impellimus, vt proruant. Bene Seruius: „Simile eſt, vt: *currentem incitare, praecipitantem impellere.*“

657 ſqq. Ad patrem Anchiſen conuerſus haec dicit. Affectus nota impetum, pulcre expreſſum abruptis etiam ſententiis. *tantum nefas*, vt ſuaderet rem tam nefariam. 661. *patet iſti ianua leto*, ad talem mortem ab hoſte accipiendam via patet; ea mors facile obtineri poterit. Similia loca v. ap. Cerdam.

Iamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
Eripis, vt mediis hoſtem in penetralibus, vtque
Aſcanium, patremque meum, iuxtaque Creüſam,
Alterum in alterius mactatos ſanguine, cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux vltima victos.

662 *Namque* Montalb. *aderat* Zulich. *Priami multo* Leid. et Witt. et Pieriani nonnulli. *multo maculatus ſanguine* Ven. 663 *gnatum* ſcribunt plurimi ap. Pier. et Heinſ. et mox *patremque, qui obtruncet* Maronianum eſſe, notat Heinſ. et hoc exhibet Mentel. pr. a m. pr. E v. 526 ſq. facile eo carere poſſumus: cum alibi notatum iam ſit, poetam hanc temporum et modorum ſubtilitatem Ciceroni relinquere. Quid? quod et vim habet *obtruncat*, qui ſolet obtruncare. 664 *Hocce* Moret. pr. et tert. a m. ſec. At olim lectum fuiſſe *hocc* teſtantur Grammatici, Priſcianus aliique ap. Pier. et Heinſ., quod et exhibent Montalb. Witt. et ed. Mediol. *per hoſtes* Ven. et Parrhaſ. 665 *Eripit* Medic. *in* abeſt Parrhaſ. *atque* duo Burm. *vsque* vitioſe in vulgaribus edd. 665 *Aſcaniumque p.* edd. vulgg. ante Heinſ. *Aſcanium Anchiſemque patrem iuxtaque C.* Parrhaſ. 667 *mactato* ſec. Rottend. et ſec. Hamb. hic quidem addito: *vel mactantem. mactatum* vel *mactatos* Wall. *maculatum* Parrhaſ. *iactantes* pr. Hamburg., vnde Heinſ. coni. *iactatos.* v. Burm. 668 *lux optima* Wall. a m. pr., errore ſolito. cf. Burm.

Idem quod 645 *ipſe manu mortem inueniam.* 662. 663. Refellit iſta v. 645. 646 *miſerebitur hoſtis* etc. *multo de ſanguine*, cum dilectu poſitum epitheton, quem effudit ſine omni ſenis miſeratione, et 663 reſpicit v. 529 ſqq.

668. *Arma, viri,* ſc. quae ingreſſus domum depoſuerat. Male olim Grammatici hic argutati ſunt. v. Seru. et Pompon. Sab. *vocat lux vltima victos*, quanto potentius! quam, manet *nos* mors; moriendum eſt. Vocant nos, quae nos expectant vel exci-

Reddite me Danais; sinite instaurata reuisam
Proelia. Numquam omnes hodie moriemur inulti.
Hinc ferro accingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine coniunx
Haerebat, paruumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui paruus Iulus,
Cui pater, et coniunx quondam tua dicta relinquor?

670 *Nusquam* Pieriani aliquot; sed e potioribus suis et Grammaticis exemplisque defendit vulgatam Heins. *vnquam* Franc. 671 *Hinc* Heins. cum codd. propriis et Pierianis. Vulgo *Hic. clipeo rursusque* Wall. *clipeumque sinistrae* aliquot antiquiss. Pier. cum Donato. 673 *comprensa pedes* Hamb. pr., per graecismum. *in limina* Hugen. 674 *que* abest Franc. 675 *trahe in o.* Voss. *cape* Doruill. 676 *inermis* Goth. tert. 678 *tua quondam* Doruill. *tua cura* Goth. sec., non male.

piunt. 669. *Reddite me Danais.* Idem color inf. X, 61. *Xanthum et Simoenta Redde oro miseris.* Mox 670 *nunquam* pro non, vt Ecl. III, 49. Sententiam grauius extulit Homer. Iliad. χ, 304. 305. Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, καὶ ἀπλεῖῶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. et 672 *manum insertabam clipeo*, loro clipei vel ansae. v. sup. 393.

672 sq. Ante oculos fuisse h. l. Homerum, notarunt iam viri docti: v. Iliad. ζ, 394 etc. 399 sqq., in discessu Hectoris ab Andromache, vti noster Val. Flacco in Aesone et Alcimede lib. I, 762 sq. fuit. *tendebat* doctius, quam *ostendebat*, et *patri*, quam, *mihi*. Apollonii I, 558 Φίλῳ δειδίσκετο πατρὶ comparabat Brunck. 676 *expertus* additum: ex pristinis virtutis experimentis, factis.

678. *Coniux quondam tua dicta*, h. e. quae eram. Non argutandum. vt notum illud:

Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter, maestorumque ora parentum,
Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.

679 *tectum illa* Hamb. sec. *repleuit* aliquot Pier. *replerat* fragm. Vatic. 680 *Cum subito* Medic. cum multis aliis, etiam Pierianis. At *subitum* poeticum. Ortus error ex scriptura *subitū*. *miserabile* Gud. Ven. Parrhas. v. III, 26. 681 *arma* pro *ora* Ven. 682 *lenis* Montalb., sollenni vitio. 683 *lucem* Seruius, seu quisquis hoc Seruio affuit, legisse videtur. cf. Burm. *tractuque* lectio erat a Burm. reposita, de qua latius egit ad Grat. Cyneg. 362, cum enim semel *tractus flammarum* arrideret, vbique fere obtrudere eum volebat. Est tamen *tractus flammae* etiam ab h. l. alienissimus; emicare enim talis flamma, errare, lambere, tantum debuit; atque hoc est *tangere*, *tactus*, quod libri habent plerique omnes, etiam Medic. et fragm. Vatic. Ad *tractum*, qui est flammae per longum spatium ductae, referre melius possis mox, quae de stellae lapsu 693 sqq. Maior difficultas in *molli*, quod antea legebatur, et sane accommodatissimum est τῷ *tactu*, nec tamen nisi forte in recentissimis codd. et in vett. edd., quas equidem euolui, omnibus occurrere videtur. Contra quicquid est codicum, et in his antiquissimi, Medic. cum fragm. Vatic., *mollis* habent, Parrhas. et ed. Ven. cum sex Heins. et antiquo vno apud Pier. *molles;* quomodo igitur *mollis* deseri possit, non video. Sane tum et *mollis comas* et *mollis flamma* iungi potest; *flamma mollis* est leuis, vt *mollis somnus*, vel mobilis, vt Georg. II, 389 *mollia oscilla*. Ita *leuis apex* et *mollis flamma* sibi respondent. Verum et *comae molles* in puero recte dicuntur.

καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν, h. e. esse. *cui relinquor;* cum notione tutelae. inf. IV, 323 *cui me moribundam deseris, hospes?*

679—684. Mutat Anchises consilium omine oblato. Flamma e capite micans ostenti et praesagii regiae dignitatis genus vel ex narratione de Seruio Tullio notum. Conf. inf. VII, 73 sqq. Doctus autem Anchises auguralis scientiae Veneris munere.

Nos pauidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et ſanctos reſtinguere fontibus ignes.
At pater Anchiſes oculos ad ſidera laetus
Extulit, et coelo palmas cum voce tetendit:
Iuppiter omnipotens, precibus ſi flecteris vllis,
Adſpice nos; hoc tantum; et, ſi pietate meremur,

685 *trepidi* Wall. *manu crinemque* Hugen. 686 *ſacros* Goth. ſec. Mentel. ſec. et ed. Dan., ex compendio litterarum. v. Burm. *exſtinguere* qu. Moret. et Voſſ. 687 *Et p.* Franc. 688 *Ac coeli* Rottend. pr. *et palmas coelo* Zulich. *ad coelum* aliquot Pier. *ad coelos p.* Rottend. ſec., male. cf. Burm. 690 *hos* pro *hoc* Medic., ſed a m. pr. *nos tantum et ſi quid p.* Hugen.

Vide Exc. XVII ad h. lib., vbi de Anchiſe. *apex*, flamma in apicem acuminata, viſus is eſt *fundere lumen de vertice Iuli*, h. e. lucere; vt Ouid. Faſt. VI, 636 *inque coma Flammeus arſit apex.* Hanc rationem damnare equidem nolim; et ſic *leuis* bene de flamma. Burm. tamen cum Seruio *apicem* proprie dictum accipit, ſc. de pileo Phrygio, qui, vt pueri, eſſe debuerit *leuis*: vix ſatis ſcite! *ſlamma viſa lambere tactu*, contactu (cf. Var. Lect.), ita vt innoxia eſſet, pro innoxie. *Lambere, paſci*, pro ardere quam ornate! ex ignis natura. *fontibus*, docte pro fonte, et hoc pro aqua. Ornate autem dicta ſingula. cf. imitationem Valerii Flacci I, 570 ſqq.

690. *Adſpice nos*, pro vulgari, *reſpice*, vt animum ad Troianos aduertat; nam adhuc auerſus ab iis eſſe videbatur. *hoc tantum*, ſc. plura a te non peto. inf. IX, 636 *Hoc tantum Aſcanius. haec omina firma*, ſecundum auguralem diſciplinam. cf. h. l. Seru. Pompon. Hoc ſtatim fit, dum laeuum tonat. cf. Odyſſ. *v*, 97 ſqq. Dicta autem haec ad opinionem veterum, et morem petendi omen a diis: quod, ſi propitium numen eſſet, extemplo ab eo impetraretur; quid? quod et cogi numen poſſe

Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.

Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore
Intonuit laeuum, et de coelo lapsa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram se condere silua,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.

691 Turbatum hic aliquid olim esse debuit, si Pompon. Sabinum inspicias: *Probus ait:* atque haec omina firma, *nisi enim petiisset omina, nunquam confirmari optasset* (an hoc ad lectionem *omina* spectauit, pro quo in multis *omnia* legitur? Fuisse suspicor in nonnullis: *atque haec omine firma.) Et Apronianus* auxilium *legit, vt sit: Da deinde auxilium pater et firma omina.* Atqui haec constans omnium librorum est lectio. Forte olim fuit: *Da deinde auspicium. haec* omissum in Hugen. et fragm. Vatic. 693 *laeuom* Burm. ex Gud. *vmbram* Franc., vt alibi. 694 *magna cum* Doruill. 695 *lambentem* Doruill. 696 *siluam* fragm. Vatic. 697 *longo tum* Cuning. ex Huls. *limite* firmauit post Pier. Heins. e codd. Vulgg. *lumine* vel *limine — sulcos* pr. Rottend. *cum l. l. sulcans* Wall. F. mollius: *Signantemque vias tum l. l. s. Dat lucem.*

putarunt, vt ederet omen; et, quod etiam absurdius, *elici* posse Iouem per certos ritus, vt in conspectum veniat et seu impetrandi ominis modum doceat seu rerum euentum moneat.

693 — 698. Stella cadens sup. inter prognostica Georg. I, 365 sqq. cf. Spanh. ad Callim. in Del. 38. at nunc inter auspicia habitum, et h. l. quidem laetum fugae suscipiendae; sic faustae nauigationis apud Apollon. IV, 294 sq. et venti secundi apud Theocr. XIII, 50 sq. bene ad Dioscuros traductum apud Val. Fl. I, 568. Respexisse videtur poeta Homerum Il. δ, 75 sqq. et Apollon. IV, 294 sqq. cum III, 1376 sq. Iterum inf. V, 527 *coelo cecu saepe refixo Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.* Mirum tamen, quod stella illa

Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Adfaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Iam iam nulla mora est. Sequor, et, qua ducitis, adsum.
Di patrii, seruate domum, seruate nepotem!
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.

699 *His vero* pr. Rottend. pro var. lect. *se tollere* Gud. a m. pr., eleganter, modo *affari* et *adorare* sequi posset. *in auras* alii ap. Pierium; *ad aras* nonnulli ap. eundem, et Zulich., sed vid. Burmann. 700 *sanctum lumen* Zulich. 701 *quo* aliquot Pier. Leid. et Goth. sec., sed v. lib. I, 401. Ecl. IX, 4. 702 *nepotes* sec. Moret., sed v. Burm. 703 *Vestrum o augurium* vn. Leid. v. Burm. ad Ouid. I Ep. 101. *augurium est* Menag. *est* in fine deest Moret. sec. 704 *gnate* Montalb.

fatua h. l. cum tonitru coniuncta est, nec modo cum sulfureo halitu. Ad Luciferum, Veneris stellam, Aeneae conspectam, traxerant alii. v. sup. ad I, 382. Disquis. II. s. 7. Nec de fulmine *stella* accipi potest. Non autem *cucurrit multa cum luce*, sed *stella ducens facem multa cum luce*, h. habet speciem facis longae. Hinc 697. *longo limite sulcus Dat lucem.* Totam augurii rationem per partes explicat Seruius more suo.

699 — 704. *victus*, expugnata tandem voluntate. *se tollit ad auras* pro simplici, e strato se attollit, surgit. *affatur deos*, precatur. *vestroque in numine Troia est:* acumen tragicum: quod dubiam admodum interpretationem habet, et insolens est: *in numine esse.* Cum haec verba coniuncta sint cum illis: *Vestrum hoc augurium*, poeta declarasse videtur, *numen* ipsi simili significatu esse dictum, h. e. pro *augurio, omine*, vt inf. VII, 119. In hoc omine *est Troia*, h. e. fatum Troiae, et, quod ex caeteris elicias, indicium Anchisae de hoc fato: Troiae excidium instare et vrbem ei esse deserendam.

Dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis
Auditur, propiusque aestus incendia voluunt.
Ergo age, care pater, ceruici inponere nostrae:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit;
Quo res cumque cadent, vnum et commune periclum,
Vna salus ambobus erit. Mihi paruus Iulus

705 *Ille etiam* Witt. et Goth. sec. *ille quidem, per* ed. Ven. 706 *que* abest Voss. *voluit* Ven. 708 *subito* pr. Menag. et Ven., male. cf. inf. IV, 599. Heins. 709 *cadant* quidam ap. Pier. *cadunt* Wall. *cadet* duo Burm. *cadat* Witt. *cadit* Hamb. sec. *periclum est* Leid. vnus. 710 *mihi solus I.* Donatus legisse videtur, quod placebat Pierio, cf. Heins.

Simplicissima itaque ratio haec est: Troia haec, quam ego deserere, cui ego superstes esse nolui (sup. 637), vestro hoc augurio declaratur mihi deserenda esse. *Troia est*, Troia mihi erit, non haec, quae nunc incensa est, sed, quocunque vestrum augurium, o dii, ducet nos. Nam, vt nouum Troiae ortum ostendi sibi Anchises putet, multo argutius, quam illud, esse videtur, quasi sit: *Troia est in vestro numine*, h. e. Troia altera promittitur hoc omine, vt III, 86 *Serua altera Troiae Pergama*. Ita tamen videtur accepisse, quisquis Seruianis haec attexuit: *Augurium numenque vestrum efficiat* (immo, *efficit*) *ne putem Troiam periisse*. At Seruius ipse hoc habet: *in vobis habeo Troiam, propter illud sup.* 642: *Has mihi seruassent sedes*. quod forte in priorem nostram rationem interpretari possis; namque alias haec cum caeteris non satis bene conuenire videntur, vti nec illa interpretatio, quam Burm. sequitur: *in vestra potestate, tutela, Troia est.*

705. *Clarior ignis* h. l. clarior strepitus ignis, *propiusque incendia voluunt aestus*, h. e. calorem, ornatissime, pro flamma, incendium, propius adserpit.

Sit comes, et longe ſeruet veſtigia coniunx.
Vos famuli, quae dicam, animis aduertite veſtris.
Eſt vrbe egreſſis tumulus templumque vetuſtum
Deſertae Cereris, iuxtaque antiqua cupreſſus,
Religione patrum multos ſeruata per annos: 715
Hanc ex diuerſo ſedem veniemus in vnam.
Tu, genitor, cape ſacra manu, patriosque Penates.
Me, bello e tanto digreſſum et caede recenti,
Adtrectare nefas; donec me flumine viuo
Abluero. 720
Haec fatus latos humeros ſubiectaque colla

713 Heinſ. malebat *vrbem;* ſed vtrumque vſitatum. cf. Burm. 716 *Hac* coni. Heinſ. *ex diuerſa* Leid. vnus. *e diuerſo* duo. *ex aduerſo* Menag. pr. *veniamus* tres Burm. 717 *Tum* Leid. a m. pr. *ſaxa* Ven. 718 *bello tanto* Dorvill. cum al. Pier. *ex tanto* alii eiusdem, cum Goth. text. *et tanto* ſec. Rottend. *bello egreſſum ex tanto* Witt. 719 *Adtractare* et *attractare* in nonnullis Pier. et Burm. ſcriptum. *donec in f.* duo. *flumine in vno* Hugen. 720 *abluero*. Terent. Adelph. I, 2, 47. *abiero* pro abibo, grammatici. 721 *Hoc* Zulich. *proiectaque colla* aliquot Pier., quod

711. *Longe ſeruet veſtigia*, h. e. obſeruet greſſus meos; e longinquo autem, ne, ſi multi vna exirent, deprehenderentur ab hoſtibus. Itaque et famulos per diuerſas vias dimiſit. Ita bene Cerda poſt Seruium. Mox 712. pro vulgari *aduertite animos ad ea*, quae dicam.

714. *Deſerta Ceres* exquiſite dicta, cuius templum erat deſertum vetuſtate vel belli decennalis tempore. *ex diuerſo*, ex diuerſis partibus ac viis, quibus dimittuntur. Caeterum haec locorum deſignatio ſitne ex antiquiore petita an a Marone inuenta, ignoratur.

717. *ſacra et Penates*, vt ſup. II, 293. ſiue vt *ſacra* ſint genus, complexum cum Palladio, Veſta, igni ſacro, inprimis Penates; ſiue vt ſint diuerſae res. v. Exc. IX.

721 — 723. Inſtrauit Aeneas humeris veſtem, veſti-

Veſte ſuper ſuluique inſternor pelle leonis;
Succedoque oneri. Dextrae ſe paruus Iulus
Implicuit, ſequiturque patrem non paſſibus aequis.
Pone ſubit coniunx. Ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, neque aduerſo glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent aurae; ſonus excitat omnis;
Suſpenſum et pariter comitique onerique timentem.
Iamque propinquabam portis, omnemque videbar
Euaſiſſe vicem: ſubito quum creber ad auris

arridebat Heinſio, vt porrigeret Aeneas ceruicem ac praeberet oneri. Sed longius quaeſitum hoc. *ſubmiſſa* Goth. tert. 723 *paruulus* Mentel. pr. *Iulos* Moret. pr. 725 *ſubiit* Mentel. tert. *per o. viarum* vnus Guelph. in Exc. Cort. 727 *examine* duo Burm. cum Goth. ſec. 728 *aurae terrent* ſec. Moret. 729 *et* abeſt Doruill. *comiti onerique* duo Burm. *timebam* Goth. tert. 730 *propinquandum* Exc. Burm. 731 *euaſiſſe vicem* Marklandi, ad Stat. V Silu. II, 152, coniectura, Burmanno improbata, ſed vnice vera, et ab editore in textum recipienda. Nam neque omnem adhuc viam

que pellem. Superinſternor veſte et pelle leonis (ante oculos habuit Il. *ν*, 326 ſqq., vbi Agamemnon ſimili habitu inducitur) humeros et colla ſubiecta, h. e. collum, quod ſubiicio, ſubmitto oneri impoſito. cf. Excurſ. XIII et XVII.

726 — 729. Suauiter et ex affectus veritate! Comparant Apollon. III, 953. 954. *glomerati ex agmine* (v. ſup. 414) doctior ratio; quamuis et ipſi in *agmen* colligebant ſe, ex hoſtilibus tamen copiis confluxerant.

730 — 734. *Portis.* Eſt porta ab hoſte auerſa, ad Idam ducens, et ad partes auſtrales, vnde littus peti poterat, et in eo Antandrus III, 6. v. Excurſ. XIV. *omnem vicem*, fortunam, periculum.

Visus adesse pedum sonitus genitorque per vmbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentis clipeos atque aera micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque, auia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum,
Heu! misero coniunx, fatone erepta, Creusa

erat emensus, nec de via ad portas facta bis memorare attinebat: at hoc erat memorabile, quod iam omnes fortunae vicissitudines, omnia, quae timuerat, euasisse sibi videbatur; falso tamen. Recepi itaque eam hac altera editione; quod iam fecerat Brunck. Vulgg. *viam.* 732 *vmbras* sec. Hamb. 733 *Respiciens* Ven. et Goth. tert., male. 734 *Ingentis cl.* Hamb. alt. 735 *nescio quid* duo Burm. 738 *fatoue* Doruill.

v. Var. Lect. *adesse ad aures* dictum potest videri pro accedere, vel accidere ad aures, allabi auribus, vt inf. IX, 474. Poeticae tamen dictioni conuenientius iungere: *creber ad aures* sonitus, qui crebro, clarius clariusque, auditur. *prospiciens*, quippe in humeros filii sublatus. Non ad metum referendum. *ardentes clipeos*, relucente flamma, quippe aereos.

735—741. Super decoro in hoc loco seruato, si ad nostros mores ac sensus aestimes, quod apud amantem Didonem haec narrantur, non male disputauit Segraisius. *numen male amicum*, inimicum, infestum, δαίμων τις κακός. *mentem confusam eripuit*: duo iunxit, quae fere sigillatim poni solent, *eripere mentem*: ἐξελέσθαι φρένας; *mens confusa*, perturbata: σὺν δὲ φρονεῖ νόος κύτο, vtrumque Homericum, cf. Guell. *nota regione viarum* pro excedo, deflecto, de viis notis, frequentibus. tum pro *via* poni possunt *loca, partes, regiones*, per quas viae patent; hinc *regio viarum* poetis ducta. Exempla ap. Burmannum sunt. — 738. Iungi possunt: *fato erepta Creusa, substitit-ne*

Subſtitit, errauitne via, ſeu laſſa reſedit,
Incertum; nec poſt oculis eſt reddita noſtris;
Nec prius amiſſam reſpexi, animumue reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris ſedemque ſacratam
Venimus: hic demum conlectis omnibus vna
Defuit; et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incuſaui amens hominumque deorumque?
Aut quid in euerſa vidi crudelius vrbe?
Aſcanium, Anchiſenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo ſociis, et curua valle recondo;
Ipſe vrbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat caſus renouare omnis, omnemque reuerti

739 *errauitne viam* Franc., ſeu *capta* pro diu. lect. Gud. et pr. Rottend. a m. pr. cumque iis Goth. tert. *lapſa*, ſollenni lapſu, in Goth. pr. et multis ap. Heinſ. et Burm., quod mireris potuiſſe probari viro doctiſſimo. 740 *Incertum eſt* multi ap. Burm. 741 *animumue* Heinſ. e melioribus: vulgo *que*. *reſluxi* Voſſ. 742 *Cereri* Moret. ſec. 744 *reflexit* Exc. Burm. a m. pr. 745 *incuſo* Hamb. ſec. *deosque* Leid. *deumque* multi ap. Burm. et duo Goth. *hominum demensque deorum* Franc. 748 *In valle* pr. Moret. a m. ſec. 750 *reuocare* Ven. et alter Menag. et Goth. tert. cum aliquot Pier., minus bene. *renouaſſe* alii aliquot Pier. *r. meos* Zulich. *r. vrbis* Doruill.

an errauit via. „Non enim dubitat fato eſſe ſublatam; cf. inf. 777.“ Ita Seruius. Melius tamen: *coniux mihi erepta Creuſa fatone ſubſtitit, an errauit de via an laſſa reſedit?* 742. *tumulum, antiquae Cereris ſedem,* collis, in quo antiqua Cereris erat aedes, ſup. 713. Male de ſepulcro Potter. *Gr. Ant.* T. I, p. 174. Mox 746. *crudelius,* h. l. quod magis doleret.

749—755. *Ipſe vrbem repeto — Principio muros re-*

Per Troiam, et rurſus caput obiectare periclis.
Principio muros obſcuraque limina portae,
Qua greſſum extuleram, repeto; et veſtigia retro
Obſeruata ſequor per noctem, et lumine luſtro.
Horror vbique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.
Inde domum, ſi forte pedem, ſi forte tuliſſet,
Me refero. Inruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Voluitur; exſuperant flammae; furit aeſtus ad auras.
Procedo, et Priami ſedes arcemque reuiſo.
Et iam porticibus vacuis Iunonis aſylo

762 Cerda coni. *obſeſſaque*. vid. not. Deerat verſus Moret. ſec. 755 *animo* ſeptem Heinſ. Exc. Burm. et duo Goth., intercepta *s* a ſequentis vocis initio, vt et in Medic. factum. *animum* Schol. Stat. Theb. I, 494. *tunc ipſa ſ.* Doruill. *nunc* idem Schol. lib. I, 368. 757 *Irruere* Gud. a m. pr. *intus erant D.* pr. Hamb., eidem abeſt *et. omne replebant* Menag. pr. 758 *Illicet* plerique ſcribunt. *faſtigia tecti* Schol. Cruqu. Horat. lib. II Od. 4, et Medic. a m. pr. 759 *et ſuperant* Goth. ſec. 760 *Procedo et P.* Heinſ. cum vetuſtioribus, etiam Pierianis; et Donato, vt inf. III, 349 et ſup. 632. Vulgo *Procedo ad P.* vel *Protinus ad P.* cf. Burm. *praecedo* Moret. pr. *ſedemque arcemque* ed. Ven. 761 *At iam* Goth. ſec.; hoc deſideres, vel *Hic iam*.

peto. Quod in verbis ingratum eſt, mutaturus erat Maro. Declarat autem prius illud conſilium generatim; conſtitutum ei erat vrbem repetere. 750. *Stat*, decretum eſt apud me, vt ſaepe. 752. *obſcura limina portae*, porta per noctem obſcuram oculos fallens: ſic ſup. v. 725 *per opaca locorum*. 754. *lumine luſtro*, ſimpl. circumſpicio. 755. horror noctis vbique terret me.

761—766. A domo ſua, quam expilatam et incenſam

Cuſtodes lecti Phoenix et dirus Vlixes
Praedam adſeruabant. Huc vndique Troïa gaza
Incenſis erepta adytis, menſaeque deorum,
Crateresque auro ſolidi, captiuaque veſtis
Congeritur. Pueri et pauidae longo ordine matres
Stant circum.
Auſus quin etiam voces iactare per vmbram,
Impleui clamore vias, maeſtusque Creuſam

762 *laeti* duo Burm. *durus* Parrhaſ. in marg. cum nonnullis Pier. et Goth. tert. 763 *obſeruabant* alii ap. Pier. Heinſ. et Burm., ſollenni lapſu ex *aſſeruabant*. *obſeruant* Parrhaſ. *hic* Goth. alter. 765 *craterasque* Medic. *que* abeſt duob. Burm. et alteri Goth. 767 Supplent verſum Venetus: *et crebris ſua carpunt pectora pugnis*, Exc. Burm.: *crebrisque premunt ſua p. p.*, Guelpherb. vn. in Exc. Cort.: *et crebris pulſant ſua p. p.*, Wittianus: *et tacitis implent mugitibus auras*. 768 *vmbras* multi ap. Burm. et duo Goth., vt iam toties variatum vidimus. *per vrbem* coni. Heinſ., v. Burm. quidni tamen: per noctem, per noctis ſilentia! 769 *viam* nonnulli ap. Burm.

ardere videt, ad arcem et regiam tendit: hic vero hoſtem videt aſſeruare praedam et captiuos; Creuſa itaque nec hic reperta, discedit. *Porticibus vacuis.* ſup. 528. *Porticibus longis fugit et vacua atria luſtrat. Iunonis aſylo,* ſimpl. pro templo, quod in arce fuit. cf. ſup. ad 567. Eurip. Troad. 32 ſimpl. ὑπὸ στέγας τᾶσδ'. 766. *pueri et matres* captiuae abducendae. Expreſſum miſerabile hoc captiuorum agmen in Tabula Iliaca n. 111 et in Polygnoti pictura ap. Pauſan. X, 25. 26. cf. inf. III, 323. Ouid. Met. XIII, 412 ſqq. Notatum autem in h. l. Troianis iam temporibus praedam non temere cuique prō ſe parare licuiſſe, ſed vnum in locum ſuiſſe congerendam, mox certis legibus diuidendam; vnde munera ἐξαίρετα locum habebant. Id quod inter cultioris vitae elementa referri ſolet. Porro, nondum illa aetate religioni habuiſſe victores, ſana expilare et incendere.

Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocaui.
Quaerenti, et tectis vrbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum atque ipsius vmbra Creusae
Visa mihi ante oculos, et nota maior imago.
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuuat indulgere dolori,
O dulcis coniunx? non haec sine numine diuom
Eueniunt. Nec te hinc comitem asportare Creusam

770 *nec quicquam* Franc. *iterum iterumque* aliquot Heins. et Burm. cum Goth. sec. 771 *sine more* tert. Moret. et Leidens. vnus; quod alias Virgilius amat: sed h. l. non conuenit. *ruenti* aliquot boni libri Heins. et Burm. Minus bene; nam *furere* magis ἐναφγὲς quam *ruere*. 772 *vnius vmbra* Zulich., sed *ipsius* etiam Nonius in *imago*. 774 *Obstipui* scribitur etiam hic ap. Pier. *steterantque* aliquot Pier. et tres Burm., praue. *steteremque* Franc., vt etiam lib. III, 48 habet, vbi hic versus repetitur; hemistichium autem alterum repetitum XII, 868. IV, 280. 775 *tunc* alii ap. Pier. et Goth. alter. *effari* Hamb. sec. v. sup. 700. 776 *dolori* Heins. librorum auctoritate restituit; vulgo *labori*, vt nonnulli libri, etiam Goth. alter, forte ex lib. VI, 135, quamquam ea permutatio sollennis. Hic tamen *dolor* potius, quam *labor*, locum habere videtur; nisi quod *labor* exquisite pro dolore ponitur. Arusianus Messius laudat: *Quid iuuat insano tantum i. dolori*, Vratisl.: *Quid tandem i. i. i. dolori*, et pr. Moret.: *Quid tam insano*, ex compendio litterarum. 778 *nec te comitem hinc asportare Cr.*, vt in non-

771. 772. *tectis vrbis*, intra vrbis moenia. *simulacrum*, εἴδωλον, *infelix*, infeliciter amissae Creusae. 773. *nota maior i.*, h. e. pristina; igitur iam dea facta. Nota veterum opinio. Loca congessit Cerda: v. Exc. XIII ad

lib. I. Imitatione nostri Hylas Herculi per somnum obiectus apud Valer. Flacc. IV, 18 sqq.—43. 774. Ex Iliad. ω, 358—360.

777. Iliad. ε, 185 Οὐχ ὅγ' ἄνευθε θεᾶς τάδε μαίνεται. Et similia alibi. Omnino haec

Fas; aut ille ſinit ſuperi regnator Olympi.
Longa tibi exſilia, et vaſtum maris aequor arandum;
Et terram Heſperiam venies: vbi Lydius, arua
Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris.
Illic res laetae, regnumque, et regia coniunx

nullis legitur, olim libros obſediſſe, ex Seruio patet; quod Grammatici adeo defendere ſatagebant. Retinuit metri vitium Cuning. Alii aliter emendare voluere; nam Medic. cum aliis: *nec te comitem hinc portare* (pr. Moret. etiam *portaſſe*), Hamb. ſec.: *nec te hinc c. portare*, duo Moret.: *nec te comitem portare*. Parrhaſ.: *nec te comitem aſportare*. 779 *aut ille ſ.* ex Medic. et aliis optimis repoſuit Heinſ., vt iam ed. Ald. et aliae vett. Vulgo *haud ille*. ſed ex Codd. non facile tale quid diiudicari poteſt. Witt. *haud ille finet*. Porro *ſummi* Exc. Burm. *puri* Goth. alter. 780 *longum* Gud., pro var. lect. τῦ *vaſtum*. *auxilia* Goth. tert. 781 *Et terram H.* Heinſ. cum optimo quoque, etiam Pieriano; Virgiliano more ex Graecis ducto, vt *ad* omittatur. Vulgo tamen *Ad t.*, vt et nonnulli codd. habent, et Probus in Arte. Heinſ. coni. *Vt t.* Parrhaſ. *Heſperiem*. 782 *laeto ſ.* Doruill. cum nonnullis Pier. 783 *res Italae* Medic. et Colot. ap. Vrſin., miro luſu, *res laeta* et

oratio eſt affectus plena. 779. *Fas*, fatum, ſeu voluntas deorum, cf. Heinſ. 780—784. *exſilia* pro *exſilium*, et hoc pulcre pro longo itinere vel errore, adiuncta notione, quod extra patriam ſit. cf. Burm. Ductum ex φυγή· et ex *arandum* adſumendum verbum latius: *obeunda*, vt iam Seru. *Lydius Thybris* pro Etruſcus, ex vetere opinione originis Etruſcorum a Lydis ductae. v. Exc. III ad lib. VIII. *arua virum* ſignate, exemplo Graeci ἀνδρῶν. *leni fluit agmine*. Supra Georg. I, 322 *agmen aquarum* dixerat; at h. l. abſolute Ennii exemplo Annal. V *Quod per amoenam vrbem leni fluit agmine flumen* apud Macrob. VI, 4. Adde Lucret. V, 272 et noſtri imitatorem Stat. I Theb. 356. cf. Cerda. Acceptum igitur nouum vaticinium a Creuſae vmbra de ſedibus in Italia quaerendis: cf. Disquiſ. II. ſ. 6. Porro de hac locorum, quo peruenturus erat Aeneas, notatione, quo iu-

Parta tibi; lacrimas dilectae pelle Creuſae.
Non ego Myrmidonum ſedes Dolopumue ſuperbas
Adſpiciam, aut Graiis ſeruitum matribus ibo,
Dardanis, et diuae Veneris nurus:
Sed me magna deum Genetrix his detinet oris.
Iamque vale, et nati ſerua communis amorem.
Haec vbi dicta dedit, lacrimantem, et multa volentem
Dicere, deſeruit, tenuisque receſſit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;

res latae nonnulli; ſed *res laetae* praeclare poeta de felici et proſpero rerum ſtatu et conditione, vt ſaepe alibi. 785 *ſuperbam* Franc. 786 *haut* vel *haud* aliquot. 787 *et tua coniux* ſupplent nonnulli verſum in Seru. 788 *me detinet* Hamb. *hic deſtinet* ed. Ven. 789 *ſerua nati* Montalb. *amores* Graeu. 790 *plura v. d.* Leid. 791 *Diſcere* ſec. Hamb. 792 *conatus erat* Ma-

dicio facta ſit, v. Exc. XV ad h. lib. 784. *parta tibi* nunc, fato deſtinata. *lacrimas Creuſae*, propter Creuſam: vt alia.

785—789. Praeclari verſus; metuere autem debuit, ne illa in hoſtium manus incidiſſet et captiua abduceretur. Similitudinem habent inf. III, 321 ſq. Andromachae verba; et quoties non decantata eſt haec calamitas in Tragicis! Memorat autem Neoptolemi regiam v. 785. tanquam praecipuam praecipui inter Achiuorum duces. *ſedes ſuperbas*, regiam ſuperborum dominorum. — 788. Magna deum Mater. Videtur innui: a Cybele eam in conſortium eſſe aſſumtam tanquam Nympham in patrio ſolo. De Creuſae fatis cf. Exc. XIV. — 789. plenus affectus verſus. Praeclarum locum Propertii IV extr. 73. 74, et Eurip. Alceſt. 378 iam Cerda laudauit.

792—794. Verſus ducti ex Homero Odyſſ. λ, 205—207. Vnde petierunt et alii. cf. ſup. Georg. IV, 500.

Ter fruſtra conprenſa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.
Sic demum ſocios conſumta nocte reuiſo.
Atque hic ingentem comitum adfluxiſſe novorum
Inuenio admirans numerum; matresque virosque,
Conlectam exſilio pubem, miſerabile volgus.
Vndique conuenere, animis opibusque parati;
In quascumque velim pelago deducere terras.
Iamque iugis ſummae ſurgebat Lucifer Idae,

crob. V Sat. 7. *colla et d.* Doruill. *circumdare brachia collo* ſec. Moret. 792 — 794 Iidem verſus inf. VI, 700 — 703. 793 *comprenſa* Heinſ. cum Medic. et optimis caeteris; alii *compreſſa*, quod Pierius praetuliſſe videtur. Zulich. *compreſa*. ſec. Hamb. *conata*; perpetuae variationes. Aliquot Pier. etiam, *manu*. 794 *Par l. vennis, v. ſ. vento* Medic. Pierii, ex interpolatione. *ſ. fumo* Macrob. V Sat. 5, vt alibi: inf. V, 740. IV Georg. 449. *ferro* Leid. a m. pr. Faber emendabat *ſomnio*, quia ὄνειρῳ ἴκελος ap. Graecos occurrit. Sed *ſomno* quidni poeta aeque bene dixerit, qui et ipſe, ſi excuſſus, dispulſus fuerit, ſoluitur, diffluit, euaneſcit. Nec, ſi ſomnium cogitare neceſſe ſit, quicquam impedit, quominus *ſomnum* de eo accipias, vt ſimile plane ſit illi ap. Apollon. IV, 877 Αὐτὴ δὲ πνοιῇ ἰκέλη ὁέμας, ἤυτ' ὀνείρος Βῆ ῥ' ἴμεν, 796 *hic* abeſt tert. Rottend. *effluxiſſe* duo Hamb. 798 *ex Ilio* Heinſ. ſecundum Donati ſcripturam probabat, ſed inuito metro. Mox idem malit iungere: *miſ. vulgus vndique conu. et miſ.* Rottend. tert. *mirabile* Leid. 799 *animisque* Moret. ſec. et pr. Rottend. 800 *decurrere* Gud., pro diu. lect.

798. *Collectam exſilio*, ad fugam, *pubem*, iuuenes quoque. Mox 799 *opes*, fortunas ad naues faciendas, inſtruendas et ſic porro.


801. Noto poetarum more, cf. v. c. Apollon. I, 1273. ſidera de montibus proximis oriuntur et occidunt; re ab oculorum ſenſu petita. Ida autem Troiae imminens. *Lucifer*, ſtella Veneris accommodate. Vid. Excurſ. XVI.

Ducebatque diem; Danaique obſeſſa tenebant
Limina portarum; nec ſpes opis vlla dabatur.
Ceſſi, et ſublato montem genitore petiui.

802 *que* abeſt Franc. 804 *montes* Medic. cum altero Mediceo Pierii et aliquot aliis ap. Burm. Vtrumque rationem habet.

802 — 804. *Limina portarum*, portas. *Spes opis*, auxilii patriae ferendi, Seru. Eſt ſimpl. ſalutis. Igitur diceſſi. *montem*, int. Idaei iugi partem, qua ad Antandrum via ferebat. conf. IX, 80.





EXCVRSVS I ad Aen. II princ.

De auctoribus rerum Troianarum (τῶν Τρωϊκῶν).

Poſt ſermonis poetici elegantiam, poetae doctrinam declarare nobis inprimis eſſe propoſitum, ab initio ſumus profeſſi. Cum itaque in libro altero ille excidii Troiani caſus mira rerum varietate et iucunditate exponat, multaque, quae in Homero non occurrunt, commemoret; quandoquidem in inueniendis rebus aut in aliorum inuentis ſapienter adoptandis, variandis, ornandis, disponendis, eloquendis, vel maxime poetae ingenium cognoſcitur; vt intelligatur, quaenam ille ab antiquioribus poetis iam ante expoſita ad ſui carminis naturam, rationem ac conſilium, attemperauerit, non intempeſtiuum fore arbitramur, ſi, qui ante Virgilium praeter Homerum res Troianas, excidii inprimis, de quo nunc potiſſimum agitur, expoſuerint, quosque ex iis potiſſimum Virgilio ante oculos fuiſſe probabile ſit, paullo accuratius indagemus; etſi in nonnullis nos doctioris disputationis tantum lineas ducere, in aliis nonnulla, quae

copiosius iam ab aliis dicta sunt, summatim colligere non ignoremus.

Res igitur Troiani belli omnino post Homerum, primum auctorem, *) longo tamen temporum interuallo, centum saltem annorum, nec nisi postquam vulgo circumferri coeperant Homeri carmina, fuerunt tractatae a poetis cyclicis, hoc est, ab iis poetis, qui, Homeri exemplo, non modo rerum bello Troiano gestarum, quae Iliadem siue anteceſſerunt siue sunt sequutae, verum adeo, Proclo apud Photium teste, totius mythologiae a Coeli et Terrae inde nuptiis ad finem errorum Vlyssis, modo singula capita modo plurium capitum complexum, carmine epico, hoc est, ad Homerici carminis numeros, tractandique et eloquendi modum, compositio, expositio, et ex quibus certa dispositione a nescio quo collectis et ordinatis syntagma epicum concinnatum, extitisse putatur. Accurate de iis, post Nicolaum Loensem in Epiphyll. II, 4. Salmas. in Solin. p. 597 et Casaub. ad Athen. VII, 4. Dodwell. de Cycl. p. 802, qui soli consuli merentur, egit Schwarzius Altdorf. in Diss. de poetis cyclicis. Adde Fabric. B. Gr. T. I p. 281. Sunt tamen admodum pauca in hoc argumento ad liquidum perducta.

Nam primo, quorum poetarum nomina et opera hoc cyclo comprehensa fuerint, res est partim obscura, partim controuersa, etiam inter veteres; nec satis constanter traditur, quam late eius argumentum patuerit; modo enim intra belli Troiani fines ille subsitisse, modo ad ipsam cosmogoniam euagatus esse narratur. Quo ipso constare puto, intra priuatam nonnullorum doctorum Grammaticorum opinionem totam hanc de cyclo epico praeceptionem subsitisse in diuersa abeuntium. Neque vnquam tale corpus plurium poetarum aliter confectum, quam vt grammaticus aliquis

*) De his accuratius disputandi locus erit ad ipsum Homerum. Nunc reliqui intacta ea, quae ante Iliadem cum Scholiis Venetis a Villoisono editam mihi probabilia esse videbantur. Alia dies docuit, docebitque, vt fieri necesse est in iis, quae tantum probabiliter constitui nec, fide historica deficiente, vltra probabilitatem assurgere possunt.

eorum recenſum ſeu indicem faceret, et ſingulari forte libello aut in opere grammatico ederet; nec facile omnes, quorum magnus fuit numerus, qui Genealogias deorum, Titanomachias, Gigantomachias, Argonautica, Thebaica, Heracleas, et ſic porro, tum in rebus Iliacis, qui Νόστους ſcripſerunt, tali indice enumerati fuerunt. *Arctinum Mileſium*, *Eumelum*, *Leſchen* et *Cypria carmina* eo comprehenſa fuiſſe plerique tradunt; *Antimachum*, *Steſichorum*, alios inſerunt alii, ſide non ſatis explorata. Videntur porro plura in hac quaeſtione confundi: Alius eſt *Cyclus mythicus*, h. e. fabularum complexus inde a genealogiis deorum ad Troiae vsque excidium deductus; alius *Cyclus Troianus*, h. e. fabularum ad bellum Troianum ſpectantium. Iam *ab his cyclis* dictos arbitror *poetas cyclicos* et *carmina cyclica*, quorum argumenta intra alterutrum mythorum complexum et orbem continerentur: non vero vt ipſi cyclum aliquem conſtituerent. Ex priore genere fuere Theogoniae, Coſmogoniae, Titanomachiae, qualis fuit ſeu Eumeli Corinthii ſub Olympiadum initia, ſeu Arctini, Corinthii (non Mileſii), Gigantomachiae, Φορωνίς, Δαναΐς, Eoeae, Naupactica, Ἡρακλεία, Argonautica, Θηβαΐς (κυκλικὴ dicta) τὰ ἔπη τὰ εἰς τὸν πόλεμον τῶν Ἐπιγόνων, Ἀλκμαιωνίς, Μινυάς, Αἰγίμιος, Οἰχαλίας ἅλωσις, Κήϋκος γάμος, Ἀμαζονικά, Θησηίς; ex altero autem Arctinus, Leſches, Staſinus Cyprius. Confuſus cum his cyclis *cyclus epicus*, quem grammatici Alexandrini, Ariſtarchus et Ariſtophanes Byzantinus, conſtituerant, dilectu inter poetas epicos veteres facto, et principibus tamquam in canonem et in cenſum relatis; fuere illi Homerus, Heſiodus, Pisander, Panyaſis, Antimachus (v. Quinctil. X, 1, 51 ſqq. Proclus Chreſtomath. et hinc Tzetza Prol. in Heſiod. et in Lycophr.). Translatum eſt hoc nomen cycli epici etiam ad illa duo cyclicorum genera, quatenus res Troianae et mythi hexametris erant expoſiti. Tractum aliquando nomen ad duo carminum genera, quibus tamquam nota aliqua eo ipſo inureretur: alterum, quoties poetae in argumento iam ab aliis tractato, in rebus notis ac tritis, *circa vilem patu-*

lumque morarentur *orbem* (Hor. Art. 132): alterum, cum epici carminis naturae et artis ignari narrationem a primis rei primordiis repetitam per singulas partes, tamquam scriptores pedestres, exponerent: quod v. c. Statius in Achilleide tentauit: ad hoc genus spectat Epigr. in Anthol. II, 40 p. 163 Steph. Nata hinc illa: apud Acronem in Horat. cyclicum poetam esse, qui variare res nesciat; et Isidor. VI, 17 ea carmina cyclica vocari, quae cuiusque materiae simplici forma facta sint. Hunc in modum diuersarum rerum discrimine facto, licebit tandem aliquid certi et explorati de *poetis cyclicis* tradere.

Horum poetarum opera, quantum ex fragmentis, tum ex Quinti Smyrnaei imitatione, et ex argumentis Cypriorum Carminum et Νόστων apud Proclum, colligere licet, tota ad Homeri non tam artem quam sermonem potius ac colorem et epicam dictionem fuit composita. Nec tamen res intra poetices spatia substitit, sed liberius est euagata. Nam, cum pedestris orationis vsus et cultus increbescere inter Graecos coepisset, multique essent, qui antiquissimos mythos historiasque Graeciae, partim singularum vrbium fabulis, religionibus ac sacris, festis ac ritibus, locorum etiam monumentis, templorumque donariis consecratas, partim ex priscis carminibus, quae supererant, collectas litteris mandarent; inter quos *Pherecydes Athenienſis*, et *Acusilaus Argiuus*, *Hecataeus Milesius*, et post hos alii Θεογονιῶν auctores, genealogiis deorum ac cosmogoniis condendis inprimis inclaruerant; succesſerunt alii, qui Graecorum post mythicum tempus historias, adeoque etiam bellum Troianum perscriberent, inter quos nescio an primo loco *Hellanicum Lesbium* ponam, cuius magnum opus ἱστοριῶν fuisse videtur, ad quod tamquam partes referenda erunt quae laudantur: Φορωνίς, Ἀτθίς, Ἀτλαντίς, Δευκαλιώνια, Τρωϊκά. (Fragmenta eius nunc collecta sunt a doctissimo viro, F. W. *Sturz.*) In Troicis rebus fides eius inprimis fuit probata, vt etiam Dionysius Halic. lib. I. c. 46. 47. 48 in Troiae excidio Aeneaeque fuga narranda eum potissimum sequendum existimaret; et ex Clemente Alex. I

Strom. p. 139 satis constat, eum Troiae captae epocham inter caeteros accurate definiisse. Laudantur eodem loco alii, sed nominibus tantum noti. Celebrius nomen est *Dionysii Milesii*, qui Herodoto paullo antiquior circa Olymp. LXV vixisse traditur, κυκλογράφος Suidae et Tzetzae dictus, non tamquam cycli epici auctor, quod male traditur, sed propter opera, quae cyclum mythicum et historicum efficiebant, eaque in hunc modum ordinanda, vt scripserit Μυθικὰ, Ἀργοναυτικὰ, Τρωϊκῶν βιβλία γ', tum Κύκλου ἱστορικὸν ἐν βιβλίοις ς', sequebantur τὰ Περσικὰ et tandem τὰ μετὰ Δαρεῖον; nisi duo haec vnum idemque opus fuere; in quo ipso habemus historiae catholicae scriptorem antiquiorem illis, qui vulgo habentur *).

Etsi autem cum temporum decursu ab antiquis illis rebus mythicis ad seriorum temporum res et casus historiae procederent, tamen et sequiores scriptores ab antiquioribus Graecorum rebus orsi bellum fere Troianum, quoniam ab eo inde tempore ciuitates ac regna Graeciae siue ad certam formam fuerant descripta, siue futurarum opum prima initia ceperant, in principio operum suorum modo breuius modo copiosius repetebant; quod nec *Thucydides* facere recusavit. Et in hunc, puto, censum veniunt nonnulli scriptores, qui Troianas res perscripsisse dicuntur; quos in transcursu modo eas leuiter attigisse existimandum est. Ita apud Dionys. Halic. I, 48 *Menecrates Xanthius* historiam ab Achillis funere auspicatus narratur, exordio quoque libri subiecto; quo tamen summatim tantum, cum ad Lyciae res (τὰ Λυκιακὰ) exponendas ille properaret, Troianas res perstrictas fuisse credere licet. Etiam *Callisthenes*, cuius *Graecae Historiae* olim celebratae fuerunt, ab anno pacis Antalcidae Ol. XCVIII, 2 deductae, quando de Troia capta egisse memoratur (v. Schol. Euripid. Vet. apud Vrsin. ad

*) Cf. ad haec *Notas ad Apollodor.* p. 921 sq. 980 sq. Commentat. II *de fontibus historiar. Diodori* in *Commentation. Soc. R. Sc. Gott.* T. VII. Omni tamen hac opera me non nisi lineas duxisse iis, qui in haec accuratius inquirere vellent, obscurum esse non potuit.

Virg. II Aen. 255 et interpolatus ab eo locus Iliad. β. memoratus est a Strab. XII, p. 817.) primo saltem Graecarum Historiarum libro Troianas res summatim narrasse videtur; etsi, hoc ita factum, vt separatum aliquod opus particula illa haberi posset, suspicari possis ex Cicer. V ad Diu. 12.

Cum ab his scriptoribus, qui res vel vniuersae Graeciae, vel singularum ciuitatum certique temporis exponerent, tamen Troianum bellum non plane praetermitteretur: fieri id multo magis debuit ab iis, qui Historiarum systemata conderent, vt res Troianas omninoque totum cyclum mythicum operibus suis intexerent aut praefigerent. Et hoc factum vides a *Diodoro Siculo* in libris quinque prioribus, qui extant, in quibus eum Dionysium maxime Milesium supra memoratum exscripsisse suspicor. cf. lib. III, 52, vbi v. Wessel. *) Idem ante eum ab *Anaximene Lampsaceno* factum, qui Alexandri tempore vixit et ab antiquissimis Graeciae rebus (ἀπὸ θεογονίας καὶ ἀπὸ τοῦ πρώτου γένους τῶν ἀνθρώπων) orsus (τὰς πρώτας ἱστορίας vel τὴν πρώτην τῶν Ἑλληνικῶν) historiam vsque ad pugnam Mantineensem pertexuerat. vid. Diodor. XV, 89 et Voss. de Hist. Gr. I, 10, nec non in Pisandri opere infra laudando. Fuit quoque scriptor antiquus (συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ apud Dionys. Halic. I, 72, et I, 49 ἀρχαῖος καὶ λόγου ἄξιος) *Cephalo* Gergithius seu Gergethius (τὰ Γέργηθα vrbs Aeolidis), qui Τρωϊκὰ scripserat: cf. Notae ad Apollod. p. 740; diuersus ille, etsi obloquatur Leo Allatius de patria Homeri c. 1, a *Cephalione* vel *Cephalaeone*, cuius σύντομος ἱστορικὸς fuit *Musarum* nomine inscriptus, res a Nino ad Alexandrum narratione persequutus; lectus ille Photio c. 68, et in epitomen redactus a Sopatro: ibid. c. 161. add. Syncell. p. 167, et ib. not. Quid tamen facias Athenaeo IX, p. 393 E,

*) Cf. Commentationem paullo ante laudatam. Viam ad hanc mythicae cum vera historia conferendae rationem munierat Dionysius Milesius paullo ante memoratus; et ipse Hellanicus Lesbius, qui in libris supra laudatis mythicae narrationi historias subtexuisse videtur. cf. Dionys. Halic. I, 48 pr.

vbi Hegesianax Alexandrinus ὁ τὰ Κεφαλίωνος ἐπιγραφόμενα Τρωϊκὰ συνθείς? Scilicet suspicari licet, veterem illum librum interiisse et in eius locum temere a nonnullis substitutum fuisse similem librum Hegesianactis. Fuerunt alia Τρωϊκὰ *Metrodori* Chii, qui Hippocratis magister fuit, laudata apud Athen. lib. IV exeunte, p. 184 A. Non mihi constat, ad quod tempus referendus sit *Theodorus* Iliensis, qui ἐν β' Τρωϊκῶν excitatur apud Suidam in Παλαίφατος Ἀβυδηνός. Fabulosum *Syagri* nomen ex Aeliani V. H. XIV, 21 laudare nil attinet. *Seruius* ἐν τρίτῳ τῶν Τρωϊκῶν excitatur in Schol. Ven. B. ad Iliad. Φ, 242. Verum hi ad seriores relegandi esse videntur; de quibus postea memorabitur.

Aliquamdiu *res Troianae* communi aliquo inter scriptores consensu erant traditae, prout ab Homero et poetis cyclicis, *ex maiorum fama* ac narratione, *antiquo sermone*, hoc est, poetico, fuerant expositae. Sed cum poetices honos inter Graecos frequentari coepisset, essentque primum, qui sigillatim particulam aliquam ex toto illo cyclo mythico decerptam carmine tractarent, ornarent et delectationis caussa variarent, tum alii, inprimis lyrici, qui carmina sua suauibus episodiis distinguerent, ex eo tempore res Troianae quasi *materiae poeticae* loco esse coeperunt, qua ingenioſi homines in quamcunque formam diffingenda vterentur, vnumque id propositum haberent, vt cum probabilitate aliqua delectarent.

Ab historiae fide multo magis recessum est, cum *Tragici* poetae fabularum suarum ὑποθέσεις et argumenta ex cyclo illo peterent, et pro consilio suo tragoediaeque natura varie ea tractarent, ornarent, inflecterent, noua affingerent, et saepe in diuersissimas partes traherent. Quae quidem res cum vel ex Sophocle et multo magis ex Euripide notissima sit, haerere in illa nolumus.

Iam historicis et tragicis successit nouum hominum genus, quod omnia miscuit ac turbauit, *Interpretes poetarum* dico et *Grammaticos*, maxime ab Ptolemaeorum inde

ſaeculo *), quorum alii Cyclos illos in epitomen redegerunt; qualem habemus adhuc *Apollodori Bibliothecam*, quam cycli epici compendium eſſe iam Salmaſ. ad Solin. p. 847 vidit **); alii ſeparatim hanc vel illam particulam ex toto orbe expoſuerunt. Ita *Lyſimachus* Alexandrinus τὰ Θηβαϊκὰ, et τὰς Νόστους, de quibus inf. Excurſ. V. *Euphorion* autem ſuis Chiliadibus (de quibus v. ad Ecl. 6, 72) ſuis locis res Troianas inſeruerat; vt de Laodice: v. Pauſan. X, 26 extr. et inf. Excurſ. V. Similiter alii Grammatici τὰ τραγῳδούμενα ſcriptis peculiaribus explicuerant, quibus tragoediarum argumenta ac fabulas exponebant, interdum et commentabantur: quo ex genere vtinam ſupereſſent ſaltem Aſclepiadae τῶν τραγῳδουμένων libri! verum iis aliisque multis amiſſis, nonnulla ſupereſſe videntur in *Hygini fabulis* ex veteribus tragoediis excerpta; nam maior operis pars ex orbe Graecorum mythico eſt conſarcinata, vt inſpicienti facile apparet; facto enim a genealogiis deorum initio per Cadmeas ac Thebanas fabulas ad Argonautica, Heracleam et Troica ex more procedit ***).

Qui *poſt illos ſcriptores* iterum veteres mythos, adeoque etiam Troianum bellum, nouis libellis repetebant, cum antiquiſſimos ſcriptores ſequi, et tragicorum ac lyricorum caeterorumque poetarum commenta ac luſus ſollerter ab illis discernere deberent, *omnia* inter ſe *miſcuerunt*, totamque adeo veterum mythorum rationem turbarunt, vt in plerisque difficile ſit perſpicere, quid ac quantum veteris vel philoſophiae vel religionis vel hiſtoriae vel priſci ſermonis iis ſubeſſe credendum ſit. Cuius corruptelae auctores habendi inprimis iidem ſunt Grammatici, qui commentarios in veteres poetas ſcripſerunt. Dum enim illi ad illuſtrandam aliquam fabulam, omnia, quae vsquam legerant, nullo iudicio collegerunt, et ex vno loco in centum alios, modo additis nonnullis modo reciſis, transtulerunt; perditis

*) Cf. Proluſ. *de ſaeculi Ptolemaeorum genio* in *Opuſc.* T. I, p. 94. 98. 105.

**) Vid. *Notas ad Apollod.* p. 936 ſq.

***) Vid. ibid. p. 945.

nunc antiquis scriptoribus, vnde hauserant, ipsi ab eo inde tempore fabularum auctores, indocti pariter et leuissimi, facti sunt *).

Etiam *Philosophorum*, *Sophistarum* ac *Rhetorum*, opera aliqua fuit in corrumpendis mythis et historiis antiquissimis; *illorum* quidem in theogoniis maxime aliisque deorum fabulis allegorice interpretandis **); ex quo semel Pythagoras, Heraclitus, et Xenophanes ad mythologiam, tamquam theologiae aliquod systema subtiliter conditum, offendissent; *horum* autem in heroum rebus et Troiano inprimis bello, dum declamationum argumenta inde caperent et laudem ex eo captarent vani homines, si haberent, quae contra res vetustissimae fidei probabiliter dici viderentur. Habemus adeo *Dionis* Chrys. oratiunculam de Troia nunquam capta, qua mireris nonnullos ad eleuandam veteris historiae fidem, inprimis in rebus Troianis, vti. Ex eodem genere sunt *Philostrati* Heroica.

Ausi etiam ipsi *historici*, qui veterum scilicet historiarum fidem suis temporibus et solito rerum gerendarum mori ac consuetudini accommodare volebant, res Troianas in πραγματείας formam redigere, aut diuersarum narrationum naturas eo consilio miscere, vt maior probabilitas nouae narrationis exsisteret, v. c. vt Romani populi originibus a Troianis ductis consulerent. *Demetrius* autem Scepsius, ὁ τὸν Τρωϊκὸν διάκοσμον ἐξηγησάμενος, vt Strabo XIII, p. 609, Grammaticus Crateti et Aristarcho aequalis, in Scepsiorum gratiam multa in rebus Troianis aliter ac caeteri tradiderat. v. Strabo l. c. Librum XVI et XXIV laudari videas ap. Athen. IV, p. 173 F. 175 A.

Cum iam Graecia a Romanis in seruitutem redacta cum caeteris libertatis bonis etiam accuratae doctrinae habitum, tandem etiam sensum, amisisset, deperditis iam tum aut delitescentibus plerisque ex praeclaris illis antiquioribus poetis ac scriptoribus, ecce tibi prouenerunt multi non poetae, sed *versificatores*, qui ex nonnullis, qui supere-

*) Ibid. p. 929 sq.

**) Ibid. p. 932 sq.

rant, poetis cyclicis antiquis noua carmina conscriberent, aut etiam ex grammaticorum vel historicorum doctioribus libris breuiores *epitomas* conficerent, censendas istas et diiudicandas fere non modo ex propria doctrina, sed etiam ex eorum, quos exscripserunt, fide ac iudicio. Ex priore genere poetam habemus non infimo loco habendum, *Quintum Calabrum*, in quo emaculando Laur. Rhodomannus, Ilseldensis olim sub Mich. Neandro disciplinae aeternum decus, tale ingenii acumen exhibuit, vt ex summis recentiorum temporum criticis paucos habeam, quos cum ipso comparandos putem. Sed Quintus ille haud dubie ante oculos habuit aliquem aut plures ex veteribus poetis cyclicis, inprimis Leschen, vt mihi quidem visum est, comparandis cum eo fragmentis Leschae et iis, quae aliunde de parua Iliade cognoscere licuit*). Sunt in eo loca egregia et quae praestantiore quoque poeta non indigna sint. Alter est *Tryphiodorus*, cuius Ἰλίου ἅλωσιν habemus, sed multo indoctior et saepe ineptus homo, et cum eo *Colluthus*, in Ἑλένης ἁρπαγῆ· in vtroque tamen facile melioris venae vestigia passim deprehendas, tanto gratiora illa et iucundiora, quo aridius et sterilius solum est, in quo flores illi enascuntur. Ex hoc genere infima iam aetate, infimo loco, fuit *Tzetza*, qui Antehomerica, Homerica et Posthomerica **), versibus scripsit parum doctis; stolidae iactantiae homo, qui, non tam, quod Dodwellus augurabatur, veteres cyclicos, quam miserios potius Grammati-

*) Accurate hoc persequutus est *Tychsen* noster, V. C., in *Commentat. de Quinto Smyrnaeo* (1783), cuius nouam recensionem parat. Perspectum nunc mihi est, in quinis prioribus libris *Arctini Aethiopidem* expressam esse, inde *Iliadem parvam*, vsque ad librum XII. Tum librum XIII et XIV. esse argumentum τῆς Ἰλίου πέρσιδος *Arctini*. Per quae multo magis firmatur id, quod antea mihi persuaseram, plura antiquorum poetarum vestigia et loca in hoc carmine nobis esse seruata, et illud esse *Cyclum Troicum ex antiquioribus istis poetis exscriptis concinnatum*.

**) Edita nunc illa sunt in lucem et docte illustrata a Fred. *Iacobs*. 1793.

cos et compilatores, qui eum anteceſſerant, exſcripſit, nec ſic tamen negligendus, quippe ex quo, in tanta meliorum ſcriptorum iactura, multa, quomodo a ſuperioribus tradita fuerint, intelligi poſſint, modo quis ſatis magna doctrina inſtructus ſit.

Inter eos, qui in morem verae hiſtoriae rhetorica arte pedeſtri ſermone bellum Troianum ſeriore aetate condiderunt, is qui *Dictyis Cretenſis* nomen mentitus eſt, quem adhuc latinum habemus, non indoctus fuit homo, et qui, ſi non veteres paſſim cyclicos, interdum et tragicos poetas, tamen eos, a quibus iſti fuerant exſcripti, ante oculos videtur habuiſſe. Hunc Graeci fere recentiores exſcripſerunt, vt Ioannes Malelas, Cedrenus, Tzetza et Conſtantinus Manaſſes p. 44 ſeqq. in Synopſi hiſtorica a Meurſio edita. Praeter illum tamen alium adhuc Troianarum rerum interpolatorem inter ſeriores Graecos extitiſſe neceſſe eſt ſub *Siſyphi Coi* nomine; ex quo multa petiiſſe videtur Io. Malelas. Alius *Idomeneus*, qui ἐν πρώτῳ Τρωϊκῶν excitatur a Schol. Apollonii Arg. I, 916. de Electra Dardani, Eetionis et Harmoniae matre. Videtur ille Hellanicum eſſe ſequutus, vt eum forte auctorem habuit Nonnus Dionyſ. III, 115. 132. 274. vbi ſimilia narrantur. At *Daretis Phrygii* de excidio Troiano libellus haud dubie ineptum aliquem Sophiſtam habet auctorem et declamationis potius genus conſtituit, quo poetarum fabulae in hiſtoriae pragmaticae formam deflectere propoſitum eſt. Characteres heroum, quos intexuit, ſunt ex μελετῶν genere, cuiusmodi paſſim alibi occurrunt. Ex Dictye repetiit *Iſaac Porphyrogennet.* p. 304 ſqq. in περὶ τῶν καταλειφθέντων ὑπὸ τοῦ Ὁμήρου: quae ſunt Poſthomerica rhetorice expoſita; edita in Allatii *Excerptis variis* (Ro. 1641, 8) p. 259. Melioris notae eſt fragmentum τῶν Τρωϊκῶν ex Cod. XXIV *Bibliothecae Vffenbach.* P. II, p. 655—686, quod Antehomerica complectitur multaque habet quae cum Tzetza conueniunt.

Fuere etiam olim Τρωϊκὰ *Palaephato* tributa, ſed iunioris Grammatici, eiusdem forte nominis, fetus. v. Suidas h. v. et Voſſ. H. Gr. III h. v. Ex iis depromtum eſſe

videtur, quod Seruium laudare video ad lib. III, 8 „quam„vis Palaephatus tradat, capto Ilio Aeneam post trien„nium nauigasse.“ Idem de Anio rege et sacerdote egerat, v. eundem ad III, 80, scilicet secundum antiquiores, quos exscripserat. Ad eum Ioan. Malelae quoque locum refero Chronogr. p. 101. Troica *Abantis* apud Seruium ad Aen. IX, 264 memorata video. Ex his ac similibus, qui veteres, quas narrabant, historias simul interpretabantur, fluxisse videntur absurda commenta, quibus contaminata est Troiani excidii Historia in *Malela*, *Cedreno*, forte et aliis Graeculis, qui ex telesmatica adeo et astrologia multa intexere ausi sunt v. c. de Palladio etc., alia autem allegorice exponere, vt ipsius *Tzetzae* allegoriae Homericae in bibliothecis seruantur; quarum similia multa in Chiliadibus apposuit. Non eo vsque audaciae sunt progressi, sed intra Dictys fere et Daretis commenta subsistiterunt scriptores deterioris aeui latini, vt *Elinandus*, et qui eum excerpsit, *Vincent. Bellov.* Specul. Histor. lib. III, 62, item *Guido de Columna* in Historia Troiana circa 1287 scripta et 1477 edita; quae si quis non meminerit, vnde ducta sint, non parum haereat, si tot inauditas res a scriptoribus superiorum saeculorum narrari videat.

Romanos poetas, antiquissimos quidem, nihil aliud fere egisse, quam vt Graeca latine conuerterent, ab his autem aetate proximos, et omnino praestantissimum quemque poetam, Graeca latine expressisse, Graeciae flores in viridaria Romana transtulisse et omnino ex Graecis profecisse vnice, ad eorumque exemplum poeticum aliquem sermonem, qui a pedestri oratione plane discrepat, conformasse, in confesso est. *Ennius*, qui Iliadis riuos in Annales suos traduxerat, Tragoedias plures latine conuerterat: et sic Tragici ac Comici veteres fere omnes faciendum sibi putauerant. Sed de hoc nunc non agitur; verum Iliadem Homeri transtulerat *Cn. Mattius*, et *Cypria carmina* infra videbimus a *Naeuio* latine facta, et, si alii inter Romanos memorantur, qui argumentum belli Troiani tractarunt, vt *Macer* Antehomerica, v. Ouid. II Am. 18,

et Posthomerica II ex Ponto 10, 13, item *Camerinus*, IV ex Ponto 16, 6, vbi v. not. ex Graecis fere eos sua effinxisse, exemplum eorum, qui superstites sunt, credere iubet. Verum de *Latinis Homeristis* docte nunc egit *Wernsdorf.* in *Poet. minor.* T. IV, p. 565. 568 sq. 579.

Munita iam et patefacta est via, vt accedere possimus ad id, cuius caussa totam hanc disputationem suscepimus, vt scilicet quaeramus, *quem potissimum ex veteribus poetis Virgilius in excidio Troiano enarrando sequutus sit.* Esse hunc inter eos, qui interierint, facile intelligitur, quandoquidem nec cyclicorum poetarum aliquis, nec eorum quisquam, qui proximi aetate fuere, omninoque qui ante Virgilium vixere, ad nostra tempora peruenit. Sedula tamen multarum rerum et eorum inprimis, qui, seriores quidem, veteres tamen exscripserunt, et Tabulae Iliacae a Fabretto vulgatae, in qua auctores adscripti sunt, vna cum Polygnoti tabula apud Pausaniam, comparatione, nunc autem multo magis ex Procli Fragmento coniectare licet, *Virgilium potissimum Arctini* Ἰλίου πέρσιδα, *et cum hac Leschei Iliadem paruam expressisse*, multa tamen, vt infra in singulis videbimus, passim *ex Graecis tragoediis*, inprimis *Euripidis*, hausta intertexuisse, quod tot loca ex Hecuba et Troadibus traducta docent; vt omnino Euripidem plurimum videatur probasse Virgilius. Quod autem poetae animum inprimis ad tragoedias fructumque inde ad ornandum epicum carmen vberrimum petendum potuit conuertere et adducere, hoc fuisse arbitror, quod magna fabularum Graecarum pars ab Ennio, Accio, Liuio Andronico, Naeuio, Pacuuio, Varrone, forsan et aliis, latine erat conuersa. Proficere ex his poeta non parum debuit non modo ad narrationis varietatem, verum multo magis ad orationis poeticae, cui elaborandae inprimis studebat, dignitatem et ornatum. Etsi enim diuersissima sit tragicae epicaeque orationis indoles, tamen tragica illa oratio Virgilianae dictioni grauitatem illam, quam tantopere miramur, et maiestatem, interdum δεινότητα aliquam rhetoricam, eloquentiaeque modo copiam modo acumen,

comparasse videtur. Quam procliue autem Virgilio fuerit, in bello et excidio Troiano, de quo nunc potissimum quaerimus, tractando et ornando Tragicorum inuentis vti, ex eo apparebit, si tragoediarum huius argumenti copiam, inter Romanos saltem, ante oculos positam habeas. Ita Liuius Andronicus *Achillem, Helenam, Laodamiam, Protesilaum* (nisi eadem cum Laodamia fuit fabula), *Aiacem, — Equum Troianum, — Odysseam, Aegisthum, Hermionen* in scenam produxerat. At Naeuii fuere tragoediae *Iphigenia, Protesilaus, Telephus, Hector, Equus Troianus, Aegisthus;* Pacuuii *Chryses, Armorum iudicium, Teucer, Iliona, Anchises, Hermiona, Dulorestes;* Accii *Achilles, Telephus, Diomedes, Nyctegresia, Epinausimache, Myrmidones, Armorum iudicium, Eurysaces, Neoptolemus, Philoctetes, — Troades, Andromache, Astyanax, Hecuba, Iliona, Deiphobus, — Clytaemnestra, Aegisthus, Agamemnonidae, Aeneadae, Antenoridae;* Ennii *Iphigenia, Achilles, Telephus, Phoenix, Aiax, — Hectoris Lytra, — Andromache, Hecuba, Alexander, — Dulorestes, Eumenides* (quae Ennio vulgo tribuitur, *Iliona*, Pacuuii fuisse videtur); Varronis tandem *Cycnus, Aiax, Armorum iudicium, Eumenides.* Harum partim fragmenta, aliarum nomina tantum ad nos peruenerunt; sic Atilii *Electra*, L. Pomponii Secundi *Armorum iudicium.* Et quot non cum ipsis nominibus interciderunt putabimus! Quae igitur poeta in sua narratione a vulgari ratione habet recedentia, aut in quibus auctorem, qui ei praeiuerit, desideres, ea *ex tragiciis suis* in epos suum traduxisse nobis videtur; in vulgari autem narratione *Arctini* Ἴλιου πέρσιδα s. πέρσιν tum *Iliadem paruam* diximus ipsi potissimum fuisse propositam; de quibus nunc paucis est exponendum.

Ilias parua, Ἰλιὰς μικρά, non tam totum bellum Troianum, quod tradunt, quam res Iliacas post Homericam Iliadem comprehendere debuit, si ea reputes, quae, tamquam eius argumentum, Aristot. de Poet. v. 23 memorat, plus quam octo tragoediis sufficere, cum Iliadis Homericae

argumentum tántum vnam, ad ſummum duas, ſuppeditet. Nam Ὅπλων κρίσις, Φιλοκτήτης, Νεοπτόλεμος, Εὐρύπυλος, Πτωχεία, Λάκαιναι, Ἰλίου πέρσις, καὶ Ἀπόπλους, καὶ Σίνων καὶ Τρῳάδες, haec omnia, inquam, ad res poſt Hectoris atque poſt ipſius Achillis caedem geſtas ſpectant. Dici vix poteſt, quantopere viri docti, inprimis Salmaſ. ad Solin. p. 800 ſq., in iis turbent, quae ſuper hoc disputant. Ad Ὅπλων κρίσιν pertinuerunt verſus a Schol. Ariſtoph. laudati ad Equ. 1053, forte et is qui in Schol. Pindari ſervatus ad Nem. 6, 85 de Achillis haſta: ἀμφὶ δὲ πόρκης χρύσεος ἀστράπτει, καὶ ἐπ' αὐτῷ δίπτυχος αἰχμὴ (ita lego, pro corrupto ἐπ' αὐτὸ δίπτυχος ἦν) verſus effictus eſt ad Iliad. ζ, 320. ϑ, 895. Ex particula Ἰλίου πέρσις verſus excerptus eſſe videtur, Scholiaſtae veteri Euripidis ad Hecub. 914 (Scholion in noſtris editis, ne in recentiſſimis quidem, non extat; ſed ex ſchedis Fulvii Vrſini laudatur ap. Scalig. de Emend. Temp. lib. V, p. 378 ed. Geneu. 1629; nam in edit. pr. 1598 nondum reperitur) et Tzetzae ad Lycophr. v. 344 laudatus: Νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη, qui et in Tzetzae Μεθωμηρικοῖς repetitus eſt apud Dodwell. de Cyclis p. 803. nunc v. 720. 773 ed. Iacobs. cf. Exc. VIII ad Aen. II, 250. et ad lib. III, 8. Exc. II. Ex Ἀπόπλῳ carmine puto eſſe vndecim illos verſus de Aenea cum Andromache abducto a Neoptolemo ap. Tzetz. ad Lycophr. 1263. cf. eund. ad 1232, vbi additur, eum poſt Neoptolemi apud Delphos caedem liberatum fuiſſe. De Sinone inf. dicetur Exc. IV, de Coroebo a Leſche tradita Exc. X memorabuntur. Palladium furto Diomedis et Vlyſſis ablatum idem expoſuerat, vt ex Heſych. in Διομήδειος ἀνάγκη conſtat; quomodo autem ab eo res narrata fuerit, intelligi forte poterit ex Zenob. III, 8; eſt enim huius narratio ſimpliciſſima. Voces et ῥήσεις aliae nonnullae videri poſſunt apud Barneſ. Homer. Tom. II Fragm. p. 108. Iam poſt iſta ſcripta in manus venit fragmentum Procli, quod Ἰλιάδος μικρᾶς ἀ Λέσχεω argumentum ſeruauit*): ex hoc intelli-

*) In *Biblioth. d. alt. Litt. u. Kunſt, Tom. I.* p. 35. Haberet nunc vir doctus opportunitatem conficiendae collectionis Frag-

gitur, poetam exorsum esse narrationem statim ab armorum iudicio, et produxisse vsque ad equum in vrbem receptum et Troianorum ex commessatione somnum. Habitus et huius paruae Iliadis auctor olim a nonnullis Homerus, vt ex auctore de vita Homeri, qui vulgo Herodotus fertur, patet, c. 16, vbi et primi duo versus occurrunt. Διατρίβων δὲ παρὰ τῷ Θεσπρίδῃ ποιεῖ Ἰλιάδα τὴν ἐλάσσω (ita hic appellatur, nec audiendus Salmas. Polyh. p. 598 sq., qui Cypria carmina et Ἰλιάδα ἐλάττω vnum esse nullo argumento contendit), ἧς ἡ ἀρχή: Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον, Ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος. Fabricius, qui l. l. hoc idem repetiit, tamen mox initium poematis Leschei narrat, quod Horatius perstrinxerit v. 136 *Fortunam Priami cantabo et nobile bellum*, Ἀείσω Πριάμοιο τύχην πόλεμόν τε πλεεννόν. Sed is versus a Salmasio confictus et pro paruae Iliadis Lescheae primo versu venditus est l. c. p. 601 A, scilicet is Iliadem ἐλάσσω diuersam ab Iliade parua, et eandem cum Cypriis carminibus esse volebat. Sine auctoris nomine eam laudant Clemens Alex. et Vet. Schol. Euripidis ap. Fabric. B. Gr. T. I, p. 279. 280, et Pausan. III extr. et X, 26. At communior sententia ad Leschen eam retulit. vid. Fabric. ibid. pag. 180, etsi Ryck. p. 444, qui p. 446 contra eam sententiam disputat, sed cupide magis quam grauiter ac vere. *Lesches hic s. Leschens*, Λέσχεως, Aeschyleni s. Aeschyli f. Lesbius, Pyrrha ciuitate oriundus, ab Euseb. Hieron. ad Olymp. XXXIII memoratur: *Lesches Lesbius, qui fecit paruam Iliadem*, vt inter antiquissimos adeo habendus sit. Eundem in multis expressit auctor Tabulae Iliacae, olim in palatio gentis *de Spagna*, nunc in Capitolio seruatae, quam a Fabretto vulgatam ad calcem *Syntagm. de Columna Traiani* videre licet p. 315. nuncque in Museo Capitol. Tom. IV. t. 68.

mentorum Poetarum Cyclicorum, praemissa Procli expositione singulorum carminum; et subiecta comparatione eorum, quae passim in Tragicis aliisque poetis aut simili aut alio modo sunt pertractata. Expedita quoque inde erit illustratio carminis, quod sub Quinti nomine habetur.

Adſcriptum quoque in illa eſt: Ἰλιὰς μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον. Etiam Quintum Smyrnaeum Leſchis veſtigiis inſtitiſſe nuper docuit is, quem ſupra laudaui, *Tychſen* noſter in *Commentat.* p. 28 ſq.

Iam *Cypria carmina*, modo memorata, τὰ Κύπρια ἔπη, vel τὰ Κύπρια, apud Ariſtot. de Poet. c. 23 videas vna cum parua Iliade laudata, quo ipſo manifeſtum ſit, diuerſa ea carmina fuiſſe; vti ex Pauſ. X, 26 ſaltem hoc patet, ab Leſchei Ἰλίου πέρσει diuerſum opus fuiſſe. Videntur ea comprehendiſſe anteriora Iliadis. Certe ab Herod. II, 117 ſuper Helenae raptu laudantur, de Helena e Nemeſi nata ap. Athen. VIII, p. 334. et verſus ex libro XI ab Athen. XV, p. 682 E. F. exſcriptos ad iudicium Paridis pertinuiſſe, facile aliquis ſuſpicetur: tum vero pro ἐν τῷ ια haud dubie ſcriptum fuit ἐν τῷ α. Aliquot verſus ap. Schol. Iliad. α, 5 recitantur, qui non longe a principio libri locum habuiſſe videntur; emendati a doctiſſ. Waſſenberg. p. 134, duo verſus de Menelao ad Neſtorem deuertente ſunt apud Suidam in οἶνος, quos ſine carminis nomine legimus apud Athenaeum lib. II. pr. et, quod triduo Paris Sparta Troiam redierit, ex Cypriis carminibus docet Euſtath. p. 663 A. Interſperſa quoque erat narratio de Dioscuris Leucippidas abducentibus et pugna cum Apharetidis, vt diſcere licet e Schol. Pind. Nem. 10, 114 (quo ſpectat locus Pauſ. III, 16 pr.), et de Thetidis nuptiis, vt in Schol. Iliad. π, 140 habetur. De Palamede fabulas ex hoc fonte fluxiſſe intelligo e Pauſ. X, 31, p. 874, qui ſcriptor Neoptolemi quoque nomen et Aeneae coniugem Eurydicen inde illuſtrat c. 26. In iisdem fabula de Anii filiabus erat narrata, teſte Tzetza ad Lycophr. v. 570: atqui et ea in belli Troiani initia incidebat; vt adeo manifeſtum ſit, Cypriorum Carminum argumentum vix aliquid habere, quod in Virgilianum carmen transferri potuerit. Poſthaec cum communicata mecum eſſent, mox vulgata, a doctiſſimo *Tho. Chr. Tychſen* Excerpta Procli e cod. Eſcorialenſi Iliadis deſcripta, (in *Biblioth. ant. litt. et art. Vol. I.*) *)

*) Repetitum nuper inde eſt hoc fragmentum a Tyrwhitt ad Ariſtot.

confirmata sunt et illa, et multo magis constitit, *Cyprium* carmen (τὰ Κύπρια) XI libris constitisse; initio ducto a Pelei et Thetidis nuptiis et orta inde dearum de pulcritudinis principatu contentione, narrationem fuisse deductam vsque ad Palamedis mortem, et ad Iouis consilium, vt subueniret Troianis, dum abstraheretur Achilles a societate belli per seminata inter eum et Atriden dissidia; catalogo sociorum Priami subiecto. Auctor varie a variis est traditus. Fuere olim qui Homerum proderent; et eum filiae suae Carmina Cypria dotis loco dedisse, fabula est apud Aelianum e Pindaro, puta grammatico aliquo: sed diuersa in Cypriis et dissona ab iis, quae Homerus de Helenae raptu tradiderat, occurrere, iam Herodot. II, 117 monuit. Alii alium ediderunt auctorem. v. Athen. VIII, p. 334. XV, p. 682. Proclus ap. Phot. Cod. 239, Salmas. ad Solin. p. 599 (qui eum suspicabatur esse, qui *gemino* bellum Troianum *orditur ab ouo)*, et, qui aduersus eum disputat, Ryck. de pr. Ital. init. p. 446, Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 374, Hemsterh. ad Polluc. X, 85, Perizon. ad Aelian. V. H. IX, 15, et quos laudat Interpres Herodoti doctiss. ad l. c. Sed *Stasinum Cyprium* fuisse auctorem, probabilior et communior est sententia. Nomen hoc etiam Scholiis Iliad. α, 5 reddendum. add. Tzetz. Chil. XIII, 639 sq. Ab huius poetae patria *Cypro* nomen carminum ductum esse, in aperto est. Latine Cypria carmina reddiderat Naeuius, cuius *Cypria Ilias* laudatur Carisio (v. de ea Wernsdorf. *Poet. min.* Tom. IV. p. 572); quo ipso probabile fit, eam Virgilio saltem lectam fuisse. Ex eadem forte sunt, quae Seru. ad Aen. I, 273. III, 10 recitat.

Sed *excidium Troiae*, de quo nobis nunc, inter caeteras Troianas res, potissimum quaeritur, quam diuersis modis tractatum olim esse debuerit, vel inde colligas, quod carmina tam multa ab antiquis memorantur Ἰλίου πέρσις, h. e. *Ilii vastatio* vel *excidium*, inscripta. In libris fere ἐν Ἰλίου περσίδι inflectitur; quod praeter rationem fieri Sca-

de Poetica p. 186. at mireris argumentum Iliadis paruae ibid. p. 189 non memorari.

liger ad Euseb. Chron. p. 72 a, Mauſſacus ad Harpocrat. in voc. καθελὼν, et Salmaſ. ad Solin. p. 800 monuerant; nam ἐν Ἰλίᾳ πέρσει eſſe dicendum. (Nec Ἰλιόπερσις recte a nonnullis ſcribi videtur; nam flecti deberet Ἰλιοπερσία.) Fallit tamen in hoc ratio grammatica; nam cum tot locorum, etiam Pauſaniae, tum Procli, auctoritas firmat vulgatam illam ſcripturam, modo refingas πέρσιδι, non περσίδι. Nobiliſſima inter caeteras *Steſichori* Ἰλίου πέρσις ſaepius veteribus laudatur, v. c. Pauſan. X, 26 pr. (vbi inter captiuas Troianas Clymene. Κλυμένην μὲν οὖν Στησίχορος ἐν Ἰλίου πέρσιδι κατηριθμηκεν ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις. ὡσαύτως δὲ καὶ Ἀριστομάχην ἐποίησεν Ἔννος θυγατέρα μὲν Πριάμου. Leg. ἐποίησαν ἐν Νόστοις.) item c. 27, p. 865 Hecubam in Lyciam ab Apolline ſuiſſe abductam. Alia collegit Suchfort noſter in docta diſſ. *de Steſichori fragm.* p. 32 ſqq. Ab eodem Pauſania p. 864 de Meduſa, vna e Priami filiabus, Apollodoro quoque memorata III, 12, 5 f., in verbis: κατὰ τὴν Ἱμεραίᾳ ᾠδὴν hoc idem carmen deſignatur, quod lyricum ſuiſſe videtur, ſub *Himeraei* nomine; erat autem Steſichori patria Himera Siciliae; adeoque male inde nouum auctorem nonnulli effinxerunt. Etiam in Iliaca Tabula inter auctores, e quibus artifex Iliadem ſuppleuit, Ἰλίᾳ πέρσις κατὰ Στησίχορον legitur. Fuit hoc carmen lyricum: quale fuit aliud Bacchylidis: vaticinium de excidio Troiae: quod expreſſiſſe videtur Horat. I Carm. 15. Quod in eadem Tabula iis verbis ſubiicitur: Τρωϊκὸς, non eius carminis nomen habendum erat; ſed ſubintelligitur κύκλος Τρωϊκὸς, complectens ea, quae ſequuntur: adſcribitur enim paullo poſt: Ἰλιὰς κατὰ Ὅμηρον. Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον. Ἰλιὰς ἡ μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον. Alia Ἰλίου πέρσις, a Steſichori carmine diuerſa, a Pauſania X, 25. 26 memoratur, et quidem Leſchei nomine; iam cum apud Ariſtot. Poet. c. 23 (vt paullo ante vidimus) Ἰλίου πέρσις inter partes Iliadis paruae memoretur, dubitari vix poteſt, hanc a Pauſania laudatam Ἰλίου πέρσιν Leſchei nullam aliam fuiſſe quam partem Iliadis parvae eo nomine inſcriptam. Memorat ex ea Pauſanias Me-

getem vulneratum ab Admeto Argiuo in pugna nocturna (sc. quae capta Troia facta est), et Lycomedem Creontis f. ab Agenore; Aethram a filiis agnitam; Astyanactem de turri deiectum; Aeneae vxorem Eurydicen; Asiynoum a Neoptolemo interfectum; Helicaonem in eadem νυκτομαχίᾳ vulneratum; Eioneum caesum a Neoptolemo, Admetum a Philoctete; Coroebum a Diomede; Priamum ab ara abstractum et ante fores caesum a Neoptolemo; Axionem, Priami f., ab Eurypylo, Agenorem a Neoptolemo. Quod si idem Pausanias Leschei Iliadem paruam seorsum memorat, vt c. 26 pr. p. 862, seiunctam hanc partem carminis a reliquo corpore eum habuisse apparet.

Apud Euseb. Hieronymi MCCLIV *Arctino Milesio*, praeter *Aethiopida*, de qua v. Excurs. XIX ad I, 489, tribuitur *Iliaca vastatio* (Ἰλίου πέρσις). Cum nemo alius huius carminis meminerit, interpolati Hieronymi leuis auctoritas esse possit: nam siue ex margine, quo quis similis carminis erat recordatus, siue ex interpretatione Aethiopidis, irrepsisse videri potest. Enimuero omnem dubitationem tollit Procli fragmentum e bibliotheca Scorialensi, in quo argumentum Ἰλίου πέρσιδος β' Ἀρκτίνου breuiter exponitur. Complexum illud erat libris II nouissima Troiae, inde ab equo Troiano ab Achiuis relicto, et substitit sub reditum Achiuorum. Conueniunt pleraque cum Virgiliana narratione; ita vt statuere liceat, eam ad Arctini Ἰλίου πέρσιδα maxime esse adumbratam. Ex ea etiam illa, quae ex Arctino Dionys. Halic. lib. I, c. 68. 69, de Palladio narrantur, in hoc carmine locum suum bene habere potuere. Suboritur inter haec suspicio, non aliam forte fuisse Ἰλίου πέρσιν Pausaniae sub Leschei nomine laudatam, quam hanc ipsam Arctini nomine apud Proclum inscriptam: nam continuatur in ea narratio Iliadis paruae vsque ad Equi in vrbem deductionem perductae; et in Tabula Iliaca solius Leschei nomen est appositum, cum tamen Ἰλίου πέρσις expressa esse videatur.

Sacadae, non, vt vulgo legitur, *Acati*, Argiui, Ἰλίου πέρσιν ex Athenaeo XIII, p. 610 C. (cf. Mauss. ad Har-

pocrat. in καθελὼν) laudarunt iam alii, etiam Vrſinus ad Virgil. Carmen illud lyricum fuiſſe credo: nam fuit ille muſicus. Primus τὸ πυθικὸν αὔλημα ηὕρησε Delphis: Pauſ. II, 22, quod factum primis ſtatim Pythiis Ol. XLVIII, 3 et alteris Ol. L, 3 v. Pauſ. X, 7, p. 814. Statua eius ingentibus cum tibiis in Helicone ſtabat: Pauſ. IX, 30, p. 768. Excidium Ilii non minus perſequuti videntur, qui τὰ Τρωϊκὰ condidiſſe narrantur, inter quos *Syagrus*, vix dixeris, qua fide, omnium primus iam ante Homerum argumentum hoc tractaſſe ferebatur, ſec. Aelian. V. H. XIV, 21; de reliquis Τρωϊκῶν auctoribus ſupra dictum eſt.

Fuere et Tragoediae Troiae excidium titulo praeferentes: vti Iophontis Ἰλίου πέρσις apud Suid. h. v. ex certa virorum doctorum emendatione, et Sophoclis Ἰλίου ἅλωσις quam apud Strab. XIII, p. 608. deprehendiſſe ſibi viſi ſunt. Neque Nicomachi Πέρσις ἢ Πολυξένη alio trahenda eſſe videtur, vt nec Phormios Ἰλίου πόρθησις; at Timothei πέρσαι ἢ Ναύπλιος leg. πυρσοὶ vel πυρσά. De Sophoclea tamen fabula admodum dubitandum eſſe putamus, an vlla extiterit. Nam primum totus ille Strabonis locus: Σοφοκλῆς γὲν ἐν τῇ ἁλώσει τῇ Ἰλίᾳ παραλέαν φησὶ πρὸ τῆς θύρας τῆ Ἀντήνορος προτεθῆναι σύμβολον τῆ ἀπόρθητον ἐαθῆναι τὴν οἰκίαν, totus igitur ille locus ab aliena manu, margini forte appoſitus, in contextum veniſſe videtur; nam Demetrii Scepſii narrationem intempeſtiue ſatis interrumpit, nec cum caeteris cohaeret; etſi res ipſa etiam apud Pauſan. X, 27 in Polygnoti tabula occurrit. Sed et dubitari poteſt, an is ipſe, qui verba adſcripſit, fabulam Sophoclis hoc nomine declarare voluerit. Narrare enim voluiſſe videtur rem, quae capta Troia inter caeteros caſus contigerit; multoque magis ea expoſita eſſe debuit in fabula Sophoclea Ἀντηνορίδαι, paſſim a veteribus laudata, *) quae ad eam narratio-

*) Cum vnus ex his verſibus apud Strabonem laudatis καταστίκτου κυνὸς Σπολὰς Λίβυσσα παρδαλῆφόρον δέρας apud Schol. Ariſtoph. Au. 934 laudetur: Αἴαντι Λοκρῷ, concedendum eſt elegantis ingenii viro *Iacobs*, ex hac potius fabula locum illum ſeruatum eſſe,

nem inſtituta fuiſſe videtur, quam Dictys expoſuit lib. V extr., cum Antenori regnum Troianum ex pacto cum Graecis relictum ab Aenea fruſtra tentatur. cf. ſup. Exc. VII* lib. I. de Antenore.

Sed iam dudum poſſum videri ſi non inani, aliena tamen a poeta, opera defunctus eſſe, ſiquidem luculentiſſimo Macrobii Sat. V, 2 loco ſatis iam expoſitum eſt, quem Virgilius in hoc libro ſibi propoſitum habuerit: „vel quod „euerſionem Troiae cum Sinone ſuo et equo ligneo caete„risque omnibus, quae librum ſecundum faciunt, a *Pisan„dro* paene ad verbum transcripſerit? qui inter Graecos „poetas eminet opere, quod, a nuptiis Iouis et Iunonis in„cipiens, vniuerſas hiſtorias, quae mediis omnibus ſaeculis „vsque ad aetatem ipſius Pisandri contigerunt, in vnam „ſeriem coactas redegerit et vnum ex diuerſis hiatibus (h. e. „interuallis; noli tentare, *tractibus*) temporum corpus eſ„fecerit. In quo opere inter hiſtorias caeteras interitus „quoque Troiae in hunc modum relatus eſt. Quae fideliter „Maro interpretando fabricatus eſt ſibi Iliacae vrbis ruinam. „Sed et haec et talia (nempe omnino quod Virgilius Grae„cos poetas imitatus ſit) vt pueris decantata praetereo.“ Praeclara narratio, et in qua vellem acquieſcere poſſe. Sed diſpiciamus eam accuratius, et primum quidem videamus, quisnam ille *Pisander*, et quale hoc eius opus fuerit.

Nomen autem illud per duo maxime inclaruit poetas. Alter fuit ſerior, τῶν Ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν auctor, de quo poſtea dicam; alter antiquus poeta Pisander, qui circa XXXIII Olymp. vixit, quamquam alii Heſiodo antiquiorem et Eumolpo aequalem tradiderunt, Camiro Rhodi oriundus, *Heracleae* libb. II auctor, h. e. carminis de rebus ab Hercule geſtis, cuius non infrequens inter Grammaticos mentio. Diſerte de eo agit Suidas. cf. Kuſter. ad e. l. Meurſ. in Rhodo II, 11. Stauer. et Muncker. ad Hygin. Aſtron. 24. Burmann. Sec. ad Valeſ. Emend. IV, 14, qui Pisandri nomen praeclare aduerſus ſubſtitutum Terpandri tuetur, et Koppiers Obſſ. p. 110. Tertium quidem aliquem Pisan-

drum poetam facit Valeſ. ad Heſych. in Νᾶς· ἐ παρὰ Κενταύροις, et cum eo alii. Sed in Schol. Ariſtoph. Auib. 1555 πωμφδέμενος aliquis Pisander memoratur, cuius ſaepe apud Schol. mentio fit, qui etiam Platonis comoediam eo nomine inſignitam laudat. Adde Suidam in Εἴ τι Πεισάνδρε. Etiam *Pisandrum Phyſicum* Fulgentius excitat Mytholog. I, 14; verum Grammaticus ille in ſcriptorum nominibus omnino eſt contaminatiſſimus. Sed *antiquior* ille *Pisander* inter principes poetas epicos poſt Homerum, Heſiodum, Panyaſin et Antimachum fuit habitus, et a Grammaticis Alexandrinis in canonem et cyclum epicum relatus: v. ſup. p. 354; adde fragm. Cenſorini c. 9 et idem διασημότατος ποιητὴς apud Stephan. in Καμειρεὺς; Quinctilianus vero X, 1, 56 *Quid? Herculis acta non bene Pisander?* Habemus quoque in eius laudem Epigramma inter Theocritea XX. Etiam Strabo XIV, pag. 655 D. inter celebres Rhodios, κἀ Πείσανδρος δὲ ὁ τὴν Ἡράκλειαν γράψας, Ῥόδιος. Idem lib. XV, p. 688 C., vbi de Bacchi et Herculis in Indiam expeditionibus agit, dum refellit fabulam, haec ſubiicit: „quod Hercules leonis ſpoliis amictus, et clauam geſtans exhibetur, Troianarum rerum memoria poſterius eſt, πλάσμα τῶν τὴν Ἡράκλειαν ποιησάντων, εἴτε Πείσανδρος ἦν, εἴτ' ἄλλος τις." Quod non ita accipiendum, quaſi fuerint, qui pro re incerta haberent, an Pisander Heracleae auctor eſſet; etſi Piſino Lindio Pisandrum ſublegiſſe Heracleam fama olim fuit, vt ex Clemente Alex. intelligitur Strom. VI, p. 266 f. loco, quo de ſcriptorum plagiis agit; verum, quia plura carmina hoc nomine inſignita fuere, e quibus vnum aliquod exuuias leoninas et clauam primum inter reliqua Herculi tribuerat. Fuit enim et alia Ἡράκλεια, quae *Panyaſin* Halicarnaſſ. auctorem habuit, quam Eratoſth. in Cataſterism. c. 11 laudat: cf. Schol. Pind. P. 3, 177 et adi Munker. ad Antonin. Met. c. 20 pr. *Creophyli* Οἰχαλίας ἅλωσιν in ea fuiſſe exſcriptam, Clemens Alex. Strom. VI, p. 266 f. prodere videtur. Sed ad hanc alteram Strabonis dubitatio ſpectare vix potuit, vt nec ad alteram *Nymphios* Heracleotae, aliquoties in Schol. Apol-

Ionii laudatam. Hactenus de antiquiore. Videamus de *altero;* qui Alexandro Mammaeae imperante floruit, Neſtoris Larandenſis f. Laranda Lycaoniae et ipſe oriundus; Habuit adeo patrem rei poeticae ſtudio non minus clarum Seueri Imp. tempore; cf. de eo Niclaſius ad *Geopon. Prolegom.* p. LXII. Fuit huius Neſtoris Ἰλιὰς λειπογράμματος, egregii ſcilicet acuminis opus! facit quoque eius mentionem Menander rhetor apud Ald. in Rhet. ant. Filii autem, *Pisandri*, opus fuit, quod Ἡραϊκῶν Θεογαμιῶν titulo Suidas, Ἡρωϊκῶν Θεογαμιῶν Zoſimus Hiſt. V, 29 laudant. Praetuleram aliquando cum Fabricio B. G. To. VI, p. 606 prius nomen, tamquam ab Ἥρᾳ ductum, quod apud Macrobium Pisander „a nuptiis Iouis et Iunonis incipiens" vniuerſas hiſtorias perſequutus eſſe narratur; tum quia Iunonis nuptiae argumentum fuere in priſcis fabulis decantatiſſimum (v. viros doctos ad Heſych. in Ἱερὸς γάμος, et loca laudata in Hemſterhuiſiana nota apud Valkenarium ad Adoniaz. p. 366. 367, et nuper Wernsdorf. To. IV Poet. min. p. 462. Fuit adeo inter Epicharmi tragoedias Ἥρας γάμος, alia Alcaei Athen. ἱερὸς γάμος. Origines fabula e Creta duxiſſe videtur; vbi quoque alia veſtigia extabant: cf. Diod. V, 72 l. 96); et manauit forte ex illis fabulis locus Iliad. Ξ, 295 ſq. Profectum eſt ex iisdem, quod in Schol. Ven. Iliad. A, 609 occurrit: Iouis et Iunonis amores clam per CCC annos exercitos fuiſſe. Fabulam quoque reſpici puta in Theocriteo XV, 64. *omnia norunt mulieres,* καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥραν. Verum inaudita forma eſſet Ἡραϊκὸς, et ab Ἥρα formari deberet Ἡραῖος; tum, ſi de Iunonis nuptiis carmen egiſſet, ineptum fuiſſet in altero voc. Θεογαμιῶν latens nomen Θεός; nam ex Iunonis nomine ſatis intelligitur, *deae* nuptias celebrari. Corruptos quoque eſſe in hac voce Suidae codices, inde colligas, quod Eudocia, quae Suidam exſcripſit, p. 351 ἡρωϊκῶν Θεογαμιῶν legerat. Quid igitur, inquis, poeta in hoc carmine tractauit? nempe ἡρωϊκὰς Θεογαμίας, id eſt, *deorum dearumque nuptias cum heroibus aut heroinis,* ſeu cum mortalibus viris ſeu feminis, adeoque etiam *de heroibus* ex iſtis congreſſibus *prognatis:*

Heſiodi, ſeu quisquis poeta ille fuit, exemplo, qui in extrema parte *theogoniae* et in *heroogonia*, cuius partem ſuperſtitem habemus, idem argumentum verſauerat. Fuere quoque τὰ θεογάμια, ludi, quae in numis Nyſae et Coryci Ciliciae occurrunt: v. Eckhel Doctrina numor. To. I. P. III p. 53 et in numo Aegyptio *Eugamia*, ibid. P. IV. p. 442.

Reſtat nunc, vt illud quaeratur: ad vtrum Pisandrum Macrobius reſpexerit. Valkenarius quidem, gratum litteris graecis nomen, vtrumque carmen et Ἡρακλείας et ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν vnum idemque fuiſſe cenſebat; memorabatque ille in Diatribe ad Eurip. p. 24 Macrobii locum ita, vt *Pisandrum* diceret *Herculis acta ita ceciniſſe, vt a nuptiis Iouis et Iunonis incipiens vniuerſas hiſtorias — in vnam ſeriem coactas redegerit.* Vt adeo Suidas turpiter lapſus videri deberet, dum in duo diuerſos Grammaticos incideret, alterum doctum alterum indoctum, qui nominis ſimilitudine deceptus recentiori Pisandro aſſignaſſet, quae veteri tribuere debuiſſet. Iam Suidam eo modo ſaepius peccaſſe, nemo dubitet; ſatis magna exemplorum copia proſtante; hoc loco tamen ſimile crimen nullo modo ei impingi poteſt, quoniam ipſa res omnem ſuſpicionem diluit; fieri enim nullo pacto poteſt, vt illa duo carmina pro vno eodemque habeantur.

Pisandri quidem Rhodii ſeu Camirenſis *Heracleae* non niſi *duo libri* memorantur: quibus, ſiue molem voluminis, ſiue argumenti naturam cogites, vix probabile ſit *inde a Iouis et Iunonis nuptiis vniuerſas hiſtorias, quae mediis omnibus ſaeculis vsque ad aetatem ipſius Pisandri contigerant, in vnam ſeriem coactas* fuiſſe. Contra ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν libri vsque ad XXVI laudantur; et plures numero olim fuiſſe probabile ſit; Ἱστορίαν ποικίλην δι' ἐπῶν bene appellat Suidas ἐν βιβλίοις ἓξ, quod falſum eſſe, vt nec minus Valeſii ad Euagr. I, 20 emendationem, qui *ſedecim* libros fuiſſe ſtatuebat, ex iis patet, quae modo dicta ſunt. Sunt duo MSS., in quibus eſt ἐν βιβλίοις ξ': quod non improbabile eſt, ſi, quam late argumentum operis patuerit, reputes. Zoſimo nec minus dicitur Pisan-

der πᾶσαν ὡς εἰπεῖν ἱστορίαν περιλαβών. Laudantur porro sub Pisandri Rhodii nomine ea, quae cum Herculis factis coniuncta sunt; cum librorum vero VII. X. XIII. XIV. XXVI nota ea, quae quomodo inter Herculis facta locum habuerint, vix assequare; sunt porro illa leuia, et grammaticum acumen, quale seriorum scriptorum est, habent, aut in etymologiis versantur. De quo vt tanto melius constet: agedum comparemus loca ex vtroque Pisandro passim laudata.

Ad *Camirensem* respicere arbitror loca sequentia; Apollodor. Biblioth. I, 8, 5, vbi, *quam alii Hipponoi filiam narrant, ex qua Oeneo Tydeus natus sit, Gorges filiam* Pisander tradit: Πείσανδρος — λέγει· Fuit autem inter Herculis aequales et socios Tydeus. Eratosthenes in Catasterismis c. 12 Pisandri auctoritate firmat, *Herculem leonis Nemei a se occisi exuuias gestasse:* λέγει δὲ περὶ αὐτῆ Πείσανδρος ὁ Ῥόδιος, ὅτι καὶ τὴν δορὰν αὐτῆ ἔσχεν, ὡς ἔνδοξον ἔργον πεποιηκώς· Schol. Germanici Arateor. Phaenom. p. 114 *Periandrus* (emendarunt iam VV. DD, *Pisandrus) Rhodius refert, eum* (leonem) *ob primos labores Herculis memoriae caussa honorifice astris illatum:* sic Eratosth. paullo ante: τινὲς δέ φασιν, ὅτι Ἡρακλέης πρῶτος ἆθλος ἦν εἰς τὸ μνημονευθῆναι. Hyginus Astron. II, 24 de Leone — *De hoc et Pisandrus et complures alii scripserunt* (cf. Munck. ad eund. f. 30). Pausan. II, 37 inter eos, qui Hydrae Lernaeae plura capita affinxere; Πείσανδρος ὁ Καμιρεύς, et VIII, 22 *Stymphalidas crotalorum ope fugatas ab Hercule idem Pisander Camireus prodidisse narratur.* Athenaeus XI, p. 469 D, vbi *de cratere Herculis,* Πείσανδρος ἐν δευτέρῳ Ἡρακλείας. Schol. Pindari Pyth. Θ, 185, p. 294. Antaei, ab Hercule is est caesus, filium Ἀλκηΐδα dictam, ὥς φησι Πείσανδρος ὁ Καμηρεύς (lege Καμειρεύς). Apud Schol. Apollonii sunt loca, quae aperte ad Herculem spectant, Pisandri testimonio firmata: I, 1196 de claua Herculis (ad quem loc. cf. Suid. in Πείσανδρος), IV, 1396 de Ladone, dracone; at res non aeque manifesta est in IV, 58 de Endymione; lib. I, 151 de Idae et Lyncei Argonautarum matre, Polydora; I, 471

de Arene, Peloponneſi vrbe, nunc Hierana; II, 98 de Amyco; II, 1090 de Harpyis. Potuerunt enim illa forte in carmine de Hercule occurrere; ſed nec eum ſatis refellas, qui ad alterum Pisandrum omnia haec traxerit. Nam Argonautica apud hunc ſatis copioſe fuiſſe tractata, ex Zoſimo V, 29 apparet, qui ex eo Argonautarum iter ex Iſtro in mare Adriaticum, condita vrbe Emona in Pannonia (nunc *Laubach* Carniolae eſſe creditur), narrat*); et, quod dolendum eſt, Grammaticorum manibus recentiora illa opera cyclica multo diligentius verſari ſolebant; vt etiam tum, cum vetuſtiores auctores laudant, eorum fere, quos exſcribunt, fide id faciant. Vnus eſt modus, quo cum Ruhnkenio V. C. ei rei occurras, vt reponas, in Indice eorum ſcriptorum, quorum teſtimonia in Scholiis Apollonii afferuntur, nullum eſſe, qui non Auguſti et Tiberii aetate ſuperior ſit; ſi ad lib. II, 329 Lucianus laudatur, eum ab interpolatore intruſum videri. Atqui hoc idem illud eſt, quod incertum parumque tutum facit omne hoc de ſcholiorum auctoritate et aetate iudicium. Ita nec auſim pronuntiare de Schol. Eurip. Phoeniſſ. v. 1748 ſuper Sphinge ex Aethiopia arceſſita, et de loco Etymologici M. in κεραννύς**).

*) Repetit eadem Sozomenus H. E. I, 6, vterque, vt equidem ſuſpicor, ex Olympiodoro, cui Zoſimus multa debet. Fabula ipſa iam antiquioribus erat frequentata: cf. Notae ad Apollod. p. 207, Plinius III, 18 f. 22.

**) Super hoc loco non inuidebo popularibus meis animaduerſionem praeclaram Ruhnkenii, viri doctiſſimi: „agit, inquit, Etymologus hoc, vt doceat veteres κέρατι ἀντὶ προχόυ vſos eſſe. Pro Πείσανδρος autem legendum Πίνδαρος. Ecce tibi Pindari locum, quo Etymologi gloſſa pertinet: apud Athen. XI, p. 476 A. ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο (v. Fragm. Pindari p. 69. cf. Gataker. Miſcell. poſtum. c. 5, p. 453). Contrario errore peccatum eſt in Zenobio VI, 49 ὡς φησὶ καὶ Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους. Repone Πείσανδρος. Verſus, quos reſpicit Zenobius, ſeruauit Schol. Ariſtoph. ad Nub. 1047. Idem error apud Etymol. MS. Bibl. Regiae Pariſ., qui, cum formam ἀὲς pro ἀεὶ Doribus tribuiſſet, ſtatim addit: ἐπεισὴ καὶ τὸ ἀὲ παρὰ Πεισάνδρῳ, vbi ſcribendum παρὰ Πινδάρῳ, quem Dorice ſcripſiſſe ſcimus. Ad Pindarum igitur referenda Heſychii gloſſa: ἀὲ ἐπὶ τοῦ ἀεὶ καὶ ἴσως.“

E toto Pisandro versum vnum integrum seruauit Io. Stobaeus Serm. XII de Mendacio p. 140 Οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν; duo alii leguntur in Schol. Aristoph. Nub. 1047. An carminis pars adhuc in Idyllio inter Theocritea XXV seruata sit, vti non improbabilis est suspicio, ita aduersus repugnantem probari nequit.


Ad *Pisandrum* vero *Larandensem* primum Zosimi locum paullo ante laudatum, tum loca Stephani Byzantini refero omnia, in quibus Pisandri testimonio vtitur; nihil enim ea habent, quod ad Heracleam vllo modo trahi possit, aut si habent, vti locus in voc. Ἀγάθυρσοι, Βουλεία et in Ἄσκος, nam Herculis sane res gestae etiam ad Scythiam et Bithyniam spectant, tamen librorum numerus adiectus euincit, ad Larandensem ea loca esse referenda non minus ac reliqua in Οἰνωτρία, Ἀπέννιον, Λυκόζεια, Νιφάτης (quo loco etiam versus integer e lib. VII laudatur, qui idem apud Suidam in Νιφάτης legitur: Ταύρου πρυμνώρειαν εὐσκόπελόν τε Νιφάτην), Κυβέλεια. Nam *Heraclea* duobus libris constabat; at Stephanus Pisandrum laudat libro VII. X. XIII. XIV. XXVI. Porro ex hoc altero petitum esse debet, quod Euagrius H. E. I, 20 Antiochiam Syriae iam olim Graecorum coloniam fuisse affirmat, quae narratio qualis fuerit, ex Ioanne Malela disci potest Chronogr. p. 32 sq. et Cedreni Compend. Hist. p. 134 sq. Etiam is, qui inter Epigrammatum auctores recensetur, iunior hic Pisander cum Fabricio videtur esse habendus: nec enim epigramma, quod sub Pisandri Rhodii nomine laudatur (v. Brunck. Anal. T. II, p. 294), antiquitatem aut simplicitatem redolet. Latere etiam ille videtur sub *Thessandri* nomine ap. Serv. ad II, 211. cf. inf. Excurs. ad II, 199.

Quae adhuc commemoraui, ea me, qui nullo seu rei seu opinionis studio teneor, mouent, vt id, quod olim sequutus sum, retinendum arbitrer: diuersa fuisse opera Ἡρακλείας et ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν: nam vt contrarium tuearis, plura aut sine ratione aut aduersus omnem rationem amplectenda sunt. Superest, vt de ipso Macrobio dispiciamus, qui *euersionem Troiae Virgilianam a Pisandro*

paene ad verbum transscriptam testatur. Qua in re necesse est, aut Macrobium grauiter errasse, aut ἡρωϊνὰς θεογαμίας non Larandensis, quod Suidas asseruerat, sed alterius poetae, qui ante Virgilium vixerat, opus fuisse. Videamus, vtrum sit probabilius.

Si hoc ponas, fuisse carmen illud Virgilio antiquius, vt nec tamen ad Pisandrum Rhodium referri illud possit; id quod vidimus fieri non posse; sumere aliquid necesse est, quod et omni auctoritate caret, et vero etiam probabilitate, nam nemo alius aut talem Pisandrum, aut tale carmen memorauit, quod tamen iis aetatibus scriptum esse deberet, de quibus satis multa nobis tradita sunt. Macrobii autem Grammatici auctoritas tanti non est, vt tam parum probabilia amplecti malim. At alterum cum ipsa rerum fide et ratione coniunctum est; nam fuit aliquis Pisander Larandensis; fuit Nestoris poetae, qui sub Seuero Imp. florit, filius; pater Iliadem denuo exarauerat; filius omnem mythologiam vno opere complexus erat. Consentaneum hoc est illarum aetatum genio; est et illud sollenne, vt, neglectis antiquioribus, carmina ex iis aetatibus magnam apud grammaticos sequentium saeculorum auctoritatem habeant: Zosimi aetate vix quicquam Pisandri Rhodii et aequalium supererat. Hoc altero igitur admisso, conueniunt inter se omnia, nec quicquam turbat, praeterquam Macrobii aut grammatici, quem ille loquentem inducit, assertum; quod temere, nec inspecto Pisandro, et falsa de eo concepta opinione, aut confuso Pisandri nomine, cum antiquum illum Rhodium poetam auctorem esse putaret, prolatum fuisse manifestum fit *). Potuere tamen in eo inter caetera res Troianae exponi, et, tamquam a Romano auctore, siue ad Virgilii exemplum, siue ad communem narrandi morem, qualis ab eo inde tempore inter Romanos fuit, constitui. De Sinone et equo Troiano, quae exempli loco a Macrobio memorantur, suo loco videbimus.

*) Nunc video de Macrobii errore disputatum iam esse a Io. Merrick ad Tryphiod. Diss. p. LXIV sqq.




EXCVRSVS II

Noctis per coelum transuectio.

II, 8. 9. *et iam nox humida coelo Praecipitat.* A Solis curru, vt omnino de poetica hac ratione semel moneamus, similis imago traducta ad Noctem, vt ei tribuantur *equi, currus, axis, orbita* per coelum, v. c. inf. III, 512 *necdum orbem medium Nox horis acta subibat.* v. ad Tibull. II, 1, 87. Itaque *Nox praecipitat,* sub finem decursus per coelum in mare descendit; quemadmodum *procedit ad Oceanum, medium iter exegit* et similia, omninoque ad hanc formam dictum accipiendum, si *Nox oritur, surgit, venit,* ab Oceano: inf. v. 250 *ruit Oceano Nox,* adde Iliad. Σ, 486; et quidem modo sic, vt ab Oriente Nox quasi Solis vestigia premat, modo, vt Sole in Oceanum descendente Nox ab hac ipsa parte Occidentis surgat, vt apud Ouid. *lux tarde decedere visa Praecipitatur aquis et aquis Nox surgit ab isdem.* Similiter *Sidera sequi Noctis currum,* et singulis noctibus cursu per coelum

exacto *mane occidere* et *in mare immergi*, omninoque *labi*, *procedere*, *ruere*, ſermone poetarum receptum eſt, et hinc mediam noctem ita declarant, vt *ſidera*, praecipue ſeptentrionalia, *culmen coeli* ac verticem ſeu polum *tenere*, mox inde *vergere*, *curſu decliui ferri*, nocte iam exacta *occidere* dicantur, v. c. in illis Ouidii Met. X, 446 *Tempus erat, quo cuncta ſilent, interque Triones* Flexerat obliquo *plauſtrum temone Bootes*. cf. Seneca Troad. 439. Herc. Fur. 129 et al. v. c. Orph. Arg. 534 Ἀλλ' ὅτε πρὸς μέσατον νυκτὸς πρόβαινεν ἀταρπὸς, Ἄστρα τε τηλεφανῆ δῦνεν (in eo iam erant vt ſubirent) ῥόον Ὠκεανοῖο. Ductum hoc ab antiquiſſimis poetis. Par modus eſt, quando ad oculorum ſenſum iudicio facto modo ſidera *circumagere ſe in coelo* ac *circumuoluere* per nocturnum ſpatium (v. c. quod ad manum eſt, Quint. Cal. X, 101 Ἧμος δ' αἰγλήεντα περιστρέφετ' ἠρανὸν ἄστρα) modo *coeli inuerſionem* et verſationem ſingulis noctibus, vt diebus ſingulis, fieri dicunt. Sic inf. 250 *Vertitur interea coelum, et ruit Oceano Nox*, h. e. ſurgit, prodit cum coelo verſo; quaſi nouum hemiſphaerium oculis ſeſe offerat per noctem. Haec non animaduerſa miras interdum interpretum argutias pepererunt. Lucan. II, 15 *Nox vbi ſidera condit*, h. e. mergit mari occidentia ſub Solem orientem. Omnium harum loquendi formarum, ad ſenſum oculorum a rudibus inde aetatibus frequentatarum, primae lineae occurrunt in Homero, ſicuti etiam *cadentia ſidera* h. l. et inf. IV, 81. VIII, 59: et *procedentia ſidera*: Iliad. κ, 251. 252 Ἀλλ' ἴομεν· μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠὼς, Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε. Adde Odyſſ. μ, 312. ξ, 483. Heſiod. E. 620.



EXCVRSVS III

De equo Troiano.

II, 15. 16. *De Equo Troiano* episodium ex Pisandro petitum esse, falso a Macrobio traditum, supra declarauimus Exc. I ad hunc librum. Videamus igitur, an probabili aliqua ratione expediri possit, quem alium auctorem sequutus sit poeta.

Homerus iam Iliad. o, 71 mentionem rei obscuram iniecerat, εἰσόκ' Ἀχαιοὶ Ἴλιον ἐξαπὺ ἕλοιεν, Ἀθηναίης διὰ βουλάς. Sed disertius idem de Equo egit Odyss. Θ, 492. δ, 271 sqq., de quibus locis infra videbimus Exc. VII. Huic tamquam fundamento superstructa fuit communior aliqua narratio, quam partim a Lescheo partim ab Arctino in Ἰλίου πέρσιδι, nisi vtriusque idem fuit auctor, expositam esse, ex Procli fragmento discimus: vtrumque Virgilius sequutus esse videtur: vt ex comparatione intelligitur. Quintus Cal. XII, 134 sqq. copiosus est hac in re; et occurrit Equus Troianus simili fere forma ac statu in Tabula Iliaca, quae in hac parte Iliadem paruam sequi profitetur. Diuerse tamen nonnulla cum a nostro tum a caeteris poetis et grammaticis narrari videas, cf. Hygin. f. 108. et Not., quae ipsa res argumento est, multos ex antiquioribus poetis in ea

narratione ornanda operam collocasse. Heleni consilio Equum exstructum esse, traditum ab aliis: v. Conon. 34. At Proclus e Lescheo: καὶ Ἐπειὸς κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν τὸν Δούρειον ἵππον κατασκευάζει. Panopei ille filius, Phocensis, genus ab Aeaco ducebat: v. Pausan. II, 29. p. 178. vnde intelligo, quomodo ille Αἰακίδης appellatus sit apud Tzetzam in Posthom. 632. ad quem locum alia de eo notauit Iacobs. In Tryphiodoro v. 61 et in Petronii halosi Troiae rhetoricam ambitionem facile agnoscas. Ineptior tamen Tryphiodorus. Operum nonnullorum veteris artis argumentum fuit hic idem Equus Δόρειος vel Δωράτεος, vt in arce Athenarum ex aere, ap. Pausan. I, 23 et in *Polygnoti tabula* apud Delphos ibid. X, 26 (quem simile argumentum Athenis in Poecile pinxisse ex Plutarcho in Cimonis Vita p. 481 A apparet, vbi τὰς Τρωάδας et inter eas Laodicen ad amatae sibi Elpinices speciem expressisse memoratur) in qua Epeus exhibitus erat nudus, Troiae murum solo aequans, καταβάλλων εἰς ἔδαφος τῶν Τρώων τὸ τεῖχος, prominente inter ruinas capite Equi Duratei. A quibus multum discessit Comes Caylus in interpretatione et adumbratione huius picturae *(Hist. de l' Acad. des Inscr.* Tom. XXVII, p. 34). Sed Epeus ex artificis mente ruinam muri ampliabat, vt prospectus in vrbem pateret, intra cuius moenia erant patefacienda nonnulla, quae ad argumentum spectabant. Praeter artificis tamen animum ac graeca Pausaniae, expressa sunt a Caylo etiam alia nonnulla. Ad nostrum tempus seruata opera, in quibus Equus Troianus visitur, Winckelmannus olim numerabat quatuor, picturam, satis insicite factam, Codicis Vaticani a Bottario ed. p. 43 et 47; tabulam Iliacam a Fabretto vulgatam, num. 95 et 100 (vnde Begerus transtulit in lib. de Bello et Excidio Troi.); gemmam apud Licetum p. 310 (e quo Gorlaeus repetiit P. II n. 523); et picturam Herculanensem Tom. III t. 40 re in risum versa, vt pro parodia scenica haberi res possit; quibus ipse addidit quintum exemplum e gemma, *Monum. ant. ined.* CXL, quae cum Virgilio hactenus conuenit, quod in ea expressum id quod v. 262

legimus: *Demissum lapsi per funem;* tamen simul scala admota equo cernitur, quam Quintus Cal. XIII, 52 et Tryphiod. v. 89 memorant, Tabula etiam Iliaca num. 100 exhibet. Cernuntur ibidem *clausira* (v. inf. 259), quae Sinon *laxat* et aperit, h. e. θυρίον seu ostiolum; quod idem cum fune in pictura Codicis Vatic. p. 47 occurrit. Est tandem patera Etrusco, seu Italico opere, apud *Lanzium (Saggio di Lingua Etrusca)* Tom. II, p. 223. Habebat igitur poeta fabulam a multis tractatam et vulgarem ante se positam, sed cum ea simul tragicos suos ex Graecis expressos. Nam *Liuii Andronici* fuit fabula, *Equus Troianus*, e qua fragmenta pauca supersunt, aliaque *Naeuii* ap. Macrob. VI, 1, et de eo actum fuit in *Accii Deiphobo*. v. Seru. ad II, 17. vti quoque in Tragicis Graec. memoratur, v. c. Eurip. Troad. 9 sq.

Sed grauior obseruatio forte est illa, qua arte poeta fabulam per se puerilem et nullam πιθανότητα habentem ita tractauerit, vt nihil nos in ea offendat, multa delectent. Fabulam dixi puerilem et per se parum probabilem; etsi interpretatione sua eam iuuare conati sint multi etiam inter veteres. Vide vel Seru. et Cerdam ad h. l. et plura satis inepte excogitata ap. Licetum *Gemmis Annular.* p. 310 sqq. Sed haud dubie in veteris Graeciae prisco sermone, audaces et insolentes figuras sectante, obscura huius Equi origo latet. Quod tamen me in hac fabula multo magis tenet, est hoc, quod ille Equus Palladi voti caussa offertur. Nam, si Neptuno, Equestris rei auctori, Ἱππίῳ, consecratum viderem, non mirarer. Quod Pallas artibus praeest, id tantum ad artificium equi ligno facti pertinere potest. An equus, nauis symbolum (nam nauigationem antiquiores per equitationem adumbrabant; vt forte hoc ipso ortum videatur, quod Neptunus equum produxisse proditus est), pro nauigatione felici dedicatus fuit? Palladi autem, quia ea dea propter ablatum Palladium erat placanda? Nauigio etiam actuario equum adsimulat Eurip. Troad. 538 in chori verbis, quae antiquum sermonem fere aemulantur; ad nauis etiam modum et rationem a vectoribus insessae

effictum eum exhibet Tryphiod. v. 62. 181. Quod vero in Virgilio fabula per se inepta placere potest, id efficitur primum eius antiquitate; nam in multis mythis hoc suus quemque sensus docere potest, quo propiores illi rerum hominumque originibus priscaeque vitae asperitati aut simplicitati sint, eo facilius in iis ferri res parum probabiles (cf. inf. ad III, 209 et 250); tum tractatione sapienter et magno cum iudicio instituta poeta omnia ab oculis remouit, quae attenuare rem et officere dignitati epicae poterant; contra multa apposuit, quae ad probabilitatem faciunt; cumque inprimis vix in stolidissimos homines cadere videatur, vt patiantur sibi tam turpem fraudem fieri, vt, suspicione de viris in Equo conditis semel orta, tamen eum intra moenia recipiant, callide poeta plura eaque, quae ad religionem spectant, rem ad hominum animos potentissimam, attulit, quae Troianos a proposito reuocarent, primum Sinonis dolos, tum Laocoontis exitium. De quibus omnibus Homerus, pro saeculi sui simplicitate, parum laborauit, fabula nude exposita Odyss. δ, 272 sqq. At Virgilii iudicium multo magis intelligas, si Quintum Calabrum et Tryphiodorum compares. Vt vnum commemoremus, noster v. 260 — 264 eos, qui Equo insederint, memorat *nouem* (cf. Hygin. f. 108); cum Homerus simpliciter πάντες ἀριστῆες dixisset. Ecce tibi Quintum, qui (XII, 310 sqq.) ad *triginta*, et Tryphiodorum, qui (v. 153 sqq.) *duo ac viginti* commemorat; at Cedrenus Hist. Compend. p. 131 C *quatuor et viginti;* et, si multo magis insanientes audire lubet, legendi Tzetza ad Lycophr. 930 et Eustath. ad Odyss. λ, p. 1698, 1, cf. Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 367, et nunc Iacobs ad Posthomer. 642. Varie inter hos scriptores eorum, qui Equo latuerunt, nomina tradi, vix opus est monere. Ex iis, quos Virgilius inf. II, 261 sq. recitat, Thessandrum et Machaonem nemo habet alius, nisi Hygin. fab. 108. In Equo ex aere facto, qui Athenis in arce stabat, Menestheus et Teucer cum Thesei filiis (Demophoonte et Acamante) ex Equo prospiciebant, ὑπερκύπτουσιν ἐξ αὐτοῦ ap. Pausan. I, 23, p. 55 satis ridicule, fere vt in Cod. Vatic. Quantum

ineptierint circa hunc Equum veteres, scilicet dum seriores tractatum a superioribus poetis argumentum variare et ornare volebant, saltem ex eo colligas, quod ap. Seruium ad II, 150 mensura Equi lignei traditur; *fuisse eum longum CXX latum XXX*, pedesne an cubitos, non adiectum.

EXCVRSVS IV

De Sinone.

II, 57. Etiam narrationem de *Sinone* ex Pisandro ductam a Virgilio, tradiderat Macrob. V, 2, sed v. sup. Excurs. I ad h. lib. Sinonis fraudes etiam Quintus, Tryphiodorus, Dictys et Dares memorant. Datum ei genus maternum commune cum Vlysse, nam filius Aesimi fuit, nepos Autolyci, cuius filia Anticlia, quae Vlyssem edidit: Schol. Lycophr. 344 et Seru. ad h. l. Videntur in eum poetae, qui Homericas fabulas ornarunt, transtulisse, quae de Vlysse narrata Odyss. δ, 244 sqq., praeiuisse autem omnibus Lesches. Nam Iliadis paruae particulam constituebat *Sinon* apud Aristot. Poet. 23. ὡς ὁ Λέσχης φησὶν, addit Tzetza ad Lycophr. 344. Ex eodem repetita res in Tabula Iliaca n. 98. Apud Proclum in argumento Ἰλίου πέρσιδος memoratur: vt nouo hoc argumento sit, non Arctini carmen, sed Leschis extremos Iliadis paruae libros eos fuisse. Fuit Sinon etiam fabulae Sophocleae argumentum Hesychio laudatae. Ex hac aut alia tragoedia profecisse videtur Virgilius in Sinonis oratione, quae Graecarum tragoediarum eloquentiam et acumen redolet. Est vero omnino apud Virgilium totus hic locus de Sinone eximie elaboratus et ornatus, etiam ad probabilitatem magis, quam apud caeteros. Ita apud Quintum v. 355 prope equum adstat Sinon, quod minus probabile, quam hic II, 57 sqq. In Cod. Vatic. pictura p. 43 reuinctum fune suis brachiis ducit equum Sinon. Porro apud eundem Quintum interrogatus de equo respondere recusat, nec nisi αἰκιζόμενος, verberibus, naribus auribusque resciss is, fraudem effatur. At apud Tryphiod. 211 et Cedren. Hist. p. 131 D se ipsum ver-

beribus lacerat, vt Troianos fallat. Sapientius omnia Virgilius; etiam hoc quod in palude se delituisse narrat, v. 135. At apud Quint. v. 375 Sinon ad Equum tamquam ad asylum se recipit.

EXCVRSVS IV*

De Palamede.

II, 81—85. *Fando aliquod si forte tuas peruenit ad aures Belidae nomen Palamedis, et inclutа fama Gloria; quem falsa sub proditione Pelasgi Insontem, infando indicio, quia bella vetabat, Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.* Memorabile Palamedis nomen est cum aliis de caussis, tum quod in eo insigne exemplum habemus variatae per tragicos, inde per rhetores, tandem per grammaticos, fabulae (Diserte ea exposita apud Schol. Eurip. Oresl. 432 et ad Lycophr. 386. Hygin. f. 105, et ibi laudd. Seruium ad Aen. II, 81, Pompon. Sab. ad e. l.). Omnino Homerus nec patrem Nauplium nec filium Palamedem agnoscit; ita vt obscurum esset, vnde hic in res Troianas illatus sit: nisi partim e Pausan. X, 31 pr. partim e MS. Escorialensi Procli iam supra memorato docere possem, *Cypriorum carminum* auctorem primum ei aditum et nomen in fabulis Troianis feciſſe. Nam in primo belli apparatu cum Vlysses militiam detrectaret, Atridae *μαίνεσθαι προσποιησάμενον Ὀδυσσέα ἐπὶ τῷ μὴ θέλειν συστρατεύσασθαι ἐφώρασαν, Παλαμήδους ὑποθεμένου, τὸν υἱὸν Τηλέμαχον ἐπὶ κόλασιν ἐξαρπάσαντες.* et sub finem carminis: *ἔπειτα ἐπὶ Παλαμήδους θάνατος*· ita vt omnis de Palamede narratio ad Antehomerica spectasse videri debeat. Etsi autem, quibus modis fabula tractata a Stasino et ornata fuerit, aliunde non liquet, nisi quod e Pausania l. c. apparet, iam in Cyprio carmine lectum fuisse, quod Palamedes tesserarum ludum excogitarit, et quod, cum piscatum iisset, Vlyssis et Diomedis fraude in aquis demersus interiisse dictus sit: e serioribus tamen scriptoribus, si commenta eorum detraxe-


ris, satis assequi possumus, in illo carmine odia inter Vlyssem et Palamedem agitata, insidiasque huic ab isto factas, tum sollers Palamedis ingenium et summam ex rerum vsu prudentiam fuisse adumbratam. Nec mirum adeo in rhetoricis scriptis nihil tritius esse Palamedis integritate, iniusta nece, et Vlyssis fraude: v. c. Dion. Chrys. Or. XIII, p. 428 ed. Reisk. Or. LIX, p. 360. Inuolarunt post haec in argumentum Tragici Sophocles et Euripides, ille quidem non modo fabula Palamede, verum, vt probabile sit, nec minus in duplici Nauplio; sed multo clarior fuit Palamedes Euripidis, cuius fragmenta nonnulla habemus, et in his notissimum illud: *ἐκάνετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοί, τὰν οὐδέν' ἀλγύνουσαν Ἀηδόνα Μουσᾶν, Neci dedistis, ah, neci doctissimam, Danai, innocentem, musicam, luscíniam;* quod in Socratem versum est a spectatoribus, cum post eius necem in scenam reuocata fuisset illa fabula (v. in fragm. Eurip. et in Diatribe Valk.). Intellectu haud difficile est, Palamedem ex tragicorum invento sustinuisse personam modo imperatoris sollertis et strenui, iuxta posita Agamemnonis superbia et cupiditate, (v. Plato de Rep. VII, p. 522 D) modo viri iusti, constantis, sapientis, quem ciues iniusti et ingrati pro beneficiis acceptis iniuria et maledicentia persequuntur. Ad talem personam alludere puto Xenophontem de venat. I, 11, vbi vltio, quae ei a diis contigisse dicitur, respicit Nauplii consilia: quae exposita videbis v. c. ap. Schol. Lycophr. 384. Conf. Xenoph. Mem. S. IV, 2, 33. Apol. Socr. s. 26. Pari modo Vlysses in Tragicis personam induit demagogi perniciosis artibus popularem auram captantis. Amphionem in Antiope Euripides in philosophum studiis et otio litterario addictum, Hippolytum idem in sapientem Pythagoreum transformauerat.

Inde Sophistae Palamedis caussam ab Vlysse proditionis accusati, ingenii ostentandi, tum rhetores exercitandi caussa, proposuere: Scilicet cum, vt in iudicio armorum inter Aiacem et Vlyssem, ita in hac Palamedis caussa materiam idoneam viderent ad argumenta eruenda et refel-

lenda; cf. Cic. Topic. 20, f. 76. ad Herenn. II, 19. Extat ſub *Alcidamantis* nomine accuſatio Palamedis, κατὰ Παλαμήδους προδοσίας, quae nihil habet memorabile, praeterquam quod, vt ſuſpicor, rerum argumenta ex carmine Cyprio adumbrata ſunt; ductum eſt crimen a ſagitta inventa, in cuius arundine latebant litterae Paridis: crimini etiam hoc datur, quod clipeum tridente inſignitum geſſit, et quod inuenta rerum falſo iactauit. Alia eſt *Gorgiae* defenſio ὑπὲρ Παλαμήδους ἀπολογία (vtraque in Reiskii Oratt. Gr. Vol. VIII) Sophiſticis argutiis referta; vbi etiam p. 118 locus de inuentis diſerte tractatur: de quibus cf. Fabricii B. Gr. I, 23. Inprimis loc. Sophoclis in Palamede apud Achill. Tat. ad Arat. p. 122. Vranolog. Petau. Ex ſerioribus Sophiſtis locum habemus in Philoſtrati Heroicis c. 10 ſq., qui, cum omnino pro Achille, forti quidem, ſed iracundo, peruicaci et immani homine, Palamedem, quippe perfectae ſapientiae et virtutis exemplum, ab Homero delectum eſſe cuperet, quem epica narratione celebraret, cumulauit in Palamedem omnia, quae in ſapientem Stoicorum cadere poſſint; contra Vlyſſis prudentia ad fraudes meras, ſceleſta conſilia et bonorum obtrectationes refertur. Exponuntur copioſe ſemina et cauſſae odiorum inter hunc et Palamedem; ſollertia huius inuenta et conſilia: in quibus hoc memorabile, quod peſtilentia tentatos Achiuos iubet tenuiore victu motuque intentiore vti; interdicit mercatu carnium exercitum, pomis vero et oleribus refectos milites vult, in altum euectos, laboribus aſſiduis exerceri (§ 4). Non multum ab his abludit narratio in fragmento τῶν Τρωϊκῶν e cod. XXIV Biblioth. Vffenbach. p. 682—686, vbi et hoc occurrit, quod, dum lapidibus obruitur, Palamedes exclamat: χαῖρε, Ἀλήθεια, πρὸ ἐμοῦ γὰρ τέθνηκας· tum in Tzetzae Antehomericis v. 114 ſqq., in quibus eadem verba ſic reddita ſunt: Χαῖρε, Ἀλήθεια νυδρὴ, πρόθανες γὰρ ἐμοῖο. Hoc ſingulari in Palamedem ſtudio captos videre licet etiam Grammaticos; finguntque ii adeo Palamedem poetam fuiſſe, cuius Homerus nullam mentionem feciſſe dicitur inuidia contactus:

v. Suid. h. v. Iam Dictyn II, 15 et Daretem c. 19 sqq., supposititios auctores, commemorare nihil attinet, quorum ille rhetorice historiam commentitiam conscripsit, hic declamatorie idem argumentum persequutus est. Poeta noster, an veteris scriptoris exemplo, nescio, Palamedis nomine praeclare vsus est ad auctoritatem Sinonis dictis comparandam, siquidem illi Sinon comes fuit et consanguineus. Quod autem, *quia bella vetabat*, occisus ab Achiuis narratur, recedit a vulgari narratione, qua proditionis arguebatur, litteris ab Vlysse per fraudem submissis.

In Palamedis stemmate turbas fecere iam veteres. v. Burm. in Argonaut. voc. *Nauplius*. et Not. ad Apollod. p. 274 sq., et ipse Maro in eo lapsus est, cum *Belidem* eum appellat. Nam is Palamedes, de quo agit, Nauplii Euboici e Clymene, Catrei filia, erat filius: cumque mater esset soror Aeropes Plisthenei nuptae, quae Agamemnonem et Menelaum partu ediderat, Atridas ille materno genere attingebat. Diuersus fuit Nauplius, qui ad Arginas fabulas spectat, Neptuni et Amymones filius: quae cum Danai esset filia, Belique adeo neptis, hactenus Palamedes, perperam ab eo ductus, *Belides* dictus est. Septimo gradu a Belo originem trahere falso dicitur a Lutatio ad Statii Achill. I, 94 et a Seruio ad h. l. Aen. II, 81, vbi Apollonio auctore id traditur.



EXCVRSVS IV**

Palladium a Diomede et Vlyſſe raptum.

II, 164 — 168. *Tydides — ſcelerumque inuentor Vlixes, Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo Palladium, caeſis ſummae cuſtodibus arcis, Corripuere ſacram effigiem manibusque cruentis Virgineas auſi diuae contingere vittas.* Celebritatem habet hoc Diomedis et Vlyſſis facinus multo magis per gemmas artificio nobiles quam per poetas. Diuerſis modis res ab iis eſt narrata, inprimis de ortis inter vtrumque iris; cum Vlyſſes Diomedi Palladium, quo ille iam potitus erat, eripere vellet; tum vero hic ſtricto enſe in Vlyſſem irruit, eumque ante ſe agit, ne a tergo inſidias ille machinetur. v. Conon. Narr. 34. et Euſtath. p. 822, 19, per episodium narratur a Quinto X, 350 ſq. Adde Zenob. in Διομήδεως ἀνάγκη, et in h. v. Suidas, item Heſych. vbi: Ὁ δὲ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα (ſc. γράψας) ἐπὶ τῆς τοῦ Παλλαδίου κλοπῆς γενέσθαι (ſc. φησί). Et hoc vere; nam in argumento Ἰλιάδος μικρᾶς apud Proclum eſt verſus finem: καὶ μετὰ ταῦτα (Vlyſſes) σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου. Virgilius rem

tantum attigit, ita vt nec appareat, quem ex pluribus narrandi modis sequutus ille sit; videntur ex eius mente vterque templum Mineruae esse ingressus et vterque manibus contrectasse deam.

Nobilitauit, vt dixi, fabulam ars, cum aliis operibus, tum maxime gemmis. Praeiuerat Pytheas, caelator, Plinio auctore, lib. XXXIII, 55. *cuius binae vnciae* X. *venierunt: Vlysses et Diomedes erant in phialae emblemate, Palladium furripientes.* Sunt anaglypha, huius argumenti, obscurioris tamen famae, vt in Sarcophago apud Gorium Inscript. Etrusc. To. III tab. 39. et apud Buonarroti (*Osservazioni istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi:* in titulo operis) qui Vlyssem cum Alcinoo exhiberi putabat, adstante Diana cum ancora: probabiliora dicas, si Vlyssem cum Diomede de raptu Palladii consultantem exhiberi dixeris; nauis appositа Vlyssem, puto, declarat ex artificis mente; statua autem columellae imposita ei similis quae in gemmis huius argumenti occurrit, parum cum fide reddita esse videtur. Si Diana est, columellae insistens, saltem arcum tenere videri debet. Nobiliores sunt gemmae; aliae, quae totam fabulam; Diomedem et Vlyssem ante templi fores inter se altercantes de Palladio, quod iste manu tenet, exhibent: in quo genere princeps est Sardonyx nunc in Dactyliotheca Ducis Marlburiensis seruatus, verbis insculptis. Καλπουρνιου Σευηρου et in ara Φηλιξ εποιει: (delineatus ille in splendidissimo opere: *Gemmae antiquae Ducis Marlburiensis To. I tab.* 39. maiore cum fide quam in Stoschiano opere *Gemmarum caelatarum* tab. 35 aut a *Braccio* tab. 75). Similis alia est in *Museo Florent.* II, 28, 1. Aliae gemmae modo Diomedem solum, modo Vlyssem exhibent, eodem tamen habitu ac gestu, ac si alter adstaret, cum quo contentio est. Diomedem solum Palladium manu tenentem et de ara desilientem reddunt gemmae omnium nobilissimae, Dioscoridis altera, altera Solonis nomine insignitae: illa in gaza Ducis Deuonensis, haec in domo Strozziorum asseruata. Successere artificum aemulantium certamina.

inprimis in Diomede, cuius generis multae sunt gemmae summae artis; sunt aliae ab imitatrice manu, etiam a Lipperto et Tassio expressae, quas hic commemorare necesse non est. Agebatur a me tantum hoc, vt nobilitatem et celebritatem fabulae declararem. Vnum attingam: Commemorat noster *caesos custodes arcis:* visitur autem in gemma Dioscoridis aliisque prostratum in terra et obuolutum corpus (in vna gemma Musei Florent. nudum conspicitur). Alcathoum esse probabile sit, quem caesum edit Quintus X, 352. Porro in columella adstat signum paullo obscuriore specie, vulgo pro Minerua habitum, etiam a Winckelmanno; nunc aliarum gemmarum comparatione intellectum est, Apollinis id esse πολιούχου seu πατρῴου Troianorum.



EXCVRSVS V

De Laocoonte.

II, 199. *Hic aliud maius miseris multoque tremendum Obiicitur magis atque improuida pectora turbat: Laocoon.* Sequitur apud poetam locus vel nuperis virorum doctorum disputationibus nobilissimus, et a Virgilio summa cum arte tractatus; super quo et nobis liceat partim de poetae inuentis, aut vnde ille narrationem eiusque ornamenta acceperit, partim de Vaticano simili argumenti signo quaerere, num ei quicquam cum poeta commune sit. Sed ad vtramque quaestionem satis expedita fore videtur responsio, si viderimus, qui alii poetae veteres fabulam de Laocoonte tractarint, et ornarint.

Et primum quidem varie omnino olim a variis narrationem hanc esse tractatam, vel ex serioribus scriptoribus intelligimus, qui nihil aliud fecisse putandi, quam vt superiores auctores aut seruiliter imitarentur aut exscriberent.

Exponunt autem illi narrationem de Laocoonte copiose et in multis diuerse.

Ita apud Quintum Calabrum XII, 388—409 iam tum, cum hasta percusserat Equum Laocoon, Palladis numine terra sub eius pedibus mouetur, vnde eum repentino terrore attonitum stupor et ἀνασθησία occupat. Mox tamen, cum Equus v. 436 etc. in vrbem duceretur, ille non desistit hortari et obtestari Troianos, vt eum comburerent; tum ex insula Calydna Minerua dracones aduocat, qui, dilapsa, quae aderat, turba, v. 466—490 duo Laocoontis filios correptos malis frangunt, frustra ad patrem manus tendentes, Πατρὶ φίλῳ ὀρέγοντε ἑὰς χέρας. ἐδ' ὃς ἀμύνειν Ἐσθενεν. Inde duo dracones non, vt apud Virgilium, in Mineruae templum in arce confugiunt, sed sub terram euanescunt, circa templum Apollinis in arce Pergamo, vbi adeo cenotaphium iis factum narrat (In ipso templo Apollinis Thymbraei filios interiisse Tzetza memorat ad Lycophr. v. 347, nescio an alio rei auctore). At pater oculis capitur. Hactenus Quintus, qui, quam diuersus in multis sit, obuium est. Tryphiodorus Laocoontis plane nullam mentionem facit, vti nec Dictys et Dares. At Hyginus f. 135, proxime ad Virgilium, patrem cum filiis necatum narrat. Facit is, nisi ab exscriptore vel excerptore corruptus est, Laocoontem Acoetis filium, Anchisae fratrem; at Antenoris filium tradit Tzetza ad Lycophr. 347. Apud eundem Hyginum Laocoon est Apollinis, non Neptuni, sacerdos, et contra eius voluntatem vxorem duxit, eique ab Apolline dracones immittuntur; quae non admodum ab iis discrepant, quae Seruius ad v. 201 ex Euphorione adfert. Filiorum quoque duorum nomina apud Hyginum adscripta sunt: *qui filios eius Antiphantem et Thymbraeum necarent.* at apud Seru. ad v. 211 Thessandrus *Ethronem* et *Melanthum* nominatos edidit. Quid? quod et draconum nomina occurrunt; *Porces* quidem apud Lycophr. v. 347, vbi Tzetzes alterum *Chariboeam* excitat (ὁ Πόρκης — ἡ Χαρίβοια), vtrumque etiam ex Lysimacho commemorat Seruius l. c. et, si alteri Seruii loco ad v. 204 fides habenda, nomina ea iam

Sophocles in Laocoonte protulerat. Dracones ingenioſe ſatis *Typhonis ſoboles* produntur a Quinto v. 443. Ab eodem dracones a Calydna arceſſuntur, ſeu potius a Calydnis, cum Lycophrone l. c. (ad quem loc. v. Schol.), quae duae ſunt inſulae iuxta Tenedum. Apud Virgilium ab ipſa Tenedo prodeunt, in quo Hyginum habet conſentientem.

Immoramur his per ſe leuibus eo, quod vel ex his intelligitur, varie olim hanc fabulam a pluribus poetis fuiſſe tractatam. Sed liberior nobis progrediendi locus datur, et poſſumus etiam ſcriptores laudare Virgilio antiquiores, qui de Laocoonte egerint. Nonnullorum quidem nomina iam ante adſcripſimus. Etſi *Theſſandrus* quidem, modo e Servio memoratus, excitari a nobis non poteſt; nam is *Pisandrus* eſſe videtur, quem ſupra ad horum Excurſſ. princip. ad ſeriores auctores relegauimus, corrupte ille et alias *Tiſandrus* vocatus. Alter autem ſcriptor, a Seruio laudatus, *Lyſimachus* Alexandrinus ſine dubio fuit, non ignobilis olim auctor περὶ Νόστων, quem cum aliis ſimilis argumenti ſcriptoribus laudatum vides in Schol. Apollon. I, 558 et particulam ex primo eius libro in Tzetza ad Lycophr. 874. cf. Voſſ. de Hiſt. Gr. lib. III, p. 180 a. Attigit etiam fabulam *Lycophron* poeta, qui et ipſe Alexandriae vixit, Ptolemaei Philadelphi aetate, in Caſſandra v. 347. Alius fuit ex ſchola Alexandrina, qui fabulam de Laocoonte non attigit tantum, ſed pertractauit, et ille quidem poeta olim clariſſimus, *Euphorion*. Ex eo fabulae ornamenta nonnulla ſatis recondita narrat ad h. l. v. 201 Seruius, et ex eo, puto, corrupte tamen, Pompon. Sab. Omnino quidem Euphorionem fabulas Troianas ſuo more tractaſſe et narraſſe, ex iis patet, quae eum de Laodice, Priami filia, diverſe ab Homero et Leſcheo σὺν ἀδελῇ ἐικότι, narraſſe Pauſanias prodit lib. X, 26 p. 864. Potuit autem de Laocoonte agere Euphorion, in opere, (Μοψοπία vel Ἄτακτα inſcriptum erat) quo reconditae et obſcurae ex tota fabulari hiſtoria fabulae non ſecus atque a Callimacho in Αἰτίοις et a Lycophrone in Caſſandra erant expoſitae. v. ſup. ad Ecl. VI, 72. In quinto libro, qui Chilias inſcriptus erat, priſca

oracula, eorumque euentus, collegerat, adeoque et ea, quae excidium Troiae anteceſſerant, memorare debuit: vt iam ſup. Exc. I monitum eſt.

Non vana hinc ſuſpicio oriri poteſt, Euphorionem etiam Virgilio in hac fabula ante oculos poſitum fuiſſe. Nam, quam magnifice Virgilius de eo poeta ſenſerit, ex Ecloga VI, 72 et X, 50 intelligitur; vade etiam Quinctil. X, 1, 56 *Quid? Euphorionem transibimus? quem niſi probaſſet Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico verſu carminum feciſſet in Bucolicis mentionem.* Et omnino Alexandrinis poetis inprimis operam dediſſe Virgilium noſtrum, ex iisque profeciſſe in doctrina poetica, qua excellit, admirabili, et in ſimplicitate orationis pura, terſa ac nitida, cui dignitatem tamen et grauitatem, qua illi carent, ex Tragicis, vt ſupra expoſuimus, petitam adiecit, coniicimus. Certe ex illis poetis tota Auguſtei ſaeculi elegantia ac nitor fluxiſſe videtur, et Romae ab elegantioribus hominibus Alexandrinos illos vnice frequenti lectione tritos fuiſſe, vel ex Cicerone apparere puto Tuſc. Qu. III, 19, vbi Ennium *ab his Euphorionis cantoribus* (h. e. iis, qui eum vel latine redderent, vt Cornelius Gallus, vel eum imitatione ſequerentur aut omnino valde frequentarent) contemni ait; ſcilicet terſiorem et puriorem Euphorionis orationem iudicabant Enniana. Etiam Tiberium Caeſarem Euphorionem, Rhianum, et Parthenium admodum probaſſe, vt et eorum imitatione carmina graeca ſcriberet, e Sueton. Tib. 70 conſtat. Non igitur veri adeo diſſimile videri poteſt, ſi quis Euphorionem a Virgilio in hac fabula expreſſum eſſe cenſeat, cum, quae a Seruio ex eo commemorentur, Virgilianis fere conueniant. Idem in fabula de Coroebo auctor Virgilio fuiſſe perhibetur: inf. Excurſ. X.

Tota tamen ratio, qua poeta hoc episodium tractauit, tragicum potius ſpiritum orationemque affectibus grauem et ornatam prodere videtur. Debuit autem in multis tragoediis graecis latinisque, quarum argumenta excidium Troianum reſpicerent, haec narratio occurrere. Inprimis tamen nobilis olim fuit *Sophoclis* tragoedia, *Laocoon* in-

scripta, e qua versus aliquot seruauit Dionys. Halic. I, 48 (quem vide) et duo alios Harpocration in ἀγυιᾶς. Ex eadem esse videtur, quod Eustath. ad Odyss. p. 1496 l. 36 a Sophocle Equum Troianum eleganter ὕπελον dictum memorat. An ex illa Sophoclis, nescio, sed ex aliqua certe Graeci poetae tragoedia breuiter narrata est fabula ab Hygino f. 135; iam autem is cum Virgilio multo magis, quam cum caeteris auctoribus, consentit.

Iam omnium horum fontem vnum aliquem ex Cyclicis poetis fuisse, dudum suspicabar, inprimisque Leschen, quem vtique Quintus expressisse visus erat. Dubitationem tamen faciebat hoc, quod Tabula Iliaca, quae post Homerum et Arctinum ex *Iliade parua* expressa est, Laocoontem ignorat. Sed potuit ea res ac debuit cum caeteris, quae desiderantur, in altera Tabulae parte, quae periit, exhiberi. Nunc ex Procli fragm. haec tradere licet: Praecipuus huius fabulae fundus fuit Ἰλίου πέρσις Arctini: seu, quod probabile sit, Leschis; in cuius initio statim expositum fuit: ὡς τὰ περὶ τὸν ἵππον οἱ Τρῶες ὑπόπτως ἔχοντες, περιστάντες βουλεύονται, ὅ, τι χρὴ ποιεῖν· καὶ τοῖς μὲν δοκεῖ κατακρημνίσαι αὐτὸν, τοῖς δὲ καταφλέγειν. οἱ δὲ ἱερὸν αὐτὸν ἔφασαν δεῖν τῇ Ἀθηνᾷ καθῆναι. — ἐν αὐτῷ δὲ δύο δράκοντες ἐπιφανέντες τὸν Λαοκόωντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν παίδων διαφθείρουσιν. Contra in *Iliadis paruae* argumento, quod in Equi in vrbem deductione subsistit, nulla Laocoontis fit mentio. Secundum hunc alium habeo, quem inter primos fabulae auctores nominare possis, *Bacchylidem;* nam is, Seruio quidem teste, *de Laocoonte et vxore eius vel de serpentibus a Calydnis insulis venientibus atque in homines conuersis* meminerat; Qui, si antiquus ille fuit μελοποιός, Pindari aequalis, in lyricis suis aut Stesichori exemplo carminis argumentum facere, aut digressione facta fabulam attingere potuit, vt tamen eius verba pro fundo essent reliquis poetis. Vna adhuc supereſt fabulae de Laocoonte narratio ap. Petron. c. 89 in ἁλώσει Troiae v. 29 sqq., sed ea ex Virgilio, in nonnullis tantum non puerilitер, in aliis declamatorie omnia in maius efferendo,

expressa (etsi in multis bene eam aduersus Tollium, qui in Fortuitis p. 14 Petronium cum Virgilio contulit, defendat Burm.), siue is vere tabulam aliquam tum superstitem ante oculos habuerit, siue habere finxerit. Inter alia, cum Virgilius intactum reliquisset, vtrum Laocoon morsu serpentis perierit, nec ne, ille v. 49 sqq. patrem cum filiis exanimatum exhibet; porro v. 44 de pueris; *paruulas illi manus Ad monstra vertunt; neuter auxilio sibi, Vterque fratri transtulit pias vices, Morsque ipsa miseros mutuo perdit metu.* Placent haec mutui fratrum amoris cogitatione; sed accuratius dispicienti vix ex rerum veritate dicta videri possunt; sibi enim, non alteri, *in graui ac repentino terrore* consulit quisque; et importuno verborum lusu expressa talia nolis. Sed haec iam animaduersa a Lessingio in Laocoonte p. 57 videas. Caeterum, quod *paruulas manus* tribuit, admodum pueros videtur significare velle; et Virgilius: *parua duorum corpora* natorum. Talia quoque in Codicis Vaticani pictura, admodum insscite facta, expressa videas. Si tamen sacrificanti patri ministerium praestiterunt, tamquam Camilli; vix adeo teneros exhiberi a poeta posse putes. Et tales imp beres (quamquam et ii ipsi reprehensi, quod patris speciem non satis aequant. vid. *Richardson, Descript. de divers Tableaux* etc. p. 513. Comes *de Caylus* Tom. XXV. Mem. de l' Ac. des I. p. 329) in nobilissimo illo Laocoontis cum filiis duobus signo, quod olim Viridarium Pontificis Max. Romae, nunc Museum Pio-Clementinum habet, siue Rhodiorum artificum opus, siue eius exemplum, exhibentur. In reliquis, meo quidem iudicio, aut nihil in signo illo occurrit, quod magnopere cum Virgilio conueniat; aut vnum et alterum, quod adeo, nec artificii vel carminis ratione ita postulante, diuersum sit, occurrit; contra vero, id, quod in opere Vaticano inprimis attendendum erat, momentum rei gestae, quod artifex cum iudicio delegit, in carmine ne quidem attingitur: serpentum autem nodi prorsus sunt diuersi; nam vterque serpens implicita Laocoontis ceruice supra caput eius eminet. Quae cum ita sese habeant, parum materiae ei disputationi

inde ſuppetere videri poſſit, vtrum poetam artifex, an is poetam ſequutus ſit. Neuter enim alterum, neque vterque commune aliquod exemplum, vel eundem auctorem, ante oculos habuiſſe, ſed vterque ſuos auctores, (quos plures in hac fabula extitiſſe vt conſtaret, ſupra a nobis allaboratum eſt), ſuaeque artis rationes ſequutus eſſe dicendus. In hanc tamen de discrimine inter poetae et artificis opera, eorumque cauſſas ac rationes, disputationem incidiſſe Leſſingium, eſt quod gratulemur, cum ei librum praeclarum eo nomine inſcriptum debeamus. In Holdsworthii et Spencii Annotat. et Obſſ. ad h. l. etiam nonnulla nuper legimus, ſed vulgaria fere, partim et falſa.

EXCVRSVS VI

Laocoontis clamores.

II, 222. *Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit* Laocoon. Quae docti viri noſtrates nuper ſuper h. l. disputarint, recenti tenetur memoria. Mihi quidem, quid in poeta excuſandum vel defendendum videri debeat, nondum ſatis liquet. Certe ne clamores memoraret, nihil eum deterrere potuit. Nam in Laocoonte nec herois aut magni viri fortitudo et conſtantia, nec Romani pectoris gladiatoriis ſpectaculis efferati immanitas omnino vllum habere poteſt locum. Agendum erat poetae inprimis hoc, vt portentum terroris et horroris plenum offerretur, quo Troiani obſtupefacti ſuſpicionem fraudis animo dimitterent et Equum in vrbem reciperent. In tali conſilio *clamoris* ratio haberi a poeta poterat hactenus, quod ad terrorem augendum clamores ingentes, quos tolli audias, facere poſſunt et ipſi, in tam atroci caſu, in quo naturae impulſus ita fert, vt clamorem tollas. Neque ea res faſtidium aut reprehenſionem habere poteſt. Enimuero doloris victi, queſtusque repreſſi vel temperati, laus omnino fuiſſet nulla. Non enim de pugna vulnereque accepto agitur. Nihil hic de virtute militari, nihil de fortitudine ſapientis. Conſtantiam ac tolerantiam in prodigio eiusque horrore declarando

nemo desiderat. Aliter res se haberet in Laocoonte in scenam producto, quando mores eius simul sunt exprimendi. Virgilius vero omnia ad terrorem efferre et debuit et voluit. Scilicet, quod iam alio loco (*Antiquar. Abhandlungen* II St. pr.) a me monitum est, cum multa subtiliter et acute super Laocoonte disputata sint, inprimis super comparatione carminis et symplegmatis, sunt tamen pleraque a re et a poeta aliena. Inanis erat disputatio omnis, vtrum artifex poetam, an hic artificem, ante oculos habuerit; restat enim tertium, quod verum est, habuisse vtrumque diuersos auctores quos sequeretur; fuisse quoque vtriusque consilium plane diuersum: alter enim hoc efficere voluit, vt miserationem moueret, alter autem, Maro noster, vt terrorem. Haec si animaduerteris, vt saepe fit, omne acumen concidit: redit res ad summam simplicitatem.



EXCVRSVS VII

Equus Troianus in vrbem inductus.

II, 237 sqq. *Scandit fatalis machina muros* etc. Non male haec, sine dubio e vetere poeta, ornantur apud Tryphiod. v. 318 sqq. Pallas ibi ipsa Equum impellit, Iuno autem et Neptunus portae compagem laxant. Priamum ipsum inducendi auctorem fuisse, etsi Cassandra reclamante, alii tradiderant; vt ex Hygino f. 108 intelligitur. Omnino plures hanc narrationem ornandi modi, variis nouis casibus ac miraculis rerum intextis, apud veteres fuisse videntur; cum illa a tenuissimis initiis profecta esset; v. sup. Excurs. III. Iam Odyss. ϑ, 492 Vlysses Demodocum hortatur: Ἀλλ' ἄγε δὴ, μετάβηϑι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ, Ὃν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεὺς, Ἀνδρῶν ἐμπλήσας, οἳ Ἴλιον ἐξαλάπαξαν. Inde Demodoci ipsum carmen subiicitur v. 500—520, in quo nihil est quod admodum improbes. At omnem πιϑανότητα egressus est Homerus in notabili episodio de Helena Equum obambulante Odyss. δ, 274 sqq.,


quod in alio forte vetere poemate probabilius fuit tractatum, vti etiam ex Tryphiodor. 452 sq. apparet, vbi propius ad veri aliquam speciem res exposita. Nam, vt Helena voces Achiuorum ita simulauerit, vt, qui in Equo latebant, crederent, suas vxores aduenisse Troiam, absonum est. Mihi de illo loco ita statuendum videtur, vt, suspicione de conditis in Equo Achiuis semel orta, Helena accesserit, et varia tentauerit, quo efficeret, vt, qui inclusi essent, feminae sibi amicae se proderent. Itaque non modo se suumque nomen profata suamque erga Achiuos, populares suos, beneuolentiam et in pristinum maritum fidem intemeratam testata est, verum etiam reditus sui ad Achiuos et in Graeciam desiderium commemorauit, quod sibi commune esset cum vxoribus Achiuorum apud Troiam desidentium; quippe quae votis precibusque assiduis reditum maritorum expeterent. Quae vt tanto magis ad affectum mouendum essent dicta, mulierum istarum, quippe quas olim familiares sibi habuerat, ipsa verba, blandasque maritorum suorum compellationes vocesque adeo ad desiderii amorisque significationem compositas imitatur. Nec multum aberat, quin ea res successum haberet. Omnium enim animis recordatione et miseratione coniugum relictarum motis, multi se vix continebant, quin Helenae responderent.

EXCVRSVS VIII

De nocte Troianis funesta.

II, 250 sqq. *Vertitur interea coelum et ruit Oceano nox* etc. Praeiuisse Ennium Annal. VI *Vertitur interea coelum cum ingentibus signis*, Macrobius VI, 1 obseruauit; id quod tantum ad verba pertinet, de quibus v. sup. Exc. II. Rem iam Lesches docuerat, qui suam de Troia capta narrationem sic erat orsus: Νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη, quando Sinon facem sustulit, apud Schol. Lycophr. 344. Omnino tamen Virgilius Euripidem ante oculos habuit Troad. 542 sqq. Adde chorum Hecubae 914 sqq. Alia de hac nocte, deque mense et anno traden-

tur inf. ad lib. III Exc. II. pr. Facem diximus a Sinone sublatam, quae vulgaris est narratio; legebatur illa quoque in Arctini Excidio Ilii, vt e Proclo discitur. at inf. Aen. VI, 517 ab Helena factum narratur. Coniunxit vtrumque Tryphiod. 498 sqq. et potuit sane alterum post alterum fieri. Ab Antenore facem sublatam et aliud equi apertam alii tradiderant: Schol. Lycophr. 340. At in hoc ipso loco II, 256. 257 facem nauis imperatoria Agamemnonis extulisse dicitur: *flammas cum regia puppis extulerat;* quod Seneca sequitur et imitatur Agam. 427. 428. Sed hoc est signum non proditionis, sed profectionis, classi ab imperatore datum. Post haec videamus, qualem oeconomiam rerum per hanc noctem poeta dispescuerit. Nox non erat illunis, aut sublustris: sed plenilunium: v. not. v. 255. Classis a Tenedo redux face e naui praetoria sublata ad littus Troianum appellit; aperit iis portas globus heroum, qui ex Equo prodierant: 250 — 267. Per somnum Aeneas Hectoris viso monetur, vt fugiat: 268 — 297. Expergefactus caede et incendio omnia misceri videt; exit domo, et cum manu alia Troianorum per mediam vrbem incedit: 359. Occurrit Androgeos, quo cum comitibus caeso Troiani Coroebo auctore caesorum arma induunt; at eiusdem Coroebi temeritate proditi cladem accipiunt. Aeneas cum paucis ad acropolin peruenit: 437. Pugnatur et hic, sed cum Troianorum strage. Aeneas motus adspectu caedis Priami, tum a Venere monitus, domum suam repetit: 559. 588 — 632. Anchisen patrem, primo reluctantem, mox prodigio monitum, cum coniuge et nato abducit: 720. Iam vrbem egressus desiderata vxore redit in vrbem: ab eius vmbra meliora edoctus ad suos redit, et sub diei ortum (801) Idam fuga petit.



EXCVRSVS VIII*


Hector classi Achiuorum ignem inferens; et victor Patrocli rediens.

Aen. II, 274. 5. *Hei mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuuias indutus Achilli, Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.* Hectorem, qualis paullo ante vss. 272. 3 describebatur, *Raptatus bigis vt quondam, aterque cruento Puluere, perque pedes traiectus lora tumentes,* videramus iam libro I, 483. vbi *Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros* Achilles: de quo v. Excurs. XVIII ad e. l. Hector omnino frequens gemmarum Homericarum argumentum, non vno

habitu ac ſtatu; quod tamen ipſa res intra Iliados fines continet; cum multas alias gemmas e cyclicis poetis adumbratas eſſe putare poſſis; niſi potius dicendum eſt, artifices vulgares libellos, qui fabulas expoſuerant, ſequutos eſſe; niſi forte etiam iis Tragici argumenta operum praecipuo loco ſuppeditaſſe dicendi ſunt: atque hoc exemplis declaratum dari poſſit; commemorabo tantum Amphionem et Zethum cum Dirce tauro illigata: argumentum ex Euripide adumbratum (*Antiquar. Aufſätze*; P. II.). Homericas tamen fabulas ex ipſa Iliade et Odyſſea petitas et adumbratas eſſe probabilius ſit. Ex iis Hector frequens argumentum, vt dixi, quandoquidem ſpecies eius oris et habitus ab arte ita eſt conſtitutus vt vbique ſui ſimilis ſit, et ſibi conſtet; eſt vbique barbatus et capite galeato: is, inquam, modo cum Andromache et Aſtyanacte, occurrit, modo facem iniiciens naui, cuius puppis appoſita eſt: cuius argumenti gemmam militem *incendiarium* exhibere dixerat Gorius (*Muſ. Flor.* To. II, tab. 60, 2). At extat alia verum Hectorem expreſſum habens puppi nauis appoſita: apud Franc. Pallazzi (*Borioni Collectan.* t. 56. etiam in *Lipperti Dactylioth. Mill.* II, 2, 6). Ei reſpondet Aiax de puppi pugnans in alia gemma. Verum prior illa plane conuenit verſui Virgiliano: *Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.* Minus certa fide ſunt aliae gemmae, Hectoremne an alium heroem referant; vt, vulneratus ſub clipeo deficiens, (ap. *Natter.* tab. VIII. et alibi.) Eſt Hector in Sarda ſaxum portae caſtrorum Achiuorum impingens (v. Iliad. μ. extr. ap. *Lippert. Mill.* II, 2, 5. neque alium eſſe arbitror *Mill.* III, 2, 6. expreſſum). Incertum quoque eſſe poteſt, an inter heroes bigis inſtantes Hector quaerendus ſit; certior fides eſt numorum: inter quos *numi* notiſſimi *Ilienſium* ſunt, ad Commodum, M. Aurelium, et Caracallam ſpectan-

tes, Hectorem quadrigis citis insistentem exhibentes, v. c. Mus. Farnes. Vol. V, t. 17, 3. Merito dixeris hunc Hectorem esse, *qui redit exuuias indutus Achilli.* Caeterum Hectoris caput in aliis Ilienſium numis visitur; et est vnus numus in Numismat. Albani T. I, t. 59, 2 in quo Hectori corpus Patrocli abstracturo obiiciunt se Menelaus et Aiax, affabre efficti.





EXCVRSVS IX

De Penatibus, Palladio et Veſta.

II, 293. 296. 297. Sacra *ſuosque tibi commendat Troia* Penates — *Sic ait et manibus* vittas, Veſtamque *potentem, Aeternumque adytis effert penetralibus* ignem. Quid tandem illud ſit, quod Aeneas capta Troia ſecum in Italiam abduxerit, nam modo Penates, modo Palladium, modo Veſta memoratur, fuerintne priuati Aeneae an publici Penates, et qua ſpecie vel fuerint vel ſint crediti, paucis iuuat inquirere, quantum quidem ad loca nonnulla poetae declaranda facere id poteſt; quandoquidem poeta Penatium religione tam praeclare vſus eſt ad maiorem Aeneae fatis, errori et ad Italiam acceſſiti, dignitatem mirationemque conciliandam. Multo enim auguſtiora omnia videri facile intelligas, ſi inferre Aeneam Latio Penates *(inferretque deos Latio)* quam Latium acceſſiſſe audias, et ſic porro. Primum poeta *Palladium* rem facit a Penatibus diuerſam, ſurreptum illud ab Vlyſſe et Diomede lib. II,

163 sqq. *impius ex quo* etc. At, quos Aeneas asportauit, *Penates* fuere. Primus de iis locus est Aen. II, 293 sq., vbi Hector per somnum ad Aeneam: *Sacra suosque tibi commendat Troia Penates; Hos cape fatorum comites.* Paullo post v. 296 *Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.* Et mox, postquam Anchisen in humeros receperat, v. 717 *Tu genitor, cape sacra manu patriosque Penates.* Medio loco, vs. 296 quod poetae facere possunt et solent, alterum, *Penates*, tacuit, et solum *vittas Vestam et ignem* memorauit. Dubitari potest, quo sensu *sacra* dixerit (v. ad II, 293) sintne *sacra* et *Penates* diuersae res, an vnum idemque; quod statuere licet, vt *sacra* sint genus, et in iis *Penates*, *Vesta et ignis:* quae adeo etiam singula per *sacra* possunt declarari. Eo sensu puto primo (293) et tertio loco (717) memorauit: *Sacra suosque Penates;* scilicet *sacra* nomine generico, proprio autem *Penates*. Etiam Seneca de Benef. III, 37 *Anchisen complexus sacra ac Penates deos.* Et Dionys. I, 46. τὰ ἱερὰ πατρῷα in arce seruata memorat. Similiter Aeneas declaratiue *Penates et magnos deos* dixisse videri debet lib. III, 12 *feror exsul in altum Cum sociis natoque, Penatibus et magnis dis.* Ex naturali verborum ordine alii *Penates*, alii *magni dii* esse possunt. Atqui praeter Penates nusquam alios deos exportasse Troia fertur Aeneas; et communis est veterum opinio, eosdem fuisse *Penates* et *deos magnos* e Samothracia. Varronem et Heminam Cassium laudat Seru. ad I, 378 (vnde Pompon. Sab. ad I, 68 sua transtulit) et Macrob. III Sat. 4: adde Seru. ad II, 296. III, 12. Iidem *dii patrii*, θεοὶ πατρῷοι. Sed et ipse Virgilius III, 159, vbi Penates Aeneae per somnum apparent: *Tu moenia magnis magna para.* Itaque declaratiue in illo III, 12 loco positum esse debet: *Penatibus et magnis dis.* Iidem *diui*, et declaratiue III, 148 *Effigies sacrae diuum Phrygiique Penates.*

De Palladio et Vesta mox videbimus, paucis praemissis de *Penatibus*. Ex locis laudatis colligi posse videtur, omnia

ista adeoque et ipsos Penates in Aeneae domo fuisse; namque ex ea efferuntur. Atqui hoc poetae consilio, et aliorum locorum sententiae, ipsique rei, repugnaret. Nam e Virgilii saltem mente et consilio, *publici Troiae Penates, dii patrii*, non Aeneae priuati esse debuere, qui in Italiam abducti ad Romanos tandem peruenerunt. Et sunt loca, in quibus passim *Troiae Penates* dicuntur. Sic II, 293 *Sacra* suosque *tibi commendat* Troia Penates. VII, 121 *Vosque, ait, o fidi* Troiae *saluete* Penates. V, 62 *adhibete* Penates *Et* patrios *epulis, et quos colit hospes Aeneas*, et v. 632 O patria et *rapti nequicquam ex hoste* Penates. Tandem IX, 258 *Excipit Ascanius: Per* magnos, *Nise*, Penates Assaracique Larem *et canae penetralia Vestae*. V, 744. per *Pergameum Larem* eosdem Penates declarauit. Et in ipso illo loco II, 297 *adytum penetrale* commemoratur, quod ad templum spectare debet. Si igitur publici Penates fuere, poeta obscurum et intactum reliquit, cur in Aeneae domo Penates publici habebantur, et quomodo ad Aeneam potissimum Penatium cura spectabat. Poetae satis erat, Hectoris vmbrae monitu id factum declarare. Eo loco, quo de Aenea τὰ ἱερούμενα afferimus (Disquis. II, de rer. inu. s. VI. Excurs. XVII ad lib. II. Excurs. I ad lib. III et al.), plura olim esse commemorata apparebit, quibus poeta insistere et rem, tamquam vulgatam satis, tacite sequi poterat. Sed, quod inprimis eius animum impellere potuit, est forte hoc, quod Aeneam sacerdotio functum tradiderat antiquitas. Certe ex Dictye IV, 17 discimus, *Apollinis sacra eum praecipue* esse tuitum; et, secundum Menecratem Xanthium a Dionys. Halic. I, 48 excitatum, Aeneas ad defectionem a Priamo hoc ipso erat adductus, quod *sacerdotii dignitate* ab eo fuerat exclusus, ἄτιτος ἐὼν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ ἀπὸ γερέων ἱερῶν ἐξειργόμενος. Fundus rei Iliad. ν, 461 αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ, Οὕνεκ' ἄρ' ἐσθλὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν οὔτι τίεσκεν. Caeterum vulgo in arce Penates seruati narrantur; cf. Dionys. Halic. I, 46. 69 et al. et hoc ex perpetuo veterum ciuitatum more ita se habere debuit. Hoc tamen sequi

poeta non potuit, qui Aeneae domum in alia vrbis parte sitam esse voluit, vnde mox ad arcem accurreret. Apponam Hellanici Lesbii, vetustissimi scriptoris, narrationem ap. Dionys. Halic. I, 46. 47. Vrbe capta, inquit, Aeneas cum suis Dardaniis se recepit in arcem Pergamum, ἐν ᾗ καὶ ἱερὰ τὰ πατρῷα τοῖς Τρωσὶν ἦν, eamque defendit. Cum tamen videret, hostium impetum diu sustineri non posse, hominum corpora καὶ τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα et opes seruare studet; tum, infirma multitudine praemissa, ipse cum iuvenibus in Idae munitiora loca discessit, ἀγόμενος ἐπὶ τοῦς συγγρίσι τόν τε πατέρα καὶ τὰς θεὰς πατρώας. Inde inducis cum hostibus factis discessit, παραλαβὼν τὸν πατέρα καὶ τὰ ἕδη τῶν θεῶν h. e. simulacra. Et agro Laurente capto c. 55. f. alii in locum indictum Penates (τὰ ἕδη τῶν θεῶν) e nauibus efferunt, alii vero bases (βάθρα) et aras ipsis statuunt, mulieres autem cum vlulatu et choreis sacra prosequuntur, et c. 57 ἱδρύεται τὰ ἕδη τῶν θεῶν ἐν τῷ κρατίστῳ. Vides Hellanici verba maxime poetae animo insedisse; et viguisse omnino famam antiquam de seruatis Troiae simulacris vetustate sua venerandis: quae excidio vrbis facto secum abduxerit Aeneas.

Fuisse autem Penates simulacra deorum, et quidem, cum ab Aenea portari possent, lignea, formaque deorum solita, vittis coronata, ex locis seqq. apparere videtur: III Aen. 148 *Effigies sacrae diuum Phrygiique Penates, Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus vrbis Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis*, et v. 173 *coram cognoscere vultus Velatasque comas praesentiaque ora videbar*. Seruius ad III, 148 haec habet: „*Varro* „sane *Rerum Humanarum secundo* ait, Aeneam deos Pe„nates in Italiam reduxisse (hoc et Macrob. III, 4 repetit), „quaedam lignea vel lapidea figilla, quod euidenter ex„primit dicendo: *Effigies sacrae diuum Phrygiique Pe„nates;* quamuis alio loco alias opiniones sequutus diuersa „dixerit.“ Romam, vt mox videbimus, deducti arcana primum religione haberi, mox tamen hominum conspectui subiici ac vulgari coeperunt. Nam Dionys. Halic. I, 68

Romae in aede deum Penatium sub Veliis (v. paullo inf.), duo Genios seu adolescentes sedentium habitu et hastam manu tenentium viderat, eoque Timaei fidem eleuat, qui mera κηρύκεια, *caduceos*, esse ab indigenis audierat; forte tamen nec hoc falso, si id ad informia rudis artis opera referas; tum potuere antiquis cum temporis successu substitui alia signa minus rudia. Diis magnis Samothracicis eos comparat Dionys. I, 69 specie et habitu, qui cum iis signis conuenit, quae in numis adhuc videmus. In numis, gemmis, marmoribus, vt in Tab. Iliaca n. 98 et 117 (sed talia vnicuique, libros euoluenti, occurrentia ambitiose memorare piget), Anchises Aeneae humeris haerens tenet capsulam vel aediculam, qua Penates inclusi sunt; in aliis tamen Palladium tenet; quod nonnunquam ipsis Aeneae manibus insistit; nam peplo inuolutos Penates tenens Aeneas (πέπλῳ περισχὼν, vt Lycophr. 1266) mihi nondum in priscis monumentis occurrit.

Haec igitur simulacra, hos Penates, Italiae inferri, fatale erat. cf. III, 167 sqq. Atque habuit vtique res euentum suum; collocati sunt Penates Lauinii (secundum Lycophr. 1261 in Palladis templo), vnde mox, Alba Longa condita, cum in nouam vrbem deducendi essent, cedere loco noluerunt, v. Dionys. Halic. I, 67. Orig. G. Rom. 17 et alios. Romam tamen aliquando migrare non recusarunt, siquidem Penatium aedes Romae fuit sub Velia, non longe ab aede Vestae, v. Dionys. ibid., incendio Neroniano deleta. v. Tacit. Ann. XV, 41. Non enim recte alii tradiderunt in Vestae templo Penates seruatos. v. ad Tacit. l. c. cf. Donat. III, 3 de Vrbe Roma.

Etiam *Vestam* cum *igni aeterno* Aeneas abstuliſſe Troia creditus. Aen. II, 296 *vittas Vestamque potentem* effert *adytis penetralibus* h. e. templo Vestae, Hectoris vmbra. V, 744. 745. *Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae Farre pio et plena supplex veneratur acerra* h. e. supplicat Penatibus et Vestae. Adde Ouid. Fast. III, 423 sqq., vnde *Iliaci foci* Vestae, *Iliaci ignes* etc. In sacro Lauinienſi a Coss. faciendo cum Penatibus etiam

Veſtae ſacrificatum, Macrob. III Sat. 4 et Seru. ad Aen. II, 296 notarunt.

Palladium tandem, h. e. ſignum Palladis, antiqua religione cultum et διίπετὲς habitum (v. Apollod. III, 12, 3, et Not. p. 744 ſqq.), cum ipſis Penatibus Aeneam extuliſſe narrant quidem alii, et ipſe Arctinus id tradiderat: v. Dionyſ. I, 69. poeta vero, vt ſupra dictum, non memorat, quippe qui eam narrationem ſequitur, quae pro antiquiore habenda eſt, furtim illud ab Vlyſſe et Diomede iam ante Troiam captam ablatum fuiſſe, v. Aen. II, 164 ſqq., Heleni conſilio, v. Conon. 34, ab Antenore proditum Achiuis, (cf. Tzetza Poſthom. 505) vt alii addunt; ſed res variis modis a poetis ornata. Ita ſponte et volentem ſequutam eſſe Palladem alii memorauerunt. vid. Ouid. Faſt. VI, 431. In quem ſenſum Tryphiodori v. 54 ex lectione Cod. Medic. (ſecus quam Lennep. ed. Coluth. v. 196 volebat) eſt conſtituendus. Ἦλθε δὲ καὶ Δαναοῖσιν ἐὸν βρέτας ἄγνὸν ἄγεσσα Λῃϊὴ μὲν ἔᾶσα, φίλοις δ' ἐπίκερος Ἀθήνη, h. e. *furto quidem abducta, Achiuis tamen propitia.* Diſtinguendus autem hic Vlyſſis in vrbem ingreſſus ab altero illo, quo, ſub extrema oppugnationis tempora, mendici habitu res et conſilia Troianorum ſpeculatus eſt. v. Odyſſ. δ, 244 ſqq. Eurip. Hecuba 239 ſqq. add. Rheſ. 501. 710 ſq. Quintus Cal. vtrumque ingreſſum tantum ſtrictim memorat, X, 346, quod miror; nam Leſchen in eo exponendo operam nauaſſe diſcimus ex Procli argumento Iliadis paruae: Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν, κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται, καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης, περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται. κτείνας δέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται. καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου. Helenae Hecubam adiunxit Eurip. in Hecuba l. c. Tzetza in Poſthom. 604, loco valde turbato, Vlyſſi comitem dedit Diomedem: cf. Iacobs ibid. p. 157. 159. Creditum tamen inter Romanos Palladium hoc Romae in Veſtae templo ſeruari, fatale etiam hoc vrbi habitum; nec vlli viro, ne Pontifici quidem Maximo, videre illud fas fuit. Quibus de rebus multi egerunt. Satis eſt comparare

Ouid. VI Faſt. 421. 431 ſqq. Hinc Veſtam interdum cum Palladio videas, vt in Sarda apud Maffeum Gemm. ant. P. II, n. 76. Omittimus quae de gente Nautia, in cuius tutela Palladium habebatur, aliisque rebus disputari poſſint. Adhuc ſub Commodo in templi Veſtae incendio ſeruatum illud, ap. Herodian. I, 45, et ab Elagabalo loco motum, lib. V, 15, narratur. Ex altera parte non minus Athenienſes Palladium Troianum in ſua arce ſeruare videri volebant, v. Pauſan. I, 28; item Argiui, Pauſ. II, 23; et notum eſt, omnino plures vrbes Palladium ſibi vindicaſſe: cf. *du Theil* To. XXXIX *Hiſt. de l'Acad. des Inſcr.* p. 238. A Diomede Aeneae redditum Palladium commenti erant ſeriores: vt Cedren. p. 135 C. D. et Malelas p. 212. Scilicet religionum harum tam diuerſarum a poetis variis modis ornatarum cum fidem adſtruere vellent vrbium ſcriptores, paſſim et grammatici, atque oſtendere, quomodo ad Aeneam rediiſſet Palladium a Graecis ablatum, multa commenti ſunt, quibus tota haec de Palladio quaeſtio ita obſcurata eſt, vt multorum doctorum virorum, qui expedire rem volebant, otium conſumſerit. Nobis ſatis eſt cauſſas diuerſitatis indicaſſe. Occurrit autem cum Palladio Aeneas, in multis numis gentis Iuliae, armata virguncula ſtantis habitu; eadem fere ſpecie, qua in monumentis id quoque Palladium conſpicitur, quod Diomedes cum Vlyſſe abſtulit; cf. Apollod. Biblioth. III, 12, 3, et ipſe Virgilius Aen. II, 172 *Vix poſitum caſtris ſimulacrum; arſere coruſcae* Luminibus *flammae* arrectis, — *torque ipſa* ſolo Emicuit parmamque *ferens* haſtamque *trementem.* An vero Palladis ſignum hoc idem habendum ſit, aut a poetis habitum fuerit, quod in templo Palladis in arce Ilii ſito viſebatur, et in cuius genibus peplum Troianae mulieres apponunt Iliad. ζ, 273. 303, Burmannus illo loco quaerit; ſed vt idem haberi poſſit, nolim cum viro doctiſſ. Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γένασιν interpretari *ad genua*, quod iam Strabo refellit, multo minus peplo deam *induere.* Nam diuerſa in arce Palladis ſigna eſſe et potuere et debuere: Etiam in noſtro poeta lib. II, 225 ſqq., poſtquam v. 165 ſq. ablatum iam Palladium me-

moratum erat, angues, qui Laocoontem cum filiis eliserant, in templum Minervae in arce fugiunt; *Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.* Et quale dicemus fuisse Palladis signum illud, quod, Cassandra ab Aiace Oilei violata, auertit vultum? v. Lycophr. Cassandra v. 361. Quint. Cal. XIII, 425 sq., quod bene poeta noster ad aliam rem ornandam transtulit Aen. II, 172. Non igitur Maro sui oblitus videri debet; sed in poetarum fabulis, quae in his, ac similibus, et famae et historiae vices praestant, diuersa fuere in arce Palladis signa; nec modo diuersis in locis, sed et eodem in loco; nam fatale τὸ διοπετὲς Ἀθηνᾶς Παλλάδιον, πολλῶν ὄντων τὸ σμικρότατον (ap. Conon. 34.) in Minervae templo in arce diligenter custoditum Arctini versus docent: Dionys. I, 68. 69. Diuersum a Penatibus Palladium illud διϊπετὲς a plerisque, et ab ipso poeta, habitum vidimus; sed ex aliorum doctrina *Pallas* cum *Iunone* iis ipsis diis Penatibus erat accensenda. v. Macrob. III, 4. exemplo forte Palladis et Iunonis cum Ioue Romam tuentium. *Apollinem* et *Neptunum* alii apud eundem, frustra aduocato versu Aen. III, 119; at *Tusci Cererem, Palem et Fortunam Penates* tradiderant. v. Serv. ad Aen. II, 325, adde eund. ad II, 119. III, 12.

Inter haec Penates Troianorum confundi coepere cum *diis* Samothracum *magnis.* Nec mirum; si quidem communis vtraque fuit religio; vtraque vetustate memorabilis. Redit adeo disputatio ad *deos Cabiros*, de quibus, post Guthberleti libellum, et Bochartum, multa satis subtiliter quaesita sunt etiam a Frereto (*Hist. de l'Ac. des Inscr.* Tom. XXVII), sed ad opiniones magis et coniectationes, quam ad veterum historiarum fidem: ad eius inprimis ductum de iis disputatum est nuper a Viro doctiss. *Ste Croix* (*Recherches sur les Mysteres* p. 26). Inter Britannos ingenia in hoc argumento exercuere *(Wise) Of the first Inhabitants of Europe* p. 38, et Vir doctiss. idem et sagaciss. *Iac. Bryant Analysis* Tom. II, p. 461. Quando quidem Gemini in Zodiaco ab Aegyptiis constituto occurrunt, ad Gattereri nostri ductum Cabiros ex Calendario Aegyptiorum illustra-

vit Herman. Mythol. Vol. III. p. 160 sqq. Alienum ab h. l. et consilio esset, ad hypotheses et opiniones deerrare. Loca class. sunt Strab. X, p. 723—726. Schol. Apollonii I, 916. Dionys. Halic. I, 67—69. Varro de L. L. IV. p. 17. Macrob. III, 4. Quae ex his, vt simpliciora, ita probabiliora habeo, haec sunt: religiones istas et antiquitate et origine fuisse obscuras; ipsam deorum formam parum docte expressam, vt nec appareret, iuueniline an senili specie essent habendi: id quod in rudis operae simulacris euenisse mirum non est; videri itaque Phoenicum Pataecis similes fuisse, forte etiam ab illis profectos Cabiros; (cf. Herodot. III, 37) magnas interceſſiſſe mutationes harum religionum: ab initio fuisse Coelum et Terram; postea accessisse duo alios: nunc quatuor ista numina, domesticis nominibus insignita, interpretatione varia ad diuersos deos Graecorum referri coepisse: igitur in illis memorari videas Cererem et Proserpinam, Haden et Mercurium, ab aliis Bacchum et Iouem; etiam Vulcanum in iis quaesitum, item Cybelen: nec improbabile sit, adscita fuisse haec ipsa sacra seriore aetate; quae fortuna fuit cum aliarum religionum, tum inprimis arcanarum: in quas, vt nostra quoque aetate factum videmus, intulerunt quae quisque vigilans stertensue somniabat, inprimis super rerum natura eiusque vi genetrice. Quia autem duorum simulacrorum, prisco more, tamquam fratrum iunctorum, species oculis occurrebant: confusi tandem dii magni sunt cum Dioscuris; dictique adeo et hi magni Dij et Penates. Turbas alias fecit hoc, quod et ipsi sacerdotes dicti sunt Cabiri.

Caeterum Penates, ignem sacrum, et Palladium etiam iungit Lucan. IX, 990—994 docto in loco; et quae de Palladio tradita erant, traducta aliquando sunt ad *deam Pessinuntiam:* v. Herodian. I, 35. Egit quoque, quod nunc didici, de diis Penatibus Meziriac. ad Epp. Ouid. T. II, pag. 185. Interea, hac opportunitate data, obiter adhuc monebo, vt animaduertas, quanta *religionum Troianarum*, quippe quae inter antiquissimas fuere, *simplicitas* fuerit. Suis sane nominibus, hoc est Graecis, numina

Troianorum effert Homerus: facile tamen ad elementorum naturae genera et formas deos illos reuoces. Colebatur in arce *Minerua* et *Apollo:* Iliad. ζ, 88. ε, 446, Quint. Smyrn. XIII, 433 sqq., *Iupiter* in Ida sacrarium habebat, alterum in acropoli: Iliad. χ, 171, 2, alia religio *Neptuni* erat. Cum his *Penates* e religione antiqua Samothracica. Commode his numinibus et sacris memorandis vsus est Maro: E templo *Palladis* Palladium raptum II, 165 sq. ex Iliad. ζ, 297, et in idem pompa cum peplo ducta I, 479 sq. Aliud Palladis templum in vrbe fuit: e quo Cassandram abstrahi vident Troiani II, 404. 425, nam ab hoc ad arcem pergunt Aeneas et socii 437. *Apollo* Thymbrae, et Sminthei nomine Chrysae, tum in ipsa arce, Pergamo, templa habuit: vnde eius sacerdos Panthus II, 318 *arcis Phoebique sacerdos.* add. 429. 430. Apollini cum Neptuno sacra facit Aeneas III, 119 tamquam diis patriis. Scilicet ille Troiae tutela et praeses deus: VI, 56. *Neptuni* sacerdos Laocoon sacra ex antiquo more ad littus faciens II, 201. *Cybele* e Creta repetita III, 111 proprie ad Phryges spectabat: in Ida coli solita: IX, 80 sq. X, 252 sq. *Vestam* addit Virgilius, (II, 567 vbi *Helenam limina Vestae seruantem* memorat; et II, 296. 7. vbi Hectoris Vmbra visa est efferre *adytis penetralibus* Vestam et Ignem sacrum; quae vix aliter quam de Vestae aede accipi possunt.) nescio an de suo; si auctoritatem habuit, ad Phrygum religionem, *Matrem deum*, spectare illa potuit; nisi probabilius sit, hanc in *Venere* latere, quam Homerus inter numina Troianis studentia retulit, etsi alia eius deae religio Troiae non occurrit. Veneris tamen templum in arce effictum video in Tabula Iliaca n. 107. At Veneris ἐν Τροιζῆι signum in Museo Capitol. To. IV. p. 353 non bene ad veterem Troiam refertur; est enim Alexandriae Troadis. *Iunonis* quoque Maro fecit templum in arce II, 761, et *Cereris* sacellum ante vrbem II, 714; haec forte de suo; nam in Homero memorata non memini.

Cum autem Romani et ipsi Iouem, Iunonem et Palladem, in arce colerent tamquam deos imperii praesides,


voluere interdum poetae et hos e Troia Romam traductos haberi. In conditionibus quoque pacis inter Latinos et Troianos habetur hoc, quod sacra Troiana recipiuntur a Latinis: XII, 192 *sacra deosque dabo*, et 836 *morem ritusque sacrorum adiiciam.*

EXCVRSVS X

De Coroebo.

II, 341 sq. 386 sq. 424. 425. De Coroebo Mygdonis f. argumentum, pro episodio inductum a Virgilio, variis modis a veteribus fuisse tractatum videtur, donec tandem stulti et vecordis hominis personam ei induerent, vt adeo in prouerbium abiret: de quo v. loca ap. Cerdam. Ad v. 341 Seruius: *Hunc autem Coroebum stultum inducit Euphorion, quem et Virgilius sequitur, dans ei inf.* 390 *Dolus an virtus quis in hoste requirat? cum sit turpissima dolo quaesita victoria.* Prius illud notatu dignum; Euphorion enim Coroebo, temerario forte in Achiuos facto impetu, personam vecordis hominis primum addidisse videtur; dum scilicet argumento ab aliis tractato nouitatis gratiam conciliare volebat. Etiam Pompon. Sab. *Euphorion*, inquit, *inducit eum stultum.* Sed alterum, quod in Seruio *Euphorionem Virgilius sequi* traditur, grammatici commentum est; non enim vecordem et stolidum exhibuit Coroebum; nec, nisi alia fuere in Euphorione, quae expressa forte sunt a poeta, aliunde liquet, an Euphorionem ante oculos habuerit Virgilius; quod adeo sine fundo idoneo ex h. l. ponit Iac. Nic. Loensis Epiphyll. II, 3, vt non magis vera sunt, quae de carmine *Minxade* depromta a Virgilio esse vult. In Polygnoti tabula ap. Pausan. X, 27 Coroebus etiam erat expressus, vbi ille addit: eius monumentum nobile in Phrygum finibus, et Mygdonas ab eo nomen habuisse; quod falsum: nam *Mygdones* antiqua Thracum stirps fuere. Veniisse eum ad Cassandrae nuptias, et *occisum*, ὡς μὲν ὁ πλείων λόγος, *a Neoptolemo; Lesches autem a Diomede interemtum carminibus pro-*

didit. In hoc Virgilius tertium aliquem auctorem ſequutus eſt, nam is v. 425 a Peneleo interfectum tradit. Cum Leſcheo facit Quintus Calab. XIII, 168 ſq. Ad aram interfectum exhibet etiam Tabula Iliaca n. 104. Coroebum Mygdonis filium inter vigilum duces nominat Auctor Rheſi 539. Patrem ſaltem *Mygdonem* Homerus ſuppeditauerat; nam Mygdonem et Otreum Priamus olim copias Phrygum adverſus Amazones ducere viderat: Iliad. γ, 184 ſqq. In Epitome Iliados v. 248 eſt *clara ſatus tellure Coroebus:* quod non ſatis aſſequor. Venerat ille e Phrygia. Alius Mygdon eſt Amyci frater in Heracliis et Argonauticis: v. Not. ad Apollod. p. 379. Caeterum quae ſubiiciuntur, Coroebum Caſſandrae amore incenſum operam Priamo in hoc bello obtuliſſe, eleganter ab Homerico Othryoneo Il. ν, 363 ſqq. traducta ſunt, ſed multo ſuauius et ornatius, inprimis hoc: *Infelix qui non ſponſae reſponſa futurae* Audierat.



EXCVRSVS X*

Cassandra raptata.

II, 403—406. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Mineruae, Ad coelum tendens ardentia lumina frustra: Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.* Cum mihi propositum sit, ex Notis ea, quae pro digressione haberi possint, etsi cum *Maronis doctrina* coniuncta, sublata in Excursus reiicere: reuocabo ad h. l. ea, quae antea in Nota ad h. v. disputaueram, reiectis aliis, post ista a me notatis, quae nunc in Commentatione elegantissima doctissimi Böttigeri copiosius sunt disputata. Redibant autem illa partim ad ipsum mythum diuersis modis narratum et tractatum; partim ad Virgilianam rationem. Et in priore quidem parte otium fecit nunc laudata modo Böttigeri docta de hoc argumento in Vase picto commentatio. Monebo tantum haec pauca:

Homerus facinus Aiacis in Caſſandram commiſſum ignorat: quod iam Strabo obſeruauerat XIII p. 896 C. Caſſandram vatem, Priami filiam, cum caeteris captiuam abductam eſſe, iam antiquiores narraſſe videntur. Seruata illa in reliqua praeda, tandemque ſorte ducta Agamemnoni ceſſerat. Apud Proclum in argumento Arctini Ἰλίου πέρσις hoc vnum narratur: Κασσάνδραν δὲ Αἴας Ὀϊλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον· (quod Caſſandra deae ſupplex, ἱκετεύουσα, amplexa erat) ἐφ' ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βουλεύονται τὸν Αἴαντα· ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου. Apparet ex his, fabulam diſertius fuiſſe tractatam in eo carmine. Fuit enim Aiax in iudicium vocatus propter ſacrilegium; hoc eſt iudicium illud, quod in Poecile pictum erat Athenis: Pauſan. I, 15 p. 37. οἱ βασιλεῖς ἠθροισμένοι, διὰ τὸ Αἴαντος ἐς Κασσάνδραν τόλμημα· et Delphis in Leſche a Polygnoto pictus Aiax erat ὀμνύμενος ὑπὲρ τοῦ ἐς Κασσάνδραν τολμήματος Pauſan. X, 26. Videtur adeo Aiax profeſſus eſſe, ſalſi ſe criminis accuſari, nec vim puellae a ſe eſſe factam. Vlyſſem accuſatoris partes egiſſe ex c. 31. pr. colligas, vti et alibi memorari memini, Agamemnonem fraudem Aiaci eſſe machinatum, vt Caſſandra, cuius amore captus erat, potiretur; Duxit inde commenta ſua Philoſtratus in Heroic. 8. Stupri quoque ab Aiace illati memoratio vix apud eos potuit eſſe, qui Agamemnonem amore Caſſandrae incenſum in ſcenam produxerant: vt Euripides Troad. et al. Vnde et Horatii verſus II, 4. 7, 8. *Arſit Atrides medio in triumpho Virgine rapta.* qui Agamemnonis amorem narrabant, vix vitiatam ab Aiace Caſſandram narrare potuere. Verum redeamus ad Caſſandram.

Hanc Mineruae ſupplicem factam, cum ab Aiace abductam primi auctores memoraſſent; adiecere alii et cyclici et tragici vim ab eo Caſſandrae pudori factam, tandem ſtuprum in ipſo templo in conſpectu deae factum. Vtuntur veteres vocabulo, quod rem fere ambiguam facit, ἔλκε-

σθαι, ἑλκεῖσθαι, ἑλκύεσθαι, quod et de *abstractis* in captivitatem, et *de vi corpori illata*, dici solitum, ad ipsam narrationis amplificationem ducere potuit; nam ἄγεσθαι vocabulum commune, ambiguitatem eam haud admittit; v. c. Iliad. π, 332. At Odyss. λ, 579. Tityus Latonae vim inferre voluit. Λητὼ γὰρ ἤλκησε — Πυθὼ δ' ἐρχομένην. quae apud Apollod. I, 4, 1. reddita sunt: Οὗτος Λητὼ θεωρήσας, πόθῳ κατασχεθεὶς, ἐπισπᾶται. Aliis locis simpliciter captiuae abductae, et, quia inuitae discedunt, abstractae et raptatae feminae sunt. Ita Iliad. χ, 62 in Priami lamentis, cum Hectorem in moenia reuocare studet, υἷας τ' ὀλυμένους ἑλκηθείσας τε θύγατρας, — ἑλκομένας τε νυοὺς ὀλοῆς ὑπὸ χερσὶν Ἀχαιῶν. Adde ἑλκηθμὸν Andromaches Iliad. ζ, 465 et de voc. cf. Valken. ad Iliad. χ p. 51. Multo magis autem supplices vi abstractae ab ara et asylo: ita Andromache Eurip. 566 καὶ νῦν με βωμοῦ Θέτιδος — Ἄγουσ' ἀποσπάσαντες. Etiam *capillis prehensas* ita abductas esse nihil est, quod mireris.

Secundum haec in ipsa Cassandra ambiguum plerumque sit, vtrum poeta declarare voluerit, vim illatam an abstractionem captiuae; alterum hoc simplicius esse censeo. Apud Eurip. Troad. 69. 70. Minerua: Οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμούς; Οἵδ' ἡνίκ' Αἴας ἔλκε Κασσάνδραν βίᾳ. Et apud Lycophr. 358. ipsa ait: Τέως βιαίως — ἑλκυσθήσομαι. His narratis vsi sunt poetae et artifices diuersis modis pro consilio quisque suo, omnino tamen sic, vt Cassandra capillis prehensa abstrahatur ab Aiace, signo deae apposito aut ab ea apprehenso. Captiua ea sic abducitur. Factum est tamen nescio quomodo, vt de stupro illato vel inferendo cogitent homines, etiam vbi nihil est, quod eo ducat: vt in ipsis gemmis et vasis pictis, in quibus nihil oculis obiicitur quam Cassandra supplex deae vi ab Aiace abstracta. Neque in veteribus operibus aliud quid significatum fuit; vti primo loco in Cypseli arca apud Pausan. V, 19. Πεποίηται δὲ καὶ Κασσάνδραν ἀπὸ τοῦ ἀγάλματος Αἴας τῆς Ἀθηνᾶς ἕλκων. ἐπ' αὐτῷ δὲ καὶ

ἐπίγραμμά ἐστιν· Αἴας Κασσάνδραν ἀπ' Ἀθηναίας Λοκρὸς ἕλκε.

Iam poetae noſtri verba per ſe ſpectata non magis aliquid de vi pudori illata innuunt; Caſſandra vi e templo Mineruae abſtrahitur, manibus vinctis, tanquam captiua. Si quis haec ad poetae pudorem trahere, et *lumina ardentia* ira et *crines paſſos* eo referre velit, vt ſtuprum iam paſſa eſſe arguatur, videndum eſt, ne argute magis hoc fiat, quam vere.



EXCVRSVS XI

De Priami nece.

II, 506 *Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.* Etiam super Priami caede narrationis fuit diuersitas. Adeat, qui singula cognoscere cupit, Seruium, Pompon. Sab., Quintum XIII, 220—241 sqq. Abstractum ab ara ad fores regias a Neoptolemo caesum Lesches narrauerat: vt est apud Pausan. V, 27, p. 865. Virgilius vulgarem rationem, quae tamen cum altera conciliari potest, sequitur, cuius fundum fuisse Ἰλίου πέρσιν Arctini nunc ex Proclo comperio, eximie tamen omnia ornauit. Sed ab Euripide Troad. 479. 481 seqq. mutuatus est ea, quae de *Hecuba* 515—525 egregie ad miserationem ficta sunt, simul tamen Homeri ductu Iliad. ω, 200 sqq. (non ex Iliad. π, 108 sqq.), vbi Priamus ad Achaeorum castra iter suscepturus, stat ἐν μέσῳ ἕρκει libans et preces faciens ad Iouem. *Politae* caedem memorauerant et alii, vt e Quinto Cal. XIII, 214 intelligitur, et forte primo loco Stesichorus in Ἰλίου πέρσει,

vt ex Tabula Iliaca coniicias, quae totum hoc factum eodem modo, vt Virgilius, exhibet n. 105. 106. Nam *Leſches* de Priamo aliter tradiderat, vt iam ex Pauſ. X, 27 notauimus. Quae vero ad miſerationem poeta comparata interpoſuit, non alibi inuenio; etſi orationem Priami ad Pyrrhum habitam recitat Quint. Cal. XIII, 225 ſqq. Tryphiodorus affectum infert non male v. 624 ſqq. Porro Priamus *ad aram Iouis Hercei* (Ἑρκείου) caeditur, communi poetarum et grammaticorum narratione. Sed in hac difficultas occurrit. Veteres enim Graeci eam *in aula* ſub dio poſitam memorant. Athen. IV, p. 189 E Ὅμηρος δὲ τὴν αὐλὴν ἀεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαίθρων τόπων. Ἔνθα ἦν ὁ τῆς Ἑρκείας Διὸς βωμός. (ſcilicet apud Homerum qui aedes intrat, primum ἕρκος, in hoc αὐλὴν ſubit, tum πρόδομον, tandem ad θάλαμον procedit). Vide Eurip. Troad. 482. 483. Pauſan. IV, 17, p. 321. X, 25. p. 865, adde II, 24 (vbi narrat, Iouis huius Hercei ſignum trinis oculis fuiſſe, transportatum Argos a Sthenelo; is enim illud in praedae parte acceperat: lib. VIII, 46, p. 694). Quintum Cal. XIII, 222, vbi not. Tryphiod. 622, alios Cerda laudauit. Nec aliter Διὸς βωμὸς Ἑρκείου in Vlyſſis domo: erat in aula: Odyſſ. χ, 335. 376. 379. Sed primo loco nominare licet Arctinum l. l., e quo Proclus: καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα. Virgilius ex parte hos auctores ante oculos habuit, ex atrio tamen in *impluuium* rem traduxit; *Penates* enim memorat (priuatos vtique Priami, puto, non publicos), quorum ara in penetralibus tecti eſſe ſolebat, ſub impluuio, non in aula. *Aedibus*, inquit, *in mediis, nudoque ſub aetheris axe Ingens ara fuit.* Forte dicas illum aut (quo Seruius ducit) Iouem per Penates eſſe interpretatum (etſi plura ſimulacra, non vnum Iouis ſignum, videtur agnoſcere v. 517. Sed et de vno intelligi poteſt, et cf. Ouid. Met. XIII, 412. 413), aut Penates pro ipſa domo dixiſſe, quam inumbrabat laurus; vt iam Cerda acceperat. Sed haec dura ſant; et manendum eſt in hoc: Virgilium Romanum morem eſſe ſequutum, poſthabito more Graecorum: quem in

Tragicis quoque reperies; vt ap. Sophoclem Elect. 1391 (Br. 1374.) χωρεῖν ἔσω, πατρῷα προσκύσαν᾽ ἕδη θεῶν, ὅσοιπερ πρόπυλα ναίουσιν τάδε. Caeterum si alii, vt Quintus Cal. VI, 147. XIII, 436, aram Iouis Hercei in arce ponunt, recte vtique hoc faciunt; nam regia Priami erat in arce.

EXCVRSVS XII

De Helena recepta.

II, 567 sqq. Helenae recuperationem varie a veteribus poetis fuisse expositam, vel ex lib. VI, 525, vbi illa et vrbem et maritum Deiphobum Achiuis prodit, et ex imitatoribus, quos habemus, apparet: v. Quint. Cal. XIII, 354 sqq. 385 sqq. (vbi, quae hic de Aenea memorantur, Menelao tributa videbis: impetum occidendi Helenam et Veneris interuentum) XIV, 39 sqq. Tryphiod. 602—621. Multo magis variarunt narrationem Tragici pro consilio suo, et modo crimen et culpam perfidiae in eam cumularunt, modo extenuarunt. In Arctini Excidio Ilii ita traditum erat: Μενέλαος δὲ ἀνευρὼν Ἑλένην, ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει, Δηΐφοβον φονεύσας. Euripidem plane hic deserit Virgilius, si nobilissimum Troadum locum compares 860—1058. Mox *limina Vestae seruantem* dixit Helenam. Ad templum Vestae referunt, ad quod illa (quippe domo incensa v. 310.) confugerat; quod sane esse debuit in Pergamo, acropoli, vt templa alia: de quibus sub s. Excurs. IX dictum est. Vestam autem Aeneas abduxit, cum Ilio excederet: II, 296. 297. v. Excurs. eund. Erat Helena in thalamo Deiphobi, vnius ex Priami filiis; adeoque, vt reliqui stirpis regiae, in ipsa regia. cf. sup. 503. Iliad. ζ, 242 sqq. Pugna grauis facta est ad eam domum, Menelao et Vlysse irrumpentibus: Odyss. θ, 517. Aen. VI, 525 sqq. Paride autem a Philoctete occiso, Deiphobus Helenam abduxerat: v. Eurip. Troad. 952 sq. cf. Conon. Narr. 34 et sup. not. ad v. 310. nunc etiam Iacobs ad Tzetz. Posthom. 601. 729. Nec minus luxuriarunt Tragicorum ingenia in reducenda Helena:

cum Homerus simpliciter eam cum Menelao domum rediisse narrasset. Alia esse debuere commenta lyricorum, vt Pindari, Stesichori (cuius fuit κατηγορία Ἑλένης et παλινῳδία: de qua v. Pausan. III, 19) Ibyci, Simonidis. cf. Eustath. ad Iliad. ν, 417. Singulare est, quod cum Antenoridis Helena Cyrenen peruenisse narratur: Pindar. Pyth. 5, 110. Verum Antenoridae erant in comitatu Menelai, cum quo illa inter caeteros errores, per quos maritus iactatus fuit, etiam Libyam adiit. Expositerat haec Lysimachus ἐν Νόστοις. cf. Schol. ad Lycophr. 874.

EXCVRSVS XIII

Anchises humeris Aeneae asportatus.

II, 721—723 *Haec fatus — Succedoque oneri.* Plurium veterum monumentorum notum argumentum, inprimis gemmarum et numorum, v. Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 373. 374, in qua n. 109 haec etiam Aeneae fuga occurrit, et quidem Mercurio duce; (de quo v. Disquis. II, s. VII.) et Saxius ad Virgilium Iustic. T. IV, pag. 41. Praeiuerat haud dubie inter Cyclicos Lesches in extremis libris, qui sub Arctini nomine memorati sunt Proclo: vbi tamen maturius vrbem relinquit Aeneas; serius apud nostrum, et in Quinto Smyrn. XIII, 300 sqq. add. Tzetza Posthomer. 737. Disertissime exponit Aeneae discessum ex vrbe Dionys. Hal. I, 46. 47. et quidem ex Hellanico, vt ipse testatur c. 48. Subiicit deinde diuersa a Sophocle in Laocoonte, et a Menecrate. Vt autem humeris asportandus esset Anchises, non tam decrepita senectus, quam debilitatio ex fulminis afflatu effecerat. v. Exc. XVII. Obseruare licet etiam in gemmis nonnullis τὸ βύσσινον Φάρος in Anchisae tergo fluctuans, quod Sophocles in *Laocoonte* notauerat ap. Dionys. Halic. I, 48. de quo v. Disquis. II, s. V. et inf. Exc. XVII.

EXCVRSVS XIV

De Creusa.

II, 735 *Creusa* in Polygnoti tabula apud Delphos inter captiuas erat relata. v. Paus. X, 26, vbi addit, secundum alios eam tamquam Aeneae vxorem per deorum Matrem ac Venerem a seruitute fuisse liberatam. Atque hoc sequitur Virgilius: hactenus vt Cybelen memoret; v. 788. At Lescheus eodem Pausania teste et Cypria carmina Eurydicen Aeneae vxorem ediderant. Videntur tamen iidem eam Aeneae fugae comitem addidisse; namque in Tabula Iliaca n. 109, quae ex Lescheo magnam partem expressa est, vxor Aeneam sequitur. *Creusa* Sophoclis fuit fabula, sed, an ad hanc nostram trahenda, ignoratur. Creusae nostrae et Apollinis filium Anium, nepotem Andrum, tradebant scriptores, qui de Andriorum originibus scripserant. v. Conon. Narrat. XLI. cf. Excurs. I ad lib. III. Mox, vbi Aeneas *portis* se appropinquasse narrat, *Porta* intelligenda est ab hoste auersa, versus Idam et partes australes, vnde tamen non minus littus peti poterat. Quintus Cal. X, 338 sqq. ex antiquioribus poetis cyclicis, vt arbitror, quatuor portas Troiae memorat: Scaeas, Idaeas, tertiam, quae versus campi planitiem, et quartam, quae ad Simoentem ducebat. Scaeae versus occidentem spectabant, eaedem etiam Dardaniae dictae; etsi has alii versus orientem sitas esse volebant, vide Eustath. p. 608. 609. 1274, 1, et Hesychium in Δαρδάνιαι. Adde Daret. Excid. Tr. c. 4. Haec per se leuia ac vana *in Troiae topographia* ad poetarum loca nonnulla declaranda vtilitatem habent. v. de ea Commentat. in Tom. VI *Commentatt. Soc. R. Gott.* et quae posthaec in libello de Troade sunt disputata.

EXCVRSVS XV

Praedictio aditus Hesperiae obscura.

II, 781. 782 *Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius arua Inter opima virum leni fluit agmine Thybris: Illic res laetae regnumque et regia coniux Parta tibi.*

In his versibus grauis censura poetae occurrit. Audierat scilicet Aeneas iam tum ex Creusa, quam in terram fata eum essent ductura: norat Hesperiam et Tiberim; ipse Tiberim in discessu ab Andromache facto memorat lib. III, 500 sq. Latium sociis ostendit laborum finem I, 205 *Tendimus in Latium* etc. et Apollinis Grynei oraculum, quod lib. IV, 345. 346 de sedibus in Italia fato destinatis haud dubie iam ante discessum e Troia acceperat. Atqui in sequente libro Aeneam in Thracia, mox in Creta considere videbimus, Hesperiae et Tiberis plane immemorem, neque oraculum Apollinis in Delo acceptum, nec Penatium monitum in hunc sensum interpretantem, quod tamen facere recesse erat ei, qui haec ex coniuge sua audierat. Quomodo porro classem parare poterant III, 7 *Incerti quo fata trahant, vbi sistere detur?* et 87 *Quem sequimur? quoue ire iubes? vbi ponere sedes?* In Seruianis iam olim fuisse videtur, qui haec deprehenderet: *Cur ergo*, inquit, *Aeneas horum non meminit et considit in Thracia et aliis locis?* Et ad III, 181 etiam alios hic haesisse intellexi e Burm. nota. Potest tamen aliquid, nec sine colore, responderi: quod *Hesperia* siue *Italia* terra tum erat ignota, obscuri nominis et ignoti situs, multo magis Tiberis; vnde de eo non male inf. lib. V, 83 *Ausonium*, quicunque est, *quaerere Thybrim;* quodque Creusae monitum, vt solent res obscurae aut minus probabiles, parum alte in Aeneae animum descenderat; non magis ac Cassandrae vaticinium lib. III, 183 sqq. Vnde et Anchises ibi adiungit v. 186. 187 *Sed quis ad Hesperiae venturos littora Teucros crederet!* Bona est in hanc fere sententiam nota Holdsworthi p. 236. cf. p. 232.

EXCVRSVS XVI

Luciferi ortus ab Ida.

II, 801 *Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae Ducebatque diem.* Noto poetarum more sidera montibus oriuntur vel occidunt; v. c. Apollon. I, 1273, quem autem

alium quam Idam montem memorare h. l. poterat poeta? Ita Eurip. Troad. 1068. Idam τέρμονα πρωτοβόλον ἁλίῳ eadem ratione memorat. Grammatici tamen alteram illam formam, *tibi deserit Hesperus Oetam* VIII Ecl. 30. comparantes super Ida argutantur. Pompon. Sab. ad h. l. *Describit diem, cum sol in ariete est; tum videtur oriri e cacumine montis Idae. Ergo et mense Martio dirépta fuerit Troia.* De hoc quidem, quod vltimo loco positum, aliter tradiderant veteres, v. Excursum ad lib. III princ. Quod ad prius illud attinet, an verum sit id, quod satis subtiliter enarrat Grammaticus, nescio. At illud satis constat, poetam non de Sole, sed de Veneris stella loqui. Aliud circa solis ortum phaenomenon memoratur ex monte Ida, sed non nisi circa Caniculae ortum, apud Diodor. XVII, 7. et Lucret. V, 662 sqq. vide Voss. ad Melam lib. I, c. 18. *Luciferum* autem, seu Veneris stellam, etiam cum respectu fabulae memorasse videtur a Seruio et Varrone laudatae. Stellam enim illam ab Aenea, donec ad Laurentem agrum venisset, semper fuisse visam, narratum est. cf. Disquis. II s. VII. Est aliqua poetarum ars etiam in his, cui tamen indulgere admodum quemquam nolim.

EXCVRSVS XVII

De Aeneae discessu ex vrbe; eiusque patre et stirpe.

II sub fin. Copiose et ornate poetam fata et facta Aeneae in ipso Troiae excidio exponere vidimus. Vt tamen appareat, partim haec minime poetam temere et ad libidinem finxisse, partim quo ille iudicio inter plures narrationes eam, quae sibi vtilissima erat, amplexus sit, ea breuiter, quae ab aliis his de rebus narrata sunt, subiicere non pigebit.

Quod igitur vrbe ab hostibus ex insidiis capta Aeneas ad arcem accurrit, multaque strenue facit, noli poetae commentum existimare. Fuit vtique ea de Aeneae virtute fama, et, quam multa ad arcem Pergamum defendendam fortiter ac sapienter egerit Aeneas, quomodo, salute desperata, partem ciuium fortunarumque saluam per portam auersam in Idae tuta eduxerit, pactioneque cum Achiuis facta discesserit, ex Hellanico, antiquissimo scriptore, diserte narrat Dionys. I, 46. 47 (pag. 36), quod iam dictum est Exc. XIII. In Arctini Excidio Ilii Aeneas iam post Laocoontis necem in montem Idam secesserat. In Quinto lib. XIII, 333 sq. abit ille illaesus Calchantis vatis monitu, postquam fortiter pugnauerat a v. 300.

Virgilius quidem Aeneam quasi in vrbe Troia domicilium habentem inducit, Anchisaeque domum in parte vrbis ab arce remota memorat II, 299 sqq. At Homerus Aeneam ab vrbe Dardano adduxit v. Iliad. B, 819 sqq., quam cum regione Dardania ille regebat v. Strabo XIII, p. 596 D. Sita illa ad ipsas Idae radices, vnde Anchisae habitatio in ipso Ida ab auctore Hymni in Venerem ponitur, v. 68. 75. cf. Quint. Cal. VIII, 97. 98. Troianos ex Dardano et Ophrynio Aeneae paruisse, ex Hellanico tradit Dionys. Hal. I, 46. 47. Ex iisdem locis aliisque vrbibus Troianis, etiam ex Bebrycia (cf. ibid. c. 54), confluxisse ad eum, cum in Idam se recepisset, magnam multitudinem hominum, idem

Hellanicus ibid. memoriae prodiderat; vnde Virgil. II, 796 *Atque hic ingentem comitum adfluxisse nouorum* etc., et illustris ex Sophoclis Laocoonte locus ibid. c. 48 *Adesi Aeneas* — Κυκλεῖ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν, Συνοπάζεταί δὲ πλῆθος, οὐχ ὅσον δοκεῖς, Οἱ τῆσδ' ἐρῶσι τῆς Φρυγῶν ἀποικίας.

Aeneam cum Achiuis pactione facta saluum discessisse, miro consensu inter veteres traditur, etsi id, diuersissimis modis, modo ad prudentiae laudem modo ad perfidiam ducis trahitur. Ad vtramque rationem siue firmandam siue ornandam causasque consilii reddendas, scilicet vt in loco, qui a multis erat tractatus, multa ac varia a veteribus erant commemorata, locis etiam Homeri in eas partes tractis, de quibus copiose disputare nihil attinet. Occurrunt illa apud Dionys. Halic. Strab. Dictyem, Auct. de Orig. G. Rom. et Seruium aliosque passim; sed prima iniquae huius famae semina sparsisse videtur Homerus Iliad. υ, 180 sq., vnde suspicari licet, Aeneam de regno Troiano occupando clandestina consilia iniisse: quos versus quod olim Grammatici tollere voluerunt, ad hanc ipsam controversiam pertinet: et Iliad. ν, 459 sqq. de occultis odiis inter Aeneam et Priamum. cf. dicta in Disquis. II s. III. Poetae necessario fuit melior de Aeneae fide fama sequenda, in qua et alios habuit consentientes, inque iis Hellanicum Lesbium ap. Dionys. l. c. I. 47. Fuere enim adeo, qui caussam Aeneae operose defenderent, aut eum excidii tempore ab vrbe abfuisse comminiscerentur, vt scilicet tanto facilius a crimine liberarent.

Ad poeticum tamen ornatum animique affectum dulcissimum comparatum est inprimis illud, quod per medias flammas Aeneas patrem humeris susceptum cum diis patriis vrbe capta effert. Itaque in eam rem certatim poetae involarunt, eamque mirifica varietate exornarunt. Sed loca ad obseruandum aeque atque ad intelligendum obuia sunt. Ex antiquioribus Sophoclis locum ex Laocoonte iam supra vidimus: adde Lycophr. 1264 sqq.

In Disquisitione modo dicta *de inuentionis laude rerum in Aeneide tractatarum* s. III. famam aliquam acceptam de regno *ab Aenea* in Troade condito viguisse vidimus: pro Troade alii regnum Aeneae in Epiro, in Phthiotide Thessaliae, alii in Italia constituerunt. Traductus honos est ab aliis *in progeniem Aeneae:* nam *Ascanium* cum Scamandrio Hectoris s. Scepsin tenuisse, et vtramque familiam diu apud se regnasse Scepsii contendebant, vt ex Strabone XIII, p. 607 (904) discimus. Demetrius Scepsius Aeneae etiam regiam in ea vrbe fuisse tradiderat. At eandem gloriam ad se trahebant Phryges, qui agrum Dascyliticum, in quo lacus Ascanius est, incolebant; aiebant enim illi Ascanium arcessitum apud se regnasse, eumque paullo post Scamandrium et caeteros Hectoridas, qui a Neoptolemo e Graecia dimissi ad ipsum confugerant, in patriam sedem Troianumque regnum reduxisse; ita ex Hellanico Dionysius I, 47, vnde petiisse putandus Pompon. Sab. ad Aen. III, 17. Non admodum diuerse narrata haec videas ap. Conon. narrat. 46, qui Aeneam ait capta Troia secessisse in Idam; cum vero Scamandrius et Oxynius Priami filii e Lydia, quo emissi fuerant, rediissent et omnia circa Ilium loca sibi vindicarent, Veneris iussu eum discessisse. Vt tamen idem Conon narr. XLI narrat, Ascanius in monte Ida regnum retinuisse videtur; quod et ipsum ad Scepsin, quippe in Idae ὑπωρείας sitam, spectare potest. Contra secundum eos, quos Dictys lib. V extr. sequitur, regnum Troianum, ex pacto Antenori ab Achiuis concessum, mox fuit ab Aenea tentatum, sed frustra. Tandem secundum Seruium ad Aen. IX, 264: „Quidam ab Abante, qui Troica scripsit, relatum ferunt, post discessum a Troia Graecorum, Astyanacti ibi datum regnum; hunc ab Antenore expulsum, sociatis sibi finitimis ciuitatibus, inter quas et Arisba fuit; Aeneam hoc aegre tulisse, et pro Astyanacte arma cepisse, ac, prospere gesta re, Astyanacti restituisse regnum.“

Quam diuersas poetarum olim sectas fuisse, quam diversos eiusdem argumenti tractandi modos, existimes, si

audias, in Iliade parua Aeneam captum cum Andromache a Neoptolemo Phthiam abductum fuisse! Versus ipsos Tzetza ad Lycophr. 1263 affert: etsi hoc idem non de Aenea sed de Scamandrio aliisque Hectoridis traditum a nonnullis Dionys. I, 47 memorat. Habet tamen et Dictys V, 16, quem adeo et hoc a Lesche petiisse, ex hoc ipso constare videtur, At vero in Schol. Iliad. ν, 459 nullo apposito auctore narratum: Aneade vrbe condita *(Aenia in Pallene)* filium patri superstitem in patriam rediisse, inde assumtis colonis in Italiam discessisse (v. locum inf. Excurs. I ad lib. III, vbi de Aeneae accessu ad Pallenen).

De *Anchise* post Hymnum Homericum in Venerem et fidem aliquam historiae obscuram non minus varia a variis, qui haec tractauerant, seu coniectando seu argumentum ornando fuerunt inuenta. De eius morte Excurs. XVII ad lib. III, 710 videbimus. Debilitatum se igni caelesti ipse profitetur lib. II, 647—649 *Iam pridem inuisus diuis, et inutilis, annos Demoror: ex quo me diuom pater atque hominum rex Fulminis adflauit ventis, et contigit igni.* In Homerico Hymno in Ven. 287—289 tantum hoc minatur Venus: sin edixeris meos amplexus et palam extuleris: Ζεύς σε χολωσάμενος βαλέει ψολόεντι κεραυνῷ; sc. non vt ictus intereat, verum vt afflatu debilitetur. Qui primus hoc disertius exposuerit (cyclicus an tragicus, e quo forte rem narrat Hygin. f. 94), non reperio: sed quisquis ille fuit antiquior poeta, vocabulo vtique πηρωθῆναι vsus erat: quod alii ad caecitatem retulere, cum proprie quamcunque corporis seu truncationem seu debilitationem innuat. Similis amphilogia fuit in Thamyri. v. Schol. ad Iliad. β, 599. Adde de Phineo Apollod. I, 9, 21, et πηρός, πήρωσις tandem absolute pro excaecatione ibid. III, 6, 7. Vlcus ex fulminis ictu purulentum mansisse in Anchisae corpore Sophoclis versus ex Laocoonte supra Disquis. II f. V. laudati, vt quidem a Plutarcho adscripti sunt, arguunt. Versus ap. Dionys. I, 48 sic leguntur: Aeneas ad portam est, vt discedat,

— ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίου
Νώτου κατοκάζοντα βύσσινον Φάρος.

est adeo νῶτον περαύνιον *dorsum fulmine percussum*, et Anchises, cuius dorso vestis iniecta defluit, dicitur κατασάζων τὸ βύσσινον φάρος, (κατὰ) τοῦ νώτου. Ad longe diversa Plutarchi locus ducit de virt. et malit. p. 100 D, vbi animi hilaritas diffundere se dicitur per omnem animi corporisque habitum: ὡς γὰρ ἀρώματα τρίβωνας εὐώδεις καὶ ῥάκια ποιεῖ, τοῦ δὲ Ἀγχίσου τὸ ῥάκος ἰχῶρα πονηρὸν ἐξεδίδου,

μοτοῦ κατασάζοντα βύσσινον φάρος,

οὕτως μετ' ἀρετῆς καὶ δίκαια πᾶσα καὶ βίος ἄλυπός ἐστι καὶ ἐπιτερπής. Secundum haec *Anchisae vestis saniem malam edebat destillantem ex vulnere per pallam byssinam:* Id tamen quomodo satis commode ex tragici verbis effici possit, in promtu non est: nam in versibus erit πατέρα κατασάζοντα (κατὰ) βύσσινον φάρος (ἐκ) μοτοῦ περαυνίου: vt μοτὸς vel μοτὸν, *linteum concerptum in vulnus indi solitum* (Hesych. μότα, πληροῦντα τὴν κοίλην τῶν τραυμάτων ῥάκη. nostrum *Charpie)*, pro ipso *vulnere* dictum sit: erit porro κατασάζειν absolute dictum pro κατασάζειν ἰχῶρα, αἷμα, φόνον, aut simile quid. Tertia forma apud Soph. Philoct. 796 est: σάζει γὰρ αὖ μοι φοίνιον τόδ' ἐκ βυθοῦ κηλῖδα αἷμα. Verum tamen idem v. 844 Ἰδρὼς γέ τοί νιν πᾶν κατασάζει δέμας dixit propius ad nostrum locum. Interpres Plutarchi et Meziriac. ad Ouid. Heroid. T. II, p. 144 μοτοῦ cum φάρος iungunt: parum commode; hic etiam in Plutarcho Ἀγχίσου τὸ ῥάκος minus bene in ἕλκος mutat: nam *opponuntur vestimenta, quae aromata exhalant*, et Anchisae *vestimentum tetrum odorem exhalans.* Verum satis de hoc loco, cuius illustrationem a doctissimis editoribus Sophoclis et Plutarchi aliquando expectamus. Nunc potissimum illud tenendum, cum Anchisae personam omnino poeta egregie tueatur, quippe cui semper det partes iubentis, praecipientis, monentis, quod ad parentum ac senum temporibus heroicis auctoritatem ac sanctitatem praeclare est comparatum, inprimis tamen ei diuinandi et cum auguria, omina ac somnia, tum oracula interpretandi facultatem tribui a Virgilio, vt lib.

II, 687 sqq. III, 9. 538. VII, 122 sq., quod Ennii non modo et Naeuii auctoritate facit sed Graecorum fere scriptorum consensu. Ennii versus erat: *Atque Anchises doctu', Venus quem pulcra dearum Fari donauit, diuinum pectus habere:* Fragm. p. 11, vbi Columna locum Naeuii apposuit. Vterque habetur in Probo ad Ecl. VI, et in Pomponio ad h. l. Etiam Sophocles in Laocoonte Aeneam induxerat in Idam secedentem Anchisae patris iussu, qui partim acceptorum a Venere mandatorum memor (ex quibus Virgilius mandata Veneris Aeneae data adumbrasse videtur II, 619 sqq.) partim prodigium, quod modo in Laocoonte eiusque filiis acciderat, interpretatus, vrbis interitum praeuidebat apud Dionysium I, 48. Veneris iussu Aeneam fugisse, etiam apud Cononem inuenias Narrat. XLVI, quae et monuerat vrbem eo loco condendam, vbi bouem sibi admugire deprehensurus esset; et a Venere seruatum Aeneam cum Anchise, narrat Tryphiod. 642 cum Quinto XIII, 326. At Mercurio duce discedit Aeneas in tabula Iliaca; et in Inscript. Regillae Herodis v. 23 loco notato Disquisit. II, s. VII.

De *Creusa* Excursu XIV egimus. Sed, quam varie Aeneidis argumentum a poetis tractatum fuerit, etiam ex coniuge Aeneae data apparet. *Codonen* et *Anthemonen* ipsi in matrimonio habitas ex iisque duas filias susceptas in Arcadia relictas vel elocatas ex Agathyllo Arcade videas apud Dionys. Halic. I, 49; at Anii filiam, *Launam*, Aeneae desponsam, videbimus Excurs. I ad lib. tert. Hinc etiam in liberis adsignandis magna diuersitas; cf. Dionys. Hal. I, 72.

Quod tandem ad *Ascanium* attinet, Homero ipsi nunquam memoratum, eum quidem in Troade relictum nouum constituisse regnum, paullo ante a nonnullis proditum vidimus. Communior tamen opinio, secundum Dionysium Halicarnass. quoque et Strab. XIII, p. 608 A, fuit haec, eum cum patre in Italiam venisse. Ascanii nomen in fuga demum ipsi inditum, cum prius esset *Eury-*

leon, apud Dionyſ. I, 65 reperias, adde Orig. G. Rom. 14, quod et ipſum antiquo poetae deberi videtur. *Alios duo paruulos filios abductos ab Aenea tradere, alios vnum, cui Iulo cognomen, poſt etiam Aſcanio, fuerit, ſecum extuliſſe*, Q. Lutatius ſcriptum reliquerat, v. Orig. G. Rom. c. 9, et ſic ex Hellanico narrat Dionyſ. I, 47 relicto Aſcanio Aeneam reliquos liberos cum patre et diis Patriis ſecum auexiſſe. Aſcanium tamen, etſi relictum in Troade, mox, cum pater in Macedonia obiiſſet, eo acceſſiſſe nouosque colonos inde ſecum in Italiam abduxiſſe, tradiderat alius vetus auctor, quem Schol. Iliad. *ν*, 459 exſcripſit, loco iam ſupra memorato. Multo maior circa Aſcanium diuerſitas poſt aduentum in Italiam; ſed de his nunc non agimus. vid. Excurſ. III ad lib. XII.





Et campos vbi Troia fuit. III. 11.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER TERTIVS

ARGVMENTVM

Euersa Troia, Aeneas collectis suorum reliquiis, quae caedi flammisque supererant, parataque apud Antandrum viginti nauium classe, primum in Thraciam defertur: vbi, cum futurae vrbis fundamenta poneret, territus Polydori a Polymnestore caesi prodigiis, Delum petit 1—77. *Consultoque ibi Apollinis oraculo, cum antiquam gentis suae matrem, hoc est, primam originis suae terram repetendam didicisset, falsa Anchisae patris interpretatione adductus, Cretam contendit* — 120. *Verum cum ibi quoque, positis iam moe-*

nibus, grauissima peste exagitaretur, in somnis monitus a diis Penatibus, relicta Creta, Italiam petit — 192. *Ibi subito oborta tempestate, primum ad Strophades insulas appulsus, ab Harpyiis infestatur* — 269. *Mox Actium delatus, in honorem Apollinis ludos celebrat* — 290. *Inde, Corcyram praeteruectus, Epirum tenet: quae id temporis Heleno Priami filio parebat, cui post Pyrrhi caedem Andromache in coniugium cesserat. Helenus Aeneam hospitio excipit, omnique humanitatis genere complectitur, imminentiumque terra marique periculorum certiorem facit* — 505. *Aeneas, relicta Epiro, Tarentum primamque Italiae oram praeteruectus, ad eam Siciliae partem, quae Aetnae monti adiacet, appellitur. Ibi Achemenidem, ab Vlysse in Cyclopis antro desertum, supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum feritate, inde ancoras soluit* — 681: *memorque praeceptorum Heleni, vitatis Charybdis et Scyllae periculis, Siciliae littora longo circuitu circumuectus, tandem Drepanum aduehitur, vbi Anchises, tum senio tum longae nauigationis iactatione fatigatus, fatis concedit* — 713. *Inde Italiam petiturus, immissa ab Aeolo subita tempestate in Africam eiicitur: quam partem libro primo exsequutus erat poeta.*

Rerum varietate et doctrinae copia hic liber caeteris facile praestat, totus ille ad Odysseae exemplum conscriptus. cf. inprimis Cluuer. Sicil. ant. p. 452 sqq. Quod tamen minus vulgo lectores suauitate sua detinet, non tam id facit, quod Segraisius iudicabat, quod liber secundus grauissimi argumenti, nam de Troiae excidio agit, antecedit, et Didonis amores suauissima narratione sequuntur; sed potius hoc, quod multarum rerum, inprimis quae ad mythos veteres et geographiam antiquam spectant, notitiam habere debet is, qui omnia, quae poeta leuiter tantum attingit et perstringit, intelligere velit.

Postquam res Asiae Priamique euertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia:
Diuersa exsilia et desertas quaerere terras
Auguriis agimur diuom, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae;

1 *Priamique vertere* Medic., sed a m. pr. 2 *Immeritum* Rottend. tert. *visum est* multi ap. Pier. Heins. 3 *Ilion* sex ap. Burm. *fumat* male Probus acceperat pro *fumauit*. Recte post *cecidit* mutatur tempus, *fumat;* quod non vno temporis momento absoluitur. 4 *et diuersas q. terras* aliquot veteres Pieriani, et Menag. Voss. pr. Hamburg. alter pro var. lect. Parrhas. Doruill. Brunck. Haeret Burmannus. Suauior, puto, esset illa lectio; sed ad fidem criticam probabilior est altera lectio *desertas*, cum codd. auctoritate, inter quos Fragm. Vatic., tum quod ea vix nasci potuit ex altera, in quam facile aliquis incidere poterat. Quod autem τῷ *desertas terras* putant repugnare *arua opima* II, 781, et similia; id leue est; possunt enim agri esse deserti et cultoribus vacui, et tamen fertiles haberi, inprimis si cultus accesserit; et terra, in quam noui coloni sunt immigraturi bene deserta et non satis frequentata hominibus dicitur. Sed id plane h. l. non quaerendum. Poeta enim hoc vnum agit, vt miserationem moueat. Praeclare autem post *Ilium superbum: desertae terrae;* in quibus ipsis sedes nouae erant condendae. 5 *classimque* Sprot. *classesque* pr. Rottend. pro var. lect. 6 *et* abest nonnullis ap. Heins. et Pier.

1—3. Splendidum exordium, pro: Postquam Troia in hunc modum fuerat euersa. *res Asiae*, regnum Asiae v. sup. ad II, 556.

4 — 8. *Diuersa exsilia, desertae terrae*, ad miserationem satis grauiter, pro terris nouis ac *diuersis*, longinquis, inhabitandis. *Auguriis diuum* sup. II, 691 sq., nisi addere malis prodigium flammae v. 682 et Creusae monitum v. 780. In *Antandro* argutantur Grammatici, et Cerda in adiecto *ipsa*. Simpliciter ex Strab. XIII, p. 606 D. tenendum, versus meridiem ab Ilio, ad sinum Adramyttenum, fuisse, saltem serioribus temporibus, vrbem Antandrum, nauale, ad Idaei montis radices. Nihil igitur mirum, si poeta

Incerti quo fata ferant, vbi ſiſtere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aeſtas;
Et pater Anchiſes dare fatis vela iubebat:
Litora quum patriae lacrimans portusque relinquo
Et campos, vbi Troia fuit. Feror exſul in altum
Cum ſociis, natoque, Penatibus et magnis dis.

7 *ferent* duo Heinſ. 8 *Vt prima* Hamb. pr. *inceperit* Medic. a pr. m. 9 *At p.* duo Burm. *Et pro cum* in Montalb. ex interpr. *Vt p.* coni. Heinſ., ſed *et* exquiſite apud poetas pro *vt, cum;* etſi nolim praeſtare, quod Seruius ait, velocitatem ineſſe. *dare ventis vela* duo Hamb. pro var. lect. et ed. Ven., quae ſane communis poetarum ratio, ſed propter hoc ipſum ſuſpecta; etſi non diffitendum, *fatis*, in quo optimi Codd. conſentiunt, etiam fragm. Vatic., propter ambiguitatem, ſitne tertius an ſextus caſus, minus commodum h. l. videri. Eſt vtique caſus ſextus, *fatis*, fatali neceſſitate: et hanc inprimis Anchiſes norat et monebat. v. Exc. XVII. ſub fin. ad lib. II. 10 *cum* Heinſ. e Medic. aliisque; vulgo *tum.* Liberior ſic erat orationis curſus. — *iubebat. Littora tum p. — relinquo.* duo *dum.* 12 *gnatoque* ſcribunt multi. *cum magnisque p. et dis* Menag. pr.

naues Aeneae in tam nobili et commodo loco aedificatas tradit. Materies claſſi aedificandae ex monte Ida, et quidem ex iugis in mare procurrentibus Gargaris, (τὰ Γάργαρα ſunt) ſuppetebat: cf. Wood (*Eſſay on Homer* p. 323). 7. *Incerti quo fata ferant.* ad h. l. cf. dicta in Disquiſ. II ſ. VI. Exc. XV ad lib. II.

8. *Vix prima i. aeſtas* ſ. aeſtatis prima pars, h. e. ver. Nam Troia euerſa fertur ſub initium veris. v. Excurſ. I. 9. *Fatis*, propter deorum iuſſa et monita, de quibus ad v. 5 dictum. *Vela dare fatis* tertio caſu, permittere, vt *velis*, vix Romanum eſſet.

10 — 12. Notabilis eſt Servii nota: „*Amat poeta, quae legit, immutata aliqua parte, vel perſonis, ipſis verbis proferre. Naevius enim inducit vxores Aeneae et Anchiſae, cum lacrimis Ilium relinquentes,*

Terra procul vastis colitur Mauortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Troiae, sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curuo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis;
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

14 *erant* sec. Moret. et Medic. a m. pr. *Ligurco, Lygurgo,* et *Ligurgo* passim in codd. scribitur. 16 *Cum* Leid. vn. *et in litore* Franc. *coruo, curro,* duo Burm. 18 *Aeneades* Medic. a m. pr. *gentes de n.* Montalb. pro var. lect. v. ad III Georg. 122. Est ἐπώνυμος. *cunctos* tert. Rottend.

his verbis: Amborum vxores noctu Troiad exibant, Capitibus opertis, flentes ambae, abeuntes Lacrimis cum multis. *Hoc iste Aeneam eodem in tempore eiusdem rei caussa inducit fecisse, cum dicit:* Littora tum p. — relinquo.“ Vnde haec depromta sint, docet Vossius in not. ad Naeuii fragm. p. 76 sq. *Et campos vbi T. f.* pathos in breuitate iam Macrob. miratus est V, 1. *cum sociis* v. sup. II, 796. Apud Pompon. seruatum est antiquum Scholion: „Cum sociis: versus est Ennii, et sunt verba Pyrrhi.“ Fragmentis Ennianis ergo addendus erit. *Penatibus et magnis dis:* hi inter se discernendi quomodo sint, vix dicere habeo, cum et perpetuo pro iisdem habeantur, et nullos alios Aeneas secum Troia abstulisse memoretur. Explicatiue igitur alterum adiectum: cum *Penatibus, magnis diis;* aut *cum magnis diis,* qui *nostri Penates* sunt: vt inf. v. 148 *Effigies sacrae* diuum, *Phrygiique* Penates. Nisi simplicissimum est accipere dictum, *cum magnis diis Penatibus.* Nam *dii Penates* vulgari quoque sermone dicti sunt. cf. Exc. IX pr. ad lib. II.

13—18. Primum Thraciam vniuerse designat, *Terra Mavortia* (nam, Thraciam Marti sedem tribui iam ab Homero, notum est, et cf. inf. 35). *vastis campis — Thraces arant* (natum forte ex primis Hecubae Euripideae verss. 8. 9). *acri,* saeuo (v. h. l.

Sacra Dionaeae matri diuisque ferebam
Auſpicibus coeptorum operum; ſuperoque nitentem 20

19 Ab h. v. noua narratio. Itaque interpunxi. 20 *auſpiciis* Wittian. *auſpiciisque* Vratisl. *ſuperumque* Parrhaſ. in margine.

Guellium), *quondam regnata Lycurgo* e fabulis de Baccho noto, v. Homer. Iliad. ζ, 130 ſqq. *regnata:* paſſive, v. Dauiſ. ad Cic. de LL. III, 1. Mox 15. dum *hoſpitium antiquum Troiae* memorat, regem Thracum hoſpitii iure cum Priamo iunctum indicat: neque *ſocios Penates* aliud, quam declarationem eius hoſpitii eſſe puto; debuerunt enim hoſpites eosdem deos tutelares habere; Certe ſocietate iunctos reges innuit. Docte quidem, nimis tamen ſubtiliter, Pompon. Sab. ad communem Thracum et Phrygum originem refert. Regem Thraciae, qui tum erat, ſequentia v. 49 declarant eſſe Polymneſtorem. Iam hunc Cherſoneſum Thracicam tenuiſſe vulgo narratum erat; quod inprimis Euripidis auctoritate conſtat, in Hecuba v. 8 et al. Itaque Virgilius, dum ad Hebri oſtia vrbem ab Aenea conditam memorabat, fabula a vicina regione petita narrationem ornare facile potuit. Quid? quod Polymneſtoris ditio ad Hebrum vsque potuit extendi. Certe Plinius IV, 11 *Oppidum Aenos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio.* De vrbe *Aeneadis* v. Exc. I. *fatis iniquis* ſiue propter ea, quae ſequuntur, fatis ſiniſtra, ſiue quod omnino iniqua fortuna decedere patria et alienis terris ſedem quaerere coegerat. Ammianus XXII, 8 pr. priorem ſententiam firmare videtur; reſpicit enim h. l. his verbis: „*Aenus*, qua diris auſpiciis coepta, moxque relicta, *ad Auſoniam veterem ductu numinum properauit Aeneas.*“

19 ſq. Sacrum parans Aeneas diis, inprimis Veneri et Ioui, dum frondes, quibus aram ornet, petit, ecce prodigium offertur: furculi, quos ſolo euellit, cruore ſtillant. Parat autem ſacrum Aeneas

Coelicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea ſummo
Virgulta, et denſis haſtilibus horrida myrtus.
Adceſſi; viridemque ab humo conuellere ſiluam
Conatus, ramis tegerem vt frondentibus aras: 25
Horrendum et dictu video mirabile monſtrum.

22 *tumulus iuxta* Montalb. 24 *auellere* Exc. Burm. 25 *vt* abeſt a ſec. Hamb. *aram* tres Burm. 26 Vocibus transpoſitis Montalb. *H. video et dictu m. m.* quod placet. Pugetianus: *H. dictu video m. m.* Wallian. *H. dictu et video m. m.* Nonius in *Horrendum: H. dictu video, m. m.* Macrob. III, 10 *H. dictu et viſu m. m.* Sed *dictu mirabile monſtrum* iam vidimus lib. II, 680. *miſerabile* aliquot Pieriani et Ven. a m. pr., vt alibi.

in *nouae vrbis* primordiis et auſpiciis: quorum religio ad Apollinem potiſſimum refertur. 20. *nitentem* candidum potius quam pinguem intelligo; candor enim ſpectatur in victima Ioui ferenda. Etſi etiam pro altero laudare poſſis Homerum Iliad. β, 403.

22 — 25. Ornata oratio. Sentis, ſi in vulgarem transferas: *in cuius vertice cornus et myrtus ſtabant. Cum inde frondes coronandae aras peterem.* Porro *tumulus* h. l. ſimpl. collis; nam inſepultus fuerat proiectus, vt ex v. 62 ſq. apparet, et cf. 45. 46. Arena autem, ventorum fluctuumque impulſu aggeſta, in colliculi ſpeciem, corpus erat tectum. In mare proiectum corpus in littus fluctu eiicitur apud Eurip. Hecuba v. 26. 697 ſqq., quem ſequi maluit Ouid. Met. XIII, 437 ſqq., vbi pleraque ex Euripide expreſſa. *horrida* noli aliter accipere, quam myrtetum horrere denſis virgultis; vti omnia prominentia *horrere* dicuntur. *haſtilia* pro virgis myrti (Burm. laudat Intpp. ad Grat. Cyneg. 129), vnde haſtas et iacula faciebant veteres; quod iam vidimus Georg. II, 447 *At myrtus validis haſtilibus, et bona bella Cornus.* Iaculis enim confixus Polydorus inf. v. 45. 46. quae infixa terrae radices egerant. Myrtus autem bene in litto-

Nam, quae prima ſolo ruptis radicibus arbor
Vellitur, huic atro liquuntur ſanguine guttae,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.
Rurſus et alterius lentum conuellere vimen
Inſequor, et cauſſas penitus tentare latentis:
Ater et alterius ſequitur de cortice ſanguis.

27 *cum quae* Sprot. *Namque vt pr.* ed. Mediol. *namque vbi p.* aliquot Pier. *arbor* Burmann. e codd. repoſuit, ne ſibilus in *arbos* aurem laederet. 28 *hinc atro* aliquot Pier. Franc. et ed. Mediol. *linquuntur* multi Pier. et Heinſ., vt et II Georg. 187. 33 *Alter* codd. plerique Pier. et Heinſ. etiam edd., ſollenni lapſu. *Alterque alterius* Zulich. *Rurſus et alterius* Hamb. pr. a m. pr. *alter et a.* a m. ſ.

rali plaga. Georg. II, 112 *Littora myrtetis laetiſſima.* conf. Cerda. *tegerem:* tegere, velare, proprium in re ſacra de coronis ac ſertis; cf. ſup. II, 248. 249: *myrtea* ſerta, vtpote in ſacris Veneris.

28. *Liquuntur ſanguine guttae* ornate pro, ex ea manant guttae ſanguineae, pro ſucco ſcilicet; proprie ſanguis liquitur, τήκεται, diſſoluitur in guttas. Ge. II, 187. *liquuntur amnes rupibus,* fluunt. Et mox: *terram tabo maculant,* quanto ornatius, quam, cadunt in terram! atque ſic porro. Mox *tentare* eſt explorare. Caeterum fabula, quam Virgilius et ipſam, vt tot alia, a poetis cyclicis accepiſſe videtur, ſatis probabilis videri debuit olim iis, qui in arbores mutari puellas, Nymphas Hamadryadas cum arboribus naſci, ſacris arboribus ſucciſis guttas ſanguinis manare, legiſſent. cf. Serv. ad v. 46. Exempla ſunt apud Callimach. H. in Cer. Apollon. Arg. II, 479 ſq. Si quid mirum videri debet, ſit forte hoc, quod noſtris adhuc temporibus Taſſus, Arioſtusque cum Spencero eadem fabula feliciter vſi ſunt.

Multa mouens animo, Nymphas venerabar agreſtis,
Gradiuumque patrem, Geticis qui praeſidet arvis:
Rite ſecundarent viſus, omenque leuarent.
Tertia ſed poſtquam maiore haſtilia niſu
Adgredior; genibusque aduerſae obluctor arenae:
Eloquar, an ſileam? gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris:
Quid miſerum, Aenea, laceras? iam parce ſepulto;
Parce pias ſcelerare manus. Non me tibi Troia
Externum tulit; aut cruor hic de ſtipite manat.

35 *Gradiuomque* Gud. a m. pr. quod praeferam. Mirum autem in hac voce primam produci. Breuis eſt ap. Silium XV, 15. *grandaeuumque* duo. *armis* Hamb. ſec. *oris* Menag. pr. 36 *ſecundaret et leuaret* Wittian. et Goth. ſec. 37 *Tertio* Cariſ. v. Pier. et Heinſ. *maiori* Leid. *niſu* Heinſ. ex codd. et edd. vett. repoſuit. Vulgo *nixu*. cf. Pier. 38 *auerſae* alter Rottend. 39 *alloquar* Ven. 40 *auditus* e vet. cod. laudatur in Seruianis. *et* deeſt Menag. pr. *ad auras* quatuor Burm., vt ſaepe alibi, ſic inf. 93. 41 *ſepulchro* codd. et Donatus ap. Pierium. 43 *extremum* Witt. cum codd. Pier., perpetuo lapſu. *E. dedit* Wall. *aut* reſtituit Heinſ. e libris (adde fragm. Vatic.) et Grammaticis, quem vide. Vulgo *haud*; in quo fere ſemper variant libri. *aut* vero pro *nec* etiam in proſa ponitur in ſimili ſententia, ſc. *non de ſtipite* ſed de meo corpore.

34—36. Valde animo aeſtuans ſuper prodigii cauſſis adoro Nymphas Hamadryades et Martem Indigetem, vt malum omen auertant. *viſus* pro viſum h. e. oſtentum, portentum, quod *ſecundum*, felix eſſe et *leuari*, in bonum conuerti vult, vt bene Seru. Mox 38 *obluctor*, ἀντιβιάνω, vt Burm., aut ἀντερείδω.

41—45. *Iam* tandem *parce ſ.* —42 *parce ſcelerare*, h. e. noli, (vt apud Horat. et al.) polluere ſcelere manus. Male alia Seruius; at recte idem *ſepultum* h. l. vidit eſſe fortuita obrutum terra. (cf. ad v. 22.) — 42. *me*

Heu! fuge crudelis terras, fuge litus auarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et iaculis increuit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threïcio regi; quum iam diffideret armis
Dardaniae, cingique vrbem obsidione videret.
Ille, vt opes fractae Teucrum, et Fortuna recessit,

44 *amarum* sec. Hamb., perperam. cf. Burm. 46 *impleuit* aliquot Pier. cum pr. Rottend. et Sprot. 47 *Nunc vero* alter Hamb. 48 *steterantque* aliquot Pier. et Burm., vt sup. II, 774. *stetereque* Franc. *et* abest a Doruill. 49 *magno c. p. vasto* Parrhas. *magno c. p. quondam* Cuningh. ex Huls. 50 *commisit alendum* Exc. Burm. ex interpretatione. 51 *Thraicio, Traicio* scribitur. 52 *insidione* alter Hamb. 53 *et* deest Montalb. et aliquot Pierianis. *Teucrum fr. fortunaque r.* Doruill.

tibi non externum Troia tulit, protulit, genuit, h. e. Troianus sum. Non cruor *de stipite*, sed de meo corpore manat.

45. 46. *Seges telorum increuit iaculis acutis*, h. e. tela, vt emissa erant in me, in hoc tumulo (sentit mecum Pompon. Sabin.) excreuerunt in arbores, vnde iacula petuntur. Ita *iaculis* est casus tertius, pro *in iacula*. Alioqui copia otiosa dictum esset, *seges telorum increvit ex iaculis*, h. e. *telis*. (Igitur telis fuit confossus; cf. Auson. Epitaph. XIX aliter atque apud Euripidem, qui eum ferro concisum narrat). 47. *Pressus formidine*, puta positum pro vulgari, *oppressum*.

49. Ad sqq. v. Excurs. III de Polydoro. Rex erat Polymnestor.

53. Rem et caussam Agamemnonis potiorem factam;

Res Agamemnonias victriciaque arma ſecutus,
Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames! Poſtquam pauor oſſa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monſtra deum refero, et, quae ſit ſententia, poſco.
Omnibus idem animus ſcelerata excedere terra; 60
Linqui pollutum hoſpitium, et dare claſſibus auſtros.
Ergo inſtauramus Polydoro funus, et ingens

55 *abrupit* quinque Burm. *obrumpit* tres alii. *erupit* Goth. ſec. 56 *corpora* Wall. 57 *caeca f.* Wall. *relinquit* duo Burm. 58 *Dilectos* alter Hamb. *p. et proceres* Menag. pr. *parentum* aliquot Pieriani. 59 *et* deeſt Menag. pr. 60 *abscedere* Goth. tert. 61 *Linquere* pars codd. et edd. At Heinſius cum aliis, inter quos Medic. Gud., *linqui*, eadem vi, ſed poeta poteſt videri voluiſſe orationem variare. *polluto* tert. Rottend. *auſtrum* pr. Hamb. 62 *Polydori* ſec. Rottend. Moret. ſec.

partes Agamemnonis. 55. *Fas omne abrumpit*, paullo audacius dictum videtur, diuina humanaque iura infringit, violat. Mox 56 *quid non — cogis* pro *ad quid*. Sed praepoſitio omittitur: illuſtrat Burmannus. Sic τί pro πρός τι.

61. *Dare claſſibus auſtros* non eſt hypallage, quam vulgo iactant, vt peruerſa ratione res efferantur; ſed, vt vulgo *nauis vento tradi* dicitur, ſic exquiſitiore ratione *naui ventus*, vt vela ventis pandantur et ſic porro.

62 ſqq. Locus *de inferiis* claſſicus. Nota rerum ac verborum proprietatem. *Inſtauramus funus*, religioſo vocabulo, pro facimus. *tumulo*, vt tumulus vere dictus et rite paratus isque, e more priſcorum hominum, altiſſimus, fieret, non temere aggeſtus, vt v. 22. *ſtant aras*,

Adgeritur tumulo tellus; ſtant Manibus arae,
Caeruleis maeſtae vittis atraque cupreſſo;
Et circum Iliades crinem de more ſolutae.
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis et ſacri pateras: animamque ſepulcro
Condimus, et magna ſupremum voce ciemus.

63 *cumulo* alter Hamb. et pr. pro var. lect. *tellus tumulo* Sprot. 64 *nexae* Voſſ. *cupreſſu* tres Burm. cum Pierianis, vt alibi variant. cf. Pier. 65 *At* pr. Hamb. *Iliadas* Voſſ. *crinis* libri ap. Pier. 66 *trepido* Hamb. ſec. et Exc. Burm. *fumantia* Oudart. *Kymbia* Parrhaſ. 67 *ſacras p.* Exc. Burm. *animaque* Franc.

doctius, quam, ara ſtatuitur. *caeruleae* vittae ſunt nigrae v. Seru. Burm. *moeſtae vittis* moeſtitiam declarantes, exquiſite, cum *ornatae, velatae*, dicere deberet. *cupreſſinis* frondibus coronatur h. l. ara. *Cupreſſus atra* non natiuo colore; ſed quia funebris arbor, Diti ſacra. Matronae Troianae ſolutis crinibus circumſtantes tumulum plangunt et lamentantur. cf. XI, 35. *inferimus*, ἐπιφέρομεν χοάς. effundimus in aras et in tumulum. *cymbia lactis* conf. Ecl. V, 67. *ſanguinis*, victima caeſa, cf. inf. V, 77 ſq. *animamque ſepulcro condimus:* Manes placamus, vt quieti ſuae reddantur; *et ſupremum voce ciemus* h. e. vocamus. Ter acclamatum: Vale. Haue. cf. inf. VI, 374. 379, vt apud Homer. v. c. Odyſſ. ι, 65. 66. Quod Burmannus *animam* pro corpore vel homine dictam ait, quamquam id interdum, ſed in aliis ſententiis, fieri certum eſt, h. l. tamen vix conuenit; corpore enim inſepulto vagatur anima, ſepulto autem redit ad quietem ſepulcri, vt bene Seruius, qui ad h. l. videndus, ſiue vt aliquamdiu cum corpore vel cinere duret, ſiue vt inde loca infera ſedesque Manium ſubeat; nam magna ſuperſtitionis circa haec diverſitas. cf. ad Tibull. III, 2, 15. *Anima* ergo *conditur ſepulcro*, non *in ſepulcro;* ſed, *ſepulcro facto*, ſepultura corporis peracta.

Inde, vbi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lenis crepitans vocat auſter in altum,
Deducunt ſocii nauis, et litora conplent.
Prouehimur portu; terraeque vrbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus

69 *prima quies* Goth. tert. *prona fides* pr. Moret. a m. pr., ſollenni potius lapſu (de quo v. Burm.) quam exquiſitioris epitheti ſtudio, quod nec facile feras h. l., multo minus deſideres. *placataque* Parrhaſ. 70 *lenis crepitans.* displicet merito duplex epitheton, etſi ſimilium exemplorum auctoritate defendi forte poſſit. v. Burm. Heinſ. coniecerat *ſegnes crepitans*, Burm. *lentos c.* Toupius in Suidam P. III, p. 138 *lenicrepitans*, quod in Lucretio non displiceret. Iortin (*Tracts* Tom. II, p. 470) iungit: *Auſter lenis vocat crepitans.* Pierius e codd. aliquot laudat *lene crepitans*, quod conſuetudine Virgilii ſatis tritum teneri poteſt. Nam quod vltima in tono et ante duplicem conſonam producitur, inſolens eſſe non videtur. Io. Schrader. tamen in ſchedis ingenioſe coni. *lene increpitans.* 72 *Praeuehimur* duo Burm., male. *terrae* ſine *que* duo. 73 *medio colitur* Gud. cum multis aliis. Porro Burm. h. l. et iam ad Ouid. Faſt. VI, 177 emendat *gratiſſima Delus*, probante Burmanno Secundo ad Anthol. Poet. Lat. p. 460, addit Schrader. Emendatt. c. 3, p. 39. quod ſic quoque in Ciri v. 473 legitur. Et habet ſane quo placeat. Videamus tamen, annon poetica ratione exquiſitius ponatur genericum nomen, *tellus.* Porro in tali poſitu, vt hic verba vides: *Sacra — gratiſſima tellus Nereidum matri* poteſt forte *tellus* magis placere. *Tellus* autem pro inſula non adeo abhorrere ab vſu poetarum videtur. Subeunt

69 — 72. Ornati verſus. Cum primum ineunte vere nauigari poſſet, iterum naves conſcendimus. *auſter* h. l. non proprie, nam ex Thracia euectis is non poteſt eſſe ſecundus ventus (etiam apud Homerum ἄνεμον βορέην Vlyſſi ex Thracia ſoluenti mittit Iupiter Odyſſ. *ι*, 67); ſed h. l. pro vento omnino. — *lenis crepitans*, v. V. L. *Venti dant maria placata*, quatenus ipſi ſunt *placati*, placidi. *terrae — recedunt:* cf. inf. ad 411.

73 — 77. Delus olim mari vaga tandem inter Gyarum Myconumque, Cyclades, conſedit, ἐρήρικται, fixa eſt. ni-

Nereidum matri et Neptuno Aegaeo:
Quam pius Arcitenens, oras et litora circum
Errantem, Gyaro celsa Myconoque reuinxit,

modo illa animum: Claudian. de R. Pr. I, 192 Ceres de Sicilia: *salue gratissima tellus.* Ouid. Met. III, 597 *Forte petens Delum, diae telluris ad oras Applicor.* et inf. v. 127 *crebris freta consita terris.* Etiam Senecae locus Herc. fur. 15 tamquam ex nostro expressus vulgatae lectionis columen haberi potest: *Quibusque natis mobilis tellus stetit.* 74 *Neptunio* aliquot ap. Burm. Pier. Ald. pr. *Neptuno Ennosigaeo* Titius Loc. controu. XV, 16. Versus haud dubie ex poeta antiquo arreptus, forte idem ex Graeco versus. v. Excurs. IV. 75 *prius* interpretatur Pompon. Sab. et notatum pro var. lect. in Seruianis; sicque aliquot Pierii tresque Burm., quod iam Broukh. probarat, et docte illustrauit Burmann. Secundus ad Anthol. l. c. p. 460, vt sit *prius errantem.* Ad terrae tamen motum sub Augusto, si Tertulliano fides habenda, factum referri hic nihil potest. *arquitenens* scribitur in Medic. et aliis v. Heins. *Actius arcitenens* coni. Cuning., parum feliciter. 76 Ordo verborum ab Heins. Medicei aliorumque, etiam Pierianorum, codd. auctoritate est restitutus. Vulgo in scriptis et editis leg. *Mycone celsa Gyaroque.* Sed, *Mycone* vitiosum esse, et Pierius vidit et facile apparet; est enim Μύκονος; ortum forte, vt Heins. vidit, ex *Mycono e celsa,* cf. eund. ad Ouid. Ep. XXI, 81, docentque id var. lect. e Burm. codd. *Myconoë, Miconee, Michonaë,* it. *M. excelsa et celsa,* vt in Goth. Sed Heins. porro rescripserat *Gyaro e celsa,* sine libro, quod recte Burm. reliquit. *celsae* vnus Leid. Aberratur etiam: *Micone, Micono, — Giaro;* cuiusmodi errores notare piget, praetermittere tamen non licet. *reuexit* Codex Amstel. ap. Burmann. Secund. l. c. *ligauit* pr. Hamburg. In laudato Epigrammate: *Delos iam stabili reuincta terra.*

hil amplius. *mari medio* seu quia Cycladum media habita dictaque Straboni, Plinio et Solino. v. Cerda, et adde Callim. in D. 300, Steph. Byz. in Δῆλος ibique Intpp., seu simpliciter, in alto; modo loquendi Homerico Odyss. ε, 844, vt mox de Creta v. 104. *Nereidum matri,* Doridi, et *Neptuno (Aegaeo* dicto, quod eius sedem in Aegaeo mari poetarum narratio consecrauit, vt vel ex Homero notum, v. Guell. vel Cerdam). *Gratissima* iis Delus, ex antiqua fabula: v. Exc. IV ad h. v. 75. *pius,*

Inmotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror; haec feſſos tuto placidiſſima portu
Adcipit. Egreſſi veneramur Apollinis vrbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique ſacerdos,
Vittis et ſacra redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchiſen adgnoſcit amicum.
Iungimus hoſpitio dextras, et tecta ſubimus.
Templa dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto.

77 *componere* Oudart., male. v. Burm. cum fixa ſit, iam non agitatur ventis, vt ante; ſed eſt ἠνεμόεσσα καὶ ἄτροπος. 78 *et feſſos* Exc. Burm. *huc ſ.* Doruill. *toto* Montalb. 81 *lauru* Cariſ. lib. I, 109 legit, notante Heinſ. 82 Aberrant fere codd. Heinſ. et Burmanni in *Anchiſem;* vt vero metro conſulant, concinnant reliqua varie: *veteremque A.* vel *veterem Anchiſemque* vel *v. A. cognouit.* Etiam pro *agnoſcit* plerique ap. Pier. et Heinſ. *agnouit*, etiam ſic vetuſtiſſ. fragm. Vatic. 84 *veneramur* aliquot ap. Pier. et Heinſ. et vnus Burm. ex antecedente oratione, aut

gratus erga inſulam, Φίλην τιθήνην, in qua erat natus. Res vel ex Callimachi Hymno in Delum nota. *Arcitenens* vox iam Naeuio aliisque poetis ante Virgilium frequentata. v. loca ap. Macrob. VI, 5 et Vrſinum. *oras et littora circum Errantem* illuſtrant illa apud Callimach. l. c. v. 41 ſqq. De reliquis v. Excurſ. IV et de *Anio* v. Excurſ. I. Eſt autem ille inter exempla regum, qui iidem ex priſco more, ſacerdotio ſungebantur. 79. προσκυνοῦμεν.

82. Ex antiqua fabula repetendum, cuius veſtigia ſeruauit Seruius: *Ad Anium Anchiſes ante Troicum bellum conſultum venerat, an Salamina peteret comes Priamo; vnde et agnoſcitur* ſc. nunc ab Anio. Eadem ſequitur Ouid. Met. XIII, 641 ſq.

83. *Iungimus hoſpitio dextras* illuſtrat Burm., int. hoſpitii priſtini iure, propter hoſpitium, quod iam inter Anchiſen et Anium fuerat. cf. XI, 65.

84 — 89. Notabili cum breuitate, ſed quae exem-

Da propriam, Thymbraee, domum! da moenia fessis,
Et genus, et mansuram vrbem! Serua altera Troiae
Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli!
Quem sequimur? quoue ire iubes? vbi ponere sedes?
Da, pater, augurium; atque animis inlabere nostris.

forte ab aliquo, quem offendebat post v. 79 *veneramur*, quod sequitur, *venerabar*. Eadem de caussa et quia oratio paullo molestius decurrit, Iac. Bryant acute suspicabatur, versus 80 — 84 esse insititios. Saltem hoc concedendum: versus a poeta nondum satis politos et reliquis adaptatos esse. Equidem suspicabar versum 79 post *Accipit* inexpletum relictum, male esse ab alia manu suppletum. 85 *patriam domum* Schol. Horat. Cruqu. lib. III Od. 13, quod illustrat Heins. *Da T. domum propriam* Montalb. 87 *Achilli* firmat Heins. et h. l. cf. sup. I, 30, al. *Achillis*. At *Achillei* fragm. Vatic.

plo non caret (vide v. c. inf. v. 265, vbi etiam desit: *inquit*), significat poeta Aeneam esse ingressum templum, adorasse deum et preces fecisse. Latius euolvere Virgilii verba videtur Ouid. Met. XIII, 633 — 637. *Templa saxo structa vetusto*, quis dubitet esse *vetustum templum!* Argutatur tamen in hoc Macrob. III Sat. 6, vbi etiam in iis poetam in ordinem cogit, quod ad Apollinis γεννήτορος aram et religionem referri totum locum vult. Adsciuisse tamen Macrobii commentum videtur Seruius cum aliis Grammaticis. v. Seru. ad v. 83. 84. *Da*, indica, vt Seru.; *data fata* sup. I, 382. *propriam*, perpetuam, stabilem, firmam Seruius exponit. cf. inf. VI, 872 et ad Ecl. VII, 31. *Thymbraeum* h. l. appellat nulla alia quam poetica ratione; etsi patrius erat deus. *Thymbra* erat Troadis vicus cum Apollinis luco ac templo. v. Strabo XIII, p. 598 A, B, cf. ad Ge. IV, 323. ad Tzetzam

Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moueri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad auris:

90 *erat* Parrhas. in marg. Burm. *limina sunt* Zulich. *que laurosque* Rottend. tert. a m. pr. 91 *Liminaque et l.* duo ap. Burm. *limina* plane abest a Franc. 93 *et* deest Leid. et Oudart.

p. 132. Et *genus* inter caetera: *domum, moenia, vrbem,* aliud esse nequit, quam locus generi futuro, sedes stirpis, a qua noua posteritas originem ducat. Respondet igitur τῷ *domus,* quae sine certa sede esse potest nulla. *reliquias Danaum,* cf. sup. I, 30. *Da pater augurium,* exemplo Priami iter in castra Achiuorum parantis Iliad. ω, 310 sqq. 89. *animis illabere nostris.* Proprie Phoebus descendit in mentem vatis sui; insinuat se, suam vim, eius animo; h. l. etiam illis, quibus sorte data rem obscuram explicat et illustrat, *Φράζει. augurium* vero h. l. pro oraculo, vt etiam alibi. Oraculo autem proprie erat locus, veteri more, in nouis sedibus quaerendis. cf. de Batto locum ap. Herodot. et Callim. in Apoll. 65 sqq.

90 — 93. Sollenne scilicet hoc, tamquam numinis sortem edituri praesentia, vt tota natura numen sentiat: commune ἐπιφανείας deorum, etiam in festis et sacris, quae in eorum honorem celebrabantur. Notum vel ex Callimachi H. in Apoll. pr. et Spanh. ad e. l. *omnia* deinde per species redduntur: *liminaque laurusque.* v. Burm. *Mons circum,* Cynthus. Nam templum in campo situm; v. Exerc. de Delo in Misc. Obss. *cortina,* ὄλμος, operculum tripodis, *mugit,* vento subterraneo e specu, cui imposita est, surgente, siquidem credere licet, ad Delphici tripodis instar haec fuisse adumbrata. cf. Spanhem. ad H. in D. v. 90. *adytis reclusis,* ipso templi penetrali per motum terrae patefacto. 93. *Submissi petimus terram,* exquisite, pro-

Dardanidae duri, quae vos a ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere laeto
Adcipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui naſcentur ab illis.
Haec Phoebus: mixtoque ingens exorta tumultu

ad auras aliquot Pier. ſec. Hamb. et Witt. v. ſup. v. 40. 94 *de ſtirpe* aliquot Pieriani. 95 *laeta* pr. Rottend. pro var. lect. vel *toto* Sprot. 96 *exq. terram* Zulich. ex interpr. 98 *ab ipſis* Ven. 99 *excita* Hugen.

voluimur; Lucretiano loquendi more.

94—98. Oraculum, magna cum arte verbis ſententiisque ambiguis et obſcuris conceptum, Italiam, vnde Dardanus originem habere ferebatur, reſpicit, vid. inſ. 163: atque hinc *Dardanidas*, non *Teucros* aut alio nomine, nunc appellatos vult Macrob. I in So. Scip. 7 et Seru. ad h. l. *duri*, labores tot experti, πολυτλήμονες. *Vber terrae* antiqua loquendi forma in ornatum verſa v. ad I, 531, h. l. pro ipſo ſolo. Verſus 97. 98 nobiliſſimi illi Homerici ſunt Iliad. υ, 307. 308 Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίῃ Τρώεσσιν ἀνάξει, Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένοιντο, ex Neptuni perſona dicti; nunc feliciter in ſortem Apollinis verſi. Memorabile eſt, quod h. l. Seruius habet: *Orpheo* hunc Homericum verſum alterum *eſſe ſublatum. Item Orpheus de oraculo Apollinis Hyperborei* ſc. ſumſit: nam ita eſſe intelligendum, ex Pomponio Sab. patet, qui Seruianum illud repetit: *Hunc eundem* (verſum) *Homerus ab Orpheo ſumſit; Orpheus ex oraculo Apollinis.* Probabile ſit, aliquem poetam, forte Euphorionem in Chiliade, hanc ſortem ab Orpheo repetiiſſe. De interpretatione verſuum, cum *cunctis* dominabitur *oris* dictum ſit, quod in Homero erat, Τρώεσσιν ἀνάξει, v. Disquiſit. II *de inuent. rerum in Aeneide tractatar.* ſ. II et III.

Laetitia; et cuncti, quae ſint ea moenia, quae-
runt;
Quo Phoebus vocet errantis, iubeatque reuerti.
Tum genitor, veterum voluens monumenta vi-
rorum,
Audite, o proceres, ait, et ſpes diſcite veſtras.
Creta Iouis magni medio iacet inſula ponto;
Mons Idaeus vbi, et gentis cunabula noſtrae.
Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna:
Maximus vnde pater, ſi rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum eſt aduectus ad oras,

100 *ſint haec* Ven. *quae ſunt* Leid., ſed v. Burm. cf. ſup. II, 123. 101 *iubeatue* ed. Ald. et Iunt. Goth. pr. 102 *voluens veterum* multi. *priorum* Montalb. 103 *o* deeſt quatuor Burm. *dicite* tres. 104 *medio magni* Goth. tert. 105 *ibi* multi ap. Burm. *et* deeſt Zulich. 106 *vrbis* multi Pier. et duo Heinſ. At *vrbes* Valerius Probus in codice, qui ipſius Maronis fuerat, ſcriptum repererat, ap. Gell. XIII, 19. 108 *Teucrus* defendit Heinſ. e libris et Grammaticis; adde fragm. Vatic. alii *Teucer*, vel *Teucros*, v. Pier. et Bened. *adductus* alter Hamb. *delectus* pro *delatus*, et a m. ſec. *deuectus* Leid. vnus. *primum transuectus* Goth. ſec. *in oras* multi ap. Pier. fragm. Vatic. p. 172, et tres Goth. *Critheas — in oras* Doruill.

102. *Voluens*, reuolvens animo veteres hiſtorias. Quod autem Anchiſae interpretis huius oraculi partes tribuuntur, etſi nunc parum ſollerter ea in re eſt verſatus, ſit illud idonea de ratione: quoniam ſiue ſenectutis auctoritate, ſiue munere Veneris ſingulari hoc ſibi praecipuum habet Anchiſes. v. Exc. vlt. ad lib. II, vbi de Anchiſe.

103. Comparant illud Odyſſ. β, 229 Κέκλυτε δὴ νῦν μευ, Ἰθακήσιοι, ὅττι κεν εἴπω.

104. Expreſſus locus ex Odyſſ. τ, 172 ſqq. *cunabula*, origines vulgo: quae communes fuere inter Cretam et Troadem. v. Excurſ. V. 106. *Centum vrbes.* ἑκατόμπολις Iliad. β, 649; res nota. vid. Meurſ. de Creta I, 5. 108. Ad promontorium igitur

Optauitque locum regno. Nondum Ilium, et arces
Pergameae ſteterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae, Corybantiaque aera,
Idaeumque nemus; hinc fida ſilentia ſacris,
Et iuncti currum dominae ſubiere leones.

109 *Aptauitque* aliquot Burm. cum Goth. ſec. *regni* Hamb. ſec. *Ilion et* duo etiam hic. 111 *Hic* Nonius Marcellus in *colere*, Seru. ad Aen. X, 220 et Wall. Porro varie ſcribitur, *Cybele*, *Cybeles*, *Cybeli* (hoc quidem inani, vt ſolet, verborum apparatu ornat Catroeus) apud Pier. et Heinſium, cuius docta nota eſt ad h. l. et, vt *Cybeles* cum caeteris conueniret, mutatum etiam *mater* in *matris*, et refinxere adeo: *Hinc matris cultri Cybeles* ap. Pier. Nam librariorum lapſus ſunt *Cybili*, *Cibili*, *Cibeli*, *Cybile*, *Cibelae*, et al. Sane mons ille Phrygiae, qui Matri deum nomen dedit, recte ſcribitur et *Cybelus*, ſc. mons, et *Cybele*, et *Cybelon*, Graecisque τὸ Κύβελον, τὰ Κύβελα, ἡ Κυβέλη (vnde ipſa dea ἡ Κυβέλη et Κυβήλη). Heinſius *Cybelae* praetulit hic et XI, 768, quoniam Virgilius talem formam amat, et quod hoc proximum eſt lectioni vulg. *Cybele*, quae in plerisque libris, etiam Medic. et Fragm. Vatic., occurrit (item in tribus Goth.), et a Nonio Marcello firmatur. Interpretati autem erant vulgo, vt ex Pompon. Sab. apparet: *mater Cybele cultrix*, ſc. ſacrorum. *C. ira* Witt. pro *aera*. 112 *et fida* Schol. Cruqu. Horat. III Od. 1. 113 *vincti* Franc. *victi* Doruill.

Rhoeteum eſcendit Teucer, ſiue ex antiqua narratione, ſiue vt poetice pro Troiano littore omnino ſit dictum. 109. 110. Ex Iliad. υ, 216. 217. 218 Dardanus Κτίσσε δὲ Δαρδανίην· ἐπεὶ οὔπω Ἴλιος ἱρὴ Ἐν πεδίῳ πεπόλισο, πόλις μερόπων ἀνθρώπων· Ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον πολυπιδάκα Ἰδης (hoc eſt, *habitabant vallibus imis* ad Idae radices). cf. Strabonem XIII, p. 592 (885) de illo loco Homerico disputantem. *optavit:* vt I, 425. *Pars optare locum tecto:* deligere, deſtinare.

111—113. Ex Creta tradueta in Troadem ſunt ſacra Cybeles, declarata ea per partes: *Mater* deum, quae *colit*, inhabitat, *montem* Phrygiae, *Cybelen*, (v. Heinſ. et Burm. Anthol. I, 53) *Corybantum ſaltationes*, cum

Ergo agite, et, diuom ducunt qua iussa, sequamur:
Placemus ventos, et Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu; modo Iuppiter adsit,
Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactauit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcer Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

114 *diuom* Gud. *quo* Goth. sec. *qua ducunt* tres Burm. *qua fata* ed. Ven. 115 *Gnosia* e scriptis tuetur Heins. Gud. et alii *Cnosia*. Vulgo *Gnossia;* sed de hac scripturae varietate auctores de numis et marmoribus sunt videndi. Diiudicanda omnino res est ex eo, quod simplici littera veteres, geminata seriores, vtebantur. 116 *Nec distant longo* Menag. sec. 117 *sistat* Hamb. sec. cf. Burm. 118 *mactabat* ap. Nonium in *honor*, et ap. Macrob. IV Sat. 1.

cymbalis; Ex Ida Cretae nomen ductum *montis Idae* in Troade, in quo illa sacra habebantur, ipsa *mysteria* Idaea (haec sunt *fida silentia sacris;* in sacris, hoc est, sacrorum) et in iis *Cybeles leonibus vectae* repraesentatio. Quae omnia satis illustrata sunt cum ab aliis tum a Pignorio.

115. *Placemus ventos*, sacra diis maris praesidibus faciamus! cf. v. 119, et petamus Cretam! 118. *Honores*, docte pro victimis, quae in deorum honorem mactantur in *aris*, ad aras. 119. *Neptunum* et *Apollinem* memorari, tamquam Troianorum deos patrios, putarunt nonnulli inter veteres. Videtur tamen a sorte data et navigatione facienda caussa sacrificii esse petenda. 120. *Tempestatibus* sacrum fieri agna videbimus Aen. V, 772, quod autem nigra, e natura earum petitum, illustratum est a viris doctis ex Aristophanis Ranis 871, 2. Sed et Neptuno παμμέλανας ταύρους mactant Pylii Odyss. γ, 6. De sacris Vento Ventisque factis plura dat Cerda cum aliis. Verba versus 120 fere eadem atque Iliad. γ, 103, et v. 119 ex λ, 727.

Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae;
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Donusam,

121 *regno c. paterno* pr. Hamb., quod esset pedestre. 123 *domus* aliquot Heins. vt fere semper variant scripti in h. v. *domum* aliquot Pieriani, it. fragm. Vatic. *atque vacare* Zulich. a m. sec. Porro libri et grammatici olim distinxerunt: *desertaque l. C. Hoste, v. d.* Possit etiam distingui: *desertaque l. C. Hoste vacare, domos sedesque a. r.* Sed vulgaris interpunctio satis commoda. 125 *Bacchantemque* Menag. pr. *Naxum* fragm. Vatic., vt mox *Olearum* et *Parum*. *Nasson* aliquot Pierii, quem vide. *Donysam* vulgo legitur: sed *Donusam* aliquot eiusdem, vt in codd. Plinii et Taciti scribitur; et Graece Δονοῦσα vel Δονουσία; nemo scribit Δονύσα, etsi ex Διονυσία ductum esse volunt. v. Steph. h. v. *Donisam*, *Donissam*, *Dinosam* alii, vitiose.

121—123. Idomeneus in Cretam redux factus (vid. Odyss. γ, 191. 192.) iterum a suis fuit exactus, tandemque, vt inf. v. 400 videbimus, in agro Sallentino extremae Italiae consedit. Res et caussa varie in Νόστοις tradita esse videtur; siquidem diuersae narrationes sunt Seruii ad h. l. Strabonis X, pag. 480. Schol. Odyss. ν, 259. cf. inf. XI, 264. Alios vide ap. Meurs. Creta III, 4. *adstare* pleniore ore quam *stare*, *esse*. Neque vero sine consilio haec de Idomeneo sunt adiecta: nam alioqui Troianis Cretam adire vix tutum fuisset.

124. *Ortygia* vnum ex vetustis nominibus Deli. vid. Spanhem. ad Callim. et al. Caeterum discessum Aeneae ornatius exhibet Ouid. Met. XIII, 679 sqq., qui in caeteris Maronem ante oculos habet, et totum Aeneae cursum ex eo mutuatur. 125. *Naxon*, insulam, in qua vel ipse Bacchus, ex India redux, aliquando *est bacchatus*, h. e. egit chorum bacchicum, vel in qua insula, Baccho frequentari solita, Bacchica turba *bacchari* so-

Olearon, niueamque Paron, sparsasque per aequor
Cycladas, et crebris legimus freta concita terris.

126 *Olearon* Heins. secundum Medic. et vetustiores alios. *Olearum* fragm. Vatic. At alii *Oliaron*. Graece vtrumque scribitur Ὠλίαρος et Ὤλιαρος. v. Heins. et Pier. *Parum* aliquot Pier. cum fragm. Vatic. *Pharon* Medic. et al. 127 *freta concita* omnes fere libri, etiam fragm. Vatic., edd. item (cum Seruio et Donato) Grammatici ap. Heins., qui tamen praetulit *consita*, vt iam Dan. Heins. ediderat, laudatque pro ea lectione primum Moret. Ad Sporadas referendum id esse, facile patet. Sed, quid in illa tot tantisque auctoritatibus firmata lectione *concita* reprehendendum sit, non facile videas. Hoc porro video, esse eam doctiorem, quam *consita*, et ex maris natura in fretis. Denique non intelligo, quam poeticum hoc sit, tam accurate Cycladas et Sporadas distinguere, quod vix in geographicis libellis fieri solet. Suo iam tempore *consita* a multis lectum narrat Cerda, recte tamen inhaeret alteri, vel Paullini auctoritate, qui et ipse legerat ac probarat *concita*. *concita remis* aliquot Pier. *ventis* pr. Hamb. pro var. lect. Wall. a m. pr., sed *terris* a sec.

let, h. e. sacra Bacchica celebrare, in *iugis* insulae, inde et ipse locus dicitur poetis *bacchari*, passiua forma, βακχεύεσθαι, βακχευθῆναι. vt Georg. II, 487 *virginibus bacchata Lacaenis Taygeta*. Imitatur Claudian. XXXIII, 205 *vlulatibus Ide Bacchatur* et Valer. Fl. III, 20 *Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis*: loca iam aliis notata. Ducta autem forma e Tragicis. cf. Longin. 15, 6. *Donusam* insulam a colore marmoris *viridem* appellari Seruius monet, et Petronii 133 *viridem Thason* comparat Cerda. Malim simpl. siluosam vel herbosam intelligere, qua specie praeternauigantibus illa occurrere debuit. Et sic mox *niueam Paron*, a candidis marmoribus, quae in montium passim iugis longe conspici possunt; et ita *Cyclades* omnino *nitentes* et *fulgentes* Horatio III Carm. 28. 14. I, 14, 20. Adde inprimis Dionys. Perieg. 530. 127. *Crebris freta concita terris*, Sporadas esse volunt. Sufficit respici angusta maris inter insulas spatia, quae fluctus impediunt, quo minus explicari late possint; vt adeo illi tanto altius assur-

Nauticus exoritur vario certamine clamor;
Hortantur ſocii, Cretam proauosque petamus.
Proſequitur ſurgens a puppi ventus euntis,
Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.

128 *exagitur* Oudart. *vario hortamine*, cum hiatu, fuere, qui coniicerent iam ap. Pierium, et nuper firmare voluit vir doctus inter Danos, vt ex Noua Biblioth. Litt. et Artt. eleg. T. IV, P. I, p. 5, intelleximus. Verum *clamor nauticus* eſt illud ipſum *celeuſma* vel *hortamen*, neque adeo cum hortamine exoriri poteſt; ſequitur porro: *Hortantur ſocii*. Denique *vario certamine* bene ex poetici ſermonis more adiectum; certant inter ſe manuum opera, ſtudio, dum diſceſſum parant. *vario discrimine* Goth. tert. lapſu librarii, qui e ſupinis et ſtupidis prorſus fuit in illo codice. 129 *Cretan* pr. Moret. *Cretas* Hugen. 131 *Sed tandem* Medic. *allabitur* idem a m. pr. et Venetus. *illabitur* Zulich., ſed correctum. *labimur* ſec. Hamb.

gant: haec ſunt *freta concita* propter inſulas, *terris crebris*.

130. Eſt ventus ſecundus, ἔρος, Φέρων, ἵμενος Odyſſ. λ, 6. Iliad. α, 479. cf. Vrſin. Guell. Cerda. *ſurgens*, ſtans. v. h. l. Seru. Mox *Curetum orae*, ora, Creta. Varii de *Curetibus* et obſcuri mythi: incerta interpretatio. Satis eſt tenere, ſpectare eos ad antiquiſſimas Cretae origines, forte ad Phoenices incolas; fuiſſe auctores et interpretes ſacrorum, quae cum ſaltatione celebrabantur; et narratas de iis fabulas circa Iouis natales: dictos eosdem Dactylos Idaeos. Traductum hinc nomen ad ſimilia ſacra Magnae Matris Phrygum, quae cum furore ſacro peragebantur, et habitos Curetes, qui Corybantes dicti; hinc confuſas religiones Creticas, Phrygias, Samothracicas. Altera ex parte confuſi cum iis Curetes, Aetoliae populus; et argutati ſunt alii in etymologia. Haec colligas e loco claſſ. Strabonis X, pag. 723 ſqq. (472). *adlabimur* iam Seru. ait oſtendere, proſperam nauigationem fuiſſe; etſi malim ſimpliciter accipere: adnauigamus, accedimus, *antiquis oris*, vt ſolent poetae, de locis antiqua fama celebratis.

Ergo auidus muros optatae molior vrbis,
Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque adtollere tectis.
Iamque fere ſicco ſubductae litore puppes; 135
Connubiis aruisque nouis operata iuuentus;
Iura domosque dabam: ſubito quum tabida membris,

132 *aptare* librarii lapſu ex *optate* Wall., vnde Burm. notauerat virum doctum, qui hinc mallet: *aptare emolior vrbis*. Eum coniectorem ſe fuiſſe, Burm. Sec. profitetur ad Anthol. Lat. Poet. p. 467. Simili lapſu ſup. 109 *aptauit* pro *optauit locum regno*. 133 *Pergameonque* ed. Ven. *et* reuocauit Heinſ., omiſſum in aliis. Diſtinxere olim alii: *P. voco laetam c. gentem. H.* 135 *ſ. l. claſſes* Hamb. pr. 136 Poterat ſcribi, ſaltem pronuntiandum eſt *ConnubIs. armisque* Ven. 137 *dabant* Zulich.

132—134. Locum deſignat nouae vrbi, Pergamo dictae. cf. Exc. I, vbi de acceſſu ad Cretam. *gentem*, ſocios a Troia profectos, *laetam cognomine*, nomine vrbis a priſtina ſua patria petito, *hortor amare focos*, domicilium ſibi parare et priuata tecta; ſed maior vis ineſt τῷ *amare*, quod bene Burm. explicat, libenter incolere, vt ſedem perpetuam futuram. *arcemque attollere tectis*, acropolim condere: more antiquarum vrbium. Proprie *attolli* de aedificiis in altum eductis. cf. ſup. II, 185. Attolluntur *tecta arcis*, et tandem *arx ipſa tectis*.

135—137. *puppes*. Cum a parte ſua declarandae eſſent naues, proprie *puppis* dicta, ſubductarum *in ſiccum* nauium; prora ſpectante in altum. *operata* non ad rem ſacram eſt trahendum; ſed ſimpl. operam dare. vt ad Tibull. notatum: II, 1, 65 et II, 3, 36. *iura domosque dabam*. domos h. e. locum domiciliis ſtatuendis, agrosque aſſignabam; et dabam *iura* h. leges et inſtituta, vtpote in noua ciuitate, condebam. Argutum nimis eſſet, ad ius publicum priuatumque referre. Aliter *iura* I, 426.

137—142. Ornati verſus, inprimis v. 140, qui tamen

Conrupto coeli tractu, miſerandaque venit
Arboribusque ſatisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant
Corpora; tum ſterilis exurere Sirius agros;
Arebant herbae, et victum ſeges aegra negabat.
Rurſus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenſo

138 *Corrupta* Rottend. a m. pr. *tactu* Hamb. pr. a m. pr. *tracta* Mentel. tert. 140 *et l. annus Linquebat d. a.* aliquot codd. ap. Pier. 141 *dum* Parrhaſ. in marg. *ſerius* Menag. *exuere* Wall. 142 *Ardebant* tres Burm. cum fragm. Vatic. *ſeges ipſa* alter Goth., ex lapſu librarii. *negabant* Gud. et Mentel. a pr. m., quod placebat Heinſio. *negare* fragm. Vatic. a pr. m. 143 *Oraculum* plene in multis codd. et edd. *reuiſo* Puget., ſed v. ſup. II, 181.

ex Lucretio V, 987 et Ennio (v. Column. ad eius fragm. p. 53) eſt adumbratus. Porro totum locum ante oculos habuit Statius Theb. I, 632 ſqq. *Venit* (quod fere de malis calamitatibusque ingruentibus ponitur) *membris arboribusque ſatisque lues* (quod eleganter, vt mox *ſeges aegra*, ab aeris miasmate, ad arbores ſegetesque tetro ſolis aeſtu exuſtas tractum). *Corrupto coeli tractu*, aeris plaga, regione, vt alibi, h. e. aere. Alia Burmanni eſt interpretatio, vt *tractus*, ductus, hauſtus aeris ſit. Laudat egregie ad rem Lucret. VI, 1126. Lucan. VII, 412. Docta et arguta interpretatio; ſed priorem illam vulgarem offert res et iunctura: *arboribusque ſatisque lues* non venit *hauſtu* aeris, ſed aeris *corruptela*, v. c. ex humido calore. — 140 *anima* dicitur *relinquere nos*, et *nos animam*; vtrumque recte. v. Burm. Sed exquiſitius hoc, adeoque poeticae dictioni adcommodatius. Canicula autem et h. l. pro aeſtu coeli, qui cum eius ortu ingruit (cf. Serv. et v. ſup. ad Georg. IV, 425), et hic pro peſtilentiae cauſſa; quod toties apud veteres occurrit. cf. Apollon. II, 519.

143—147. Forma eſt ſimilis Iliad. α, 62 ſq. *veniam precari*, placare deum, cf. ad I, 519, vt ille vere edicat, *quam finem feſſis rebus*, ca-

Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam ſeſſis finem rebus ferat; vnde laborum
Tentare auxilium iubeat; quo vertere curſus.
Nox erat, et terris animalia ſomnus habebat.
Effigies ſacrae diuom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus vrbis
Extuleram, viſi ante oculos adſtare iacentis
Inſomnis, multo manifeſti lumine, qua ſe
Plena per inſertas fundebat luna feneſtras;

145 *Quam finem* Heinſ. e Grammaticis et codd. poſt Pierium reſtituit. Adde fragm. Vatic. alii *quem*. *quem finem ſeſſis* tres Burm. 146 *temptari* Leid. vn. et Oudart. (ſcilicet ſcribitur fere *temptare*) *auxiliumque iubet* alter Hamb. 147 *in terris* pr. Hamb. a m. ſec. *et ſomnus t. a. h.* Doruill. 149 *ab T.* Parrhaſ. in marg. et fragm. Vatic. *que* abeſt a Moret. ſec. Porro Burm. coni. *vrbe Extuleram*. 150 *iacentes* Menag. et Witt., ſed *oculi iacentes* argutius quid habent quam pro carminis epici dignitate. *iacenti* Graeu. et Leid. eleganter, iam Burmanno iudice. Nec tamen deterius eſt *iacentis*, ſc. Aeneae. 151 *In ſomnis* paſſim editum: eſt hoc exquiſite pro in ſomno, per ſomnum. Hactenus bene. Sed, ſi viſi adſtare Penates *multo manifeſti lumine* et quidem *lunae*, quae per feneſtras ſe immittebat, non ſomnium eſſe hoc potuit. Et inf. 173 *Nec ſopor illud erat* etc. Quod ſi hoc forte aliter expediri poſſet: tamen prius illud neceſſario requirere videtur *Inſomnis*, quod alii habent, vt vigilanti ſpecies deorum fuerit exhibita. Dubitationem recte mouit etiam Trappius; datam ſolutionem vix probes. *inſomnes* pr. Rottend. *manifeſto lumine* aliquot ap. Heinſ. ſollenni aberratione. *manifeſte* Leid. 152 *incertas* Menag. pr.

lamitatibus, *ferat*, oraculo monſtret, *vnde iubeat tentare auxilium laborum*, qua ex re petere remedium malorum, ſcilicet peſtilentiae.

147 — 171. Viſo nocturno a Penatibus edocetur Aeneas, non Cretam, ſed Italiam ſatis ipſi eſſe deſtinatam ſedem. De viſo hoc et Penatium forma v. Excurſ. IX ad Aen. II, 293. Sunt *diui* iidem qui Penates, et declaratiue dictum: *Penates* et *effigies ſacrae diuum*. 152. *inſertas feneſtras* ſimpl. dictum ac-

Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit; et tua nos en vltro ad limina mittit. 155
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;

153 Deesse hunc versum in multis exemplaribus, Seruiana monent. *Cum* Goth. sec. 154 *Quae t. d. Ortygiae* Sprot. *Quid tibi* Parrhas. in marg. *dilato* Hamb. sec. *est* abest a tribus Burm. 155 *Hinc* tert. Rottend. *en vltra* Hugen. *en tua nos vltro* Doruill. *nos vltroque* Puget. *lumina* Hamb. sec. 156 *incensaque tua* Wall.

cipe pro: senestras, quae sunt in pariete. cf. Burm. Multa hic Guell. Cerda post Seru. perperam argutantur. Videri potest vocabulum nimis exile pro epica dignitate. Verum tenendum illud, senestras esse *aperturas* in pariete: non quae nos dicimus praetenta iis specularia. Sic II, 482. in foribus *lato dedit ore senestram*. Simili modo πύλαι de apertura, qua insertae sunt fores. Aliter Apollon. III, 822.

155. *tua ad limina*. atqui seruabantur iam in Aeneae domo? Scilicet de ipso cubiculo *limina* accipienda. 156 — 160. *Nos — Iidem tollemus* etc. *tua arma*, non proprie, sed imperium, ductum; et sic Seruius; melius, quam si turbam, quam ducebat, accipias; mox, *sub te*, h. e. te duce. *tollemus in astra* non ad Caesaris apotheosin, vt iam Seruius, mox alii, sed, quod docet adiectum: *Imperiumque vrbi dabimus*, ad summum potentiae fastigium refero; quod fere cum gloriae ac famae summo fastigio coniunctum esse solet, de quo proprie illa dicuntur. *moenia* refer ad Lauinium, ab Aenea conditum. Sup. II, 295 diserte iam dicta vidimus: Penates — *his moenia quaere, Magna pererrato statues quae denique ponto*. *magna* enim sunt, propter magnarum rerum seriem ex huius vrbis primordiis aptarum; si tamen, quia *Vrbi*, quod modo antecedit, ad Romam potius spectare videtur, etiam *moenia magna* de Roma acceperis, etsi haec Aeneas non condidit, potest tamen *parare* ea a poeta

Nos tumidum ſub te permenſi claſſibus aequor:
Idem venturos tollemus in aſtra nepotes,
Imperiumque vrbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae ſedes. Non haec tibi litora ſuaſit
Delius, aut Cretae iuſſit conſidere, Apollo.
Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebae;
Oenotri coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentem;
Hae nobis propriae ſedes; hinc Dardanus ortus,

157 *permiſſi* Sprot. a m. pr. *emenſi* Doruill. a m. pr. *permeſi* olim in multis, vt Seruiana monent, addito: *Hic verſus variaſſe dicitur;* quod ad iſtam ſcripturae varietatem refero. 158 *ad aſtra* Mentel. pr. et Seru. Fuld. ad I, 22 cum binis Goth. 160 *neu* Hamb. pr. *furorem* Wall. a m. pr. 161 *ſuadet* Sprot. pro var. lect. 162 *haud* aliquot Pieriani, Ven. et ed. pr. variatione ſollenni, quam et paullo ante vidimus. *in Creta* e Cledonio Heinſ. Porro *Crete, Creta, certe* librariorum aberrationes. *conſiſtere* Goth. pr. Hamb. pr. et ed. pr. perpetuo lapſu. *conſidere iuſſit* duo Heinſ. et aliquot Pier. 163—166 Iidem vſſ. ſup. I, 530—533. 165 *Oenotrii* Medic. et alii, male. v. ſup. I, 532. *tenuere* Wall. et Vratisl. perpetua mutatione. 166 *duxiſſe* fragm. Vatic. aliquot Pier. et Montalb. *gentes* duo ap. Burm. 167 *Haec* Menag.

dici, quatenus ea omnia exſequitur, quae condendam vrbem euentu antecedere fatale erat. *magnis* h. e. nepotibus, ad tantam imperii opumque magnitudinem perventuris; (niſi ducas a neutro, *magnis rebus, euentis*) nec, propter moleſtias, detrecta nauigationem ad vlteriora loca. Mox v. 162 *Cretae conſidere* pro in Creta, docte.

163—166. Iidem verſus intexti erant ſupra lib. I, 530—533, vbi vide.

167—171. *Hae nobis propriae ſedes.* Supra ad Apol-

Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et haec laetus longaeuo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terrasque requirat

pr. et Franc. *vobis* Franc. *hac vobis* Witt. *hae propriae nobis* Wall. *hic D.* tert. Mentel. a pr. m. 168 *vestrum* ed. Ven. Cum *Dardanus pater* potius commemorandus h. l. videatur, quam *Iasius pater*, cogitare possis leg. *Dardanus Iasiusque patres.* Sed potest poeta idem voluisse et altero loco neglexisse: *Dardanus* pater *Iasiusque pater.* Omnino si semel manifestum sit aliquo in loco, poetam noluisse accurate loqui, in singulis haerendum non est. 169 *haec* abest a Witt. 170 *dubitata* Zulich. *Corythum* scriptionem e libris et ratione grammatica restituit Heins. Est enim Κόρυθος. Vulgo *Coritum*, et librariorum ludibria: *Choritum, Chorythum, Corintum.* v. Burm. h. l. et ad Rutil. Itin. I, 600. *requirat* Heins. cum melioribus, etiam fragm. Vatic. v. Bened. Vulgo alii *require.* Nonnulli *requiras.*

linem v. 85 *Da propriam, Thymbraee, domum.* De Dardani origine ex Italia v. Excurs. VI ad h. l. *Iasius pater*, si de Dardani patre accipias, habet tum *a quo* expeditam interpretationem. Sed e Seruio, qui e vetustioribus fabulas seruauit, adparet, sequutos esse Italos hac in re Graecos mythos, qui Iasium Dardani fratrem tradidere, cum quo is in Samothraciam abiit, vt adeo *pater* posteritatis respectu dictus sit. Nam, si *multum aetate prouectum* ita designari cum Holdswortho statuas, vix probe feceris. Igitur cum *a quo* necessario ad *Dardanum* referendum sit, sic locum expono, vt dictum sit pro: *a quibus*, seu: *Dardanus, cum Iasio, a quo Dardano* etc. *princeps* h. l. auctor stirpis vel generis. *Corythum* de ipso rege ac conditore Cortonae accipit Cluuer. Ital. ant. p. 592. Scilicet dictus conditor pro ipsa vrbe, et h. l. pro tota Italia, saltem Etruria ac finitimo Latio: vt ap. Rutilium *Corythi populos* Tyrrheniae malim exponere, et inf. IX, 10 *extremas Corythi penetrauit ad vrbes. Dictaea arua.* IV Georg. 152. *Dictaeo regem coeli pauere sub antro.*

Ausonias. Dictaea negat tibi Iuppiter arua.
Talibus adtonitus visis, ac voce deorum,
(Nec sopor illud erat; sed coram adgnoscere vultus,
Velatasque comas, praesentiaque ora videbar.
Tum gelidus toto manabat corpore sudor.)
Conripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad coelum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Adgnouit prolem ambiguam, geminosque parentis;
Seque nouo veterum deceptum errore locorum.

172 *iussis* tres ap. Burm. *et voce* Medic. cum al. Heins. et Pier. 174 *Vittatasque* Wall. ex interpr. 175 *pectore* duo Burm. Parentheſin vix neceſſe ad huius verſus finem continuare. Poeta data opera ἀτάκτως loqui potuit tali in re; tumque verſus ſic decurrunt: *Talibus attonitus viſis ac voce deorum* (ſcil. factus ſum.) *Nec ſ. — manabat corpore ſudor.* 176 *e* deeſt aliquot Pierianis et Franc. *ex* Voſſ. *ex ſtructis* Doruill. cf. Burm. 178 *Praefecto* Franc. 179 *Anchiſem* multi. 180 Nonius forte *ancipitem*. ſed v. Heinſ. 181 *decepto* Rottend. tert. *errore e. parentum* aliquot Pier. *viarum* pr. Hamb., ſed v. Burm.

172—189. Aeneas expergefactus viſum religioſe expiat, mox patri exponit, qui, antiquae famae recordatus, reſponſo parere iubet. Ita Creta discedit. 174. *Velatae comae.* Erat adeo Penatium caput vitta redimitum. cf. Excurſ. IX ad II, 295. et Pompon. Sab. ad h. l. 175. Ad Ennii ductum apud Macrob. VI, 1. 177. *munera intemerata*, vinum purum, pure, rite libatum. quod *munus*, mox *honos*.

180. 181. Agnouit duplicem Troianorum ortum ac ſtirpem: alteram a Dardano, alteram ductam a Teucro; adeoque *ambigua proles* ipſi ſunt Troiani, qui et Dardani et Teucri (et hi ſunt *gemini*

Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto, haec generi portendere debita nostro;
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare. 185
Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moueret?
Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.

182 *Italicis* Sprot. *flammis* Goth. tert. a m. pr. *factis* fragm. Vatic. 183 *casus tales* duo Burm. *canebas* pr. Hamb. *monebat* sec. Moret. *tenebat* Goth. pr. In Witt. hic versus post sequentem legebatur; perperam. 184 *Nam* Exc. Burm. 185 *vocauit* Hugen. 186 *Italiae* Montalb. *ab H. v. litore* Ven. ex interpolat. 187 *vt quem* nonnulli. *quem tu* alii. *quem etiam* Wall. *moneret* multi ap. Pier. et Burm. *moueres* pr. Hamb. a m. sec. 188 *Credamus* Ven. *moniti et* Montalb. *maiora f.* alter Hamb. Comparatur Il. α, 216. sententia duntaxat.

parentes) genus erant. Agnovit porro Anchises in interpretando Apollinis Delii oraculo, cum *antiqua mater* et *prima tellus* esset exquirenda, *se deceptum* esse *nouo errore veterum locorum*, h. e. errore circa loca vetera interpretanda; quod duas terras, a quibus stirpis Troianae auctores olim originem traxisse vetus fama erat, nunc non distinxerat, sed alterius aduentus, Dardani scilicet, ex Italia immemor, in altera terra, vnde Teucer venit, tantum haeserat. Igitur *vetera loca*, terrae vetere aliqua fama celebratae, tamquam eae, vnde Troiani originem haberent; et *nouus error*, quatenus a se nunc, adeoque seriore aeuo, erratum est circa haec loca interpretanda: etsi *nouus* solito more post *vetus* ornatus caussa adiectum. Satis expeditus videtur locus, vexatus a Seruio aliisque. cf. Exc. VI ad h. lib.

183—188. Cassandrae vaticiniis nunquam creditis egregie vtitur poeta. cf. de iis inf. X, 67. 68. Disquis. II s. VI. *tales casus*, hanc nostri generis fortunam, vt ad

Sic ait: et cuncti dicto paremus ouantes.
Hanc quoque deſerimus ſedem, paucisque relictis
Vela damus, vaſtumque caua trabe currimus aequor.
Poſtquam altum tenuere rates, nec iam amplius vllae
Adparent terrae, coelum vndique et vndique pontus:
Tum mihi caeruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit vnda tenebris.

189 *dicto* Heinſ. e melioribus, et tamquam concinnius. Eſt ſcilicet alterum *dictis* proſaicum. *dictis cuncti* multi. Verſus 192—195 videbis inf. V, 8—11, ſed partim variatos. 193 *vlla apparet tellus* codd. et edd. ap. Macrob. V Sat. 3, ſed v. Heinſ. 194 *inſtitit* Hugen., vt ingruit, ἐνέπεσεν.

Heſperiam, vnde Dardanus generis auctor erat oriundus, nobis ſit reuertendum. 184. 185. Nunc bene *repeto* memoria, eam *portendere*, praedicere, hoc eſſe *debitum*, fato, *generi* noſtro, et eam multum memorare Heſperiam et nouum regnum in Italia. De ignorata Heſperia cf. Excurſ. XV ad II, 781 et Disquiſ. II, l. c.

190. *paucis relictis* recte. Nam vrbs Cretae fuit, Pergamum. 191. Ἡ δ' ἔθεεν κατὰ κῦμα aliquoties Homerus. v. ad Iliad. α, 483.

192—195. Homius P. III, c. 21 in his tautologiam ineſſe arbitratur. Videtur vir ſagaciſſimus parum probare, quae pleniore copia a poeta elaborata ſunt. Sane haec: *et inhorruit vnda tenebris*, de mari nigreſcente, et illa: *Noctem hiememque ferens* h. e. tenebris coelum obducens, coniuncta ſunt; nec tamen ſunt eadem. Sed quis, niſi omni carminis ſuauitate ſublata, poetae neget hoc, vt rem primum ſimpliciter exponere, mox eandem ornatius, grauius, copioſius,

Continuo venti voluunt mare, magnaque ſurgunt
Aequora; diſperſi iactamur gurgite vaſto.
Inuoluere diem nimbi, et nox humida coelum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu, et caecis erramus in vndis.
Ipſe diem noctemque negat discernere coelo;
Nec meminiſſe viae media Palinurus in vnda.

196 *voluont* Gud. *voluent* pr. Moret., vel *agitant* ſec. Hamb. 197 *iactatur* Mentel. tert. a m. pr. *turbine* Exc. Burm. et alter Hamb. 198 *coelo* pr. Mentel. a m. pr. et alter Hamb. nimirum *diem abstulit.* 199 *abrupti n. ignes* Moret. ſec. et ſic Giphan. legit ſecundum Lucret. II, 40 et Lambin., ſed et alterum hoc, quod omnes libri cum fragm. Vatic. tuentur, bene dici ſolet, etiam poetae, *nubes, coelum, ruptum, abruptum, ſciſſum* fulmine. v. Drakenb. ad Sil. Ital. III, 196. *imbribus* Goth. ſec. 200 *caecisque* ſec. Hamb. *et ceſis* Wall. 201 *decernere* pr. Hamb. *discrimine* Sprot. 202 *viam* Medic. *mediis P. in vndis* ed. Ven.

declarare poſſit? modo illud teneas, fieri id non poſſe, niſi in notionibus ſeu orationis partibus eminentibus inter caetera. *inhorruit vnda tenebris.* Mare horret, exaſperatur, fluctibus motis: quatenus ii nigri ſunt, dicti ſunt *tenebrae.* Tempeſtatem autem ortam puto cum flexu circa Peloponneſi promontoria; exemplo Homeri in Vlyſſe Odyſſ. ι, 80; nam ibi mare vndoſum, aeſtus et procella, ex Aegaeo Ionium mare petentibus etiamnunc ſollicitudinem faciunt. *caeruleus,* niger, *ſupra caput adſtitit imber,* ex Hom. Od. μ, 405 ſq. item ξ, 301 ſqq. explicandum, vnde totus locus hic et inf. V, 8 ſqq. expreſſus, Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων Νηὸς ὑπὲρ κεφαλῆς. Etiam alias κατ' ἄκρης, *a vertice,* ἐνέπεσεν ἄελλα, vel τὸ κῦμα. v. ſup. ad I, 114. Profecit quoque ex Homero Apollon. IV, 1694. Mox *magna aequora,* grande voc. h. e. magni fluctus. et *gurges* de mari ſup. I, 118.

198—202. *Inuoluere diem nimbi.* Procellae adſpectum coeli, lucemque ac ſolem,

Tris adeo incertos caeca caligine ſoles
Erramus pelago; totidem ſine ſidere noctes.
Quarto terra die primum ſe adtollere tandem
Viſa, aperire procul montis, ac voluere ſumum.
Vela cadunt; remis inſurgimus; haud mora, nautae
Adnixi torquent ſpumas, et caerula verrunt.

203 *Tris* codd. et grammatici ap. Heinſ. *treis* Schol. Horat, Vulgo *tres*. *caeca in caligine* Ven. et Parrhaſ. *caeca incertos c.* aliquot Pier. *caeca* redit poſt *caecis* v. 200 et *vnda* poſt *vndis*. 204 *Erramus vento* Parrhaſ. *et totidem* Hugen. *totidem et* Montalb. vtrumque etiam in Pierii codd. occurrebat; recte ſublatum. Porro Seruiana ad h. v. *Hinc Pelopis gentes Maleaeque ſonantia ſaxa Circumſtant, pariterque vndae terraeque minantur. Pulſamur ſaeuis et circumſiſtimur vndis.* Hi verſus circumducti inventi dicuntur, et extra paginam in mundo (h. e. margini alliti; ab indocto vtique interpolatore.) *Circumductos* verſus Burm. ex Suet. Aug. 88 interpretatur. 205 *primo* tert. Mentel. 206 *vellere f.* Hugen. *ducere f.* Medic. Pierii. *ſummum* Zulich. pro var. lect. 207 *remisque* Hugen. *inſurgunt* ſec. Moret. et Parrhaſ. cf. Burm. 208 *obnixi* Nonius, ſed v. Heinſ. *adniſi* Ven. Verſus denuo occurrit IV, 583.

eripiunt. *nox humida*, tenebrae ex pluuia. cf. ſup. I, 88. 89. Fulmina *ingeminant ſe abruptis nubibus*. Fulmine *nubes, coelum, rumpi, abrumpi, ſcindi, findi*, dicitur. Alias ipſum *fulmen rumpit* ſc. ſe, erumpit. Haec ſemel tenenda in poetis. v. Lect. Var. et cf. ſup. Georg. III, 259. *caecis in vndis*, ignoto in mari, incerto. *meminiſſe*, pro noſcere, tenere curſum nauis.

203. *incertos ſoles, dies*, propter iter incertum. Servius: obſcuros, vt Aen. VI, 270 *incerta luna:* quod melius, adiuncto: *caeca caligine*. Ante oculos autem locus Odyſſ. ε, 388 ſqq. cf. ι, 74 ſq. et multo magis Apollon. IV, 1694 ſqq.

205—208. Pulcri verſus ad ſenſus veritatem in proſpectu terrae ex alto. Terra *aperit* montes, dum in conſpectum eos admouet, ex

Seruatum ex vndis Strophadum me litora primum
Adcipiunt, Strophades Graio ſtant nomine dictae,
Inſulae Ionio in magno: quas dira Celaeno,
Harpyiaeque colunt aliae, Phineïa poſtquam
Clauſa domus, menſasque metu liquere priores.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſaeuior vlla
Peſtis et ira deum Stygiis ſeſe extulit vndis.

209 *prima* Medic. et Gud. 210 *Excipiunt* iidem cum fragm. Vatic. et multis aliis, et ſic etiam Pierii aliquot. Sed *accipere* poetae ſollenne. *ſtant Graio* pr. Hamb. *ſtant de* Franc. 211 *I. in magno Ionio* pr. Hamb. *in* deeſt Zulich. a m. pr. nec alibi: quod miror; nam melius abeſſe *in* videtur. Caeterum non video, quomodo viri docti, qui hiatus in Marone admittere nolunt, huic loco occurrere velint, cum manifeſtum ſit, poetam aeque bene *Inſulae in Ionio* ſcribere potuiſſe. Verum, quod negari nequit, Virgilius graecismum et doctrinae auctoritatem etiam in his hiatibus affectauit. Idem ſtudium elucet in ſyllaba tono producenda, etiam vbi alia ſatis commoda oratio et verborum iunctura ſuppetebat; eum ſpectaſſe ſcilicet arbitror partim hoc, vt oratio grauitatem haberet, etiam duriore iunctura, partim vt exquiſitiorem rationem inferret exemplo Graecae orationis. 212 Φινήϊα. *Pheneïa* duo Burm. *Phyneïa* fragm. Vatic. 214 *Triſtior haud illis monſtris* Witt. *aut* Medic. et ed. Iunt. *illo* Schol. Iuuen. IX, 38. *haud ſaeuior* Ven. 215 *a ſtygiis* tert. Rottend.

quo ipſa viſa eſt. *voluere ſumum* incenſis paſſim ignibus in littoralibus habitationibus: vt fieri ſolet. Nam de nebulis ſe attollentibus accipere velle, eſſet phyſici, non eius, qui poetam interpretatur. cf. Odyſſ. *ν*, 99 et al. *Vela cadunt*, demittuntur, vt, tamquam in locis vadoſis, remis ad terram agatur nauis. *remis inſurgimus*, dum eleuatur corpus magnum ad niſum. exquiſitius quam innitimur, incumbimus. cf. inf. 560. V, 189. Graecis ἐμβαλεῖν τοῖς κώπαις ſc. τὰς χεῖρας. *ſpumas, caerula*, pro mari. Adumbrati verſus ex Ennii Annal. XIV. v. Fragm. Enn. p. 103. 104.

210—215. *Strophades* inſulae duae in mari Ionio, ex aduerſo Peloponneſi ante Za-

Virginei volucrum voltus, foediſſima ventris
Proluuies, vncaeque manus, et pallida ſemper
Ora fame.

Huc vbi delati portus intrauimus: ecce
Laeta boum paſſim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo cuſtode, per herbas.
Inruimus ferro, et diuos ipſumque vocamus

216 *vultus volucrum* pr. Hamb. 220 *Lecta* Goth. tert. *paſſis* idem. *in campis* Goth. ſec. 221 *caprigenumque genus* alter Hamb. et ſic Cod. Thuan. Macrobii VI Sat. 5. *per herbas* ex optimis et plurimis reuocauit Heinſ. adde Pierium. Vulgo *per herbam.* 222 *et* abeſt a binis Burm.

cynthum ſitae; olim *Plotae* dictae. Sed, propulſis ex Phinei domo ad eas vsque inſulas Harpyiis, Boreae filii ὑπέτρεφον ἔψ ἐπὶ νῆα, vnde Στροφάδες dici coeperunt. vid. Apollon. II, 285. 296 ſq. Apollod. I, 9, 21 et Notas p. 190 ſqq. Quid autem poetam ad eas deduxerit, quaeſitum videbis Excurſ. I ad h. lib., vbi de acceſſu ad Zacynthum. Mox in *magno* non argutandum. Dictum vt omnino *mare magnum, terra magna.* 213. *clauſa domus* h. e. ex domo Phinei expulſae a Zetho et Calai. 215. *ira deum* h. l. res, quae ab ira deum venit, a diis iratis immittitur.

216. 7. 218. De Harpyiis earumque facie in anaglyphis et in gemmis obuia v. Exc. VII. *ventris proluuies* ſic ſatis honeſte pro ſordibus effuſis. *vncae manus,* vngues, vt Seruius; γαμψώνυχες enim Harpyiae. inf. 233 *pedibus vncis.*

219 ſq. Habuit poeta ante oculos episodium Odyſſ. μ, 262 ſqq., qui locus conferendus, de armentis in inſula Solis. *laeta armenta,* pinguia iam Seru. expoſuit; puto, adſpectu laeta, καλά; vt *ſeges* et alia. *caprigenumque pecus* ex Pacuuio et Attio ductum, (v. Vrſin. ad h. l.,) pro capris. *nullo cuſtode,* ſcil. erant armenta conſecrata alicui numini, ἀνειμένα, ἀφιερωμένα, h. l. Harpyiis: vt apud Homerum Soli. Vnde Harpyiarum ira inf. 247.

In partem praedamque Iouem. Tum litore curuo
Exſtruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At ſubitae horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyiae, et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant
Inmundo; tum vox tetrum dira inter odorem.
Rurſum in ſeceſſu longo ſub rupe cauata,
Arboribus clauſi circum atque horrentibus vmbris,
Inſtruimus menſas, arisque reponimus ignem.
Rurſum ex diuerſo coeli caecisque latebris

223 Reſtituit ordinem verborum ex libris Heinſ. poſt Pier. Vulgo *In praedam partemque.* mox *tunc* vulgo alii. 224 *que* abeſt ab ed. Iunt. poſt *dapibus.* 225 *Et* Voſſ. *Ac* Witt. *ſubito* vulgo ante Heinſ., qui meliores ſequutus eſt. *horrifero* Sprot. *de montibus altis* Goth. ſec. 226 *plangoribus* aliquot Pier. *allas* et in marg. *halas* Parrhaſ. *aures* (f. auras) Gud. et Puget. Servius haec habet ad h. v. „*Sed ſane hic verſus, qui circumductus eſt* (cf. ſup. ad v. 204), *talis auditur:* reſonant magnis ſtridoribus alae. 229 *rurſus in* aliquot Pier. *rurſus ſeceſſu* vn. Leid. 230 Idem fere verſus ſup. I, 371. vbi v. de epitheto, *horrentibus vmbris. clauſam* Medic. Gud. et Mentel. pr., ſed priores illi duo expuncta *m. clauſa* ſex ap. Heinſ. et Burm. et Goth. tert., quod ſane ferri poſſit. *clauſum* Franc. *clauſas* coni. Heinſ. et ſic Vratisl. omnia perperam. 231 *ignes* duo. *menſis arisque r. ignes* ſec. Hamb. *imponimus* Montalb. et ſec. Menag. 232 *coelo* Zulich. a m. pr. *tenebris* Leid.

223. *In partem vocamus* honeſtius quam, *participem facimus. In praedam vocamus,* parte carnium toſtarum religioſe diis appoſita: (cf. Cerda.) vt in epulis mos erat carnium tamquam ἀπαρχὰς diis conſecrare. *toros,* ornat rem tenuem, ceſpitem. 225. *lapſu,* volatu, vt ſaepe, *adſunt,* aduolant. Mox *vox dira,* ſtridor.

231. *aris* ſimpl. focis; ſed alterum voc. grauius. argu-

Turba ſonans praedam pedibus circumuolat vncis;
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capeſſant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud ſecus ac iuſſi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enſis, et ſcuta latentia condunt.
Ergo, vbi delapſae ſonitum per curua dedere
Litora, dat ſignum ſpecula Miſenus ab alta
Aere cauo. Inuadunt ſocii, et noua proelia tentant,
Obſcenas pelagi ferro foedare volucres.

233 *dapibus* Goth. tert. a m. pr. *T. ſ. pedibus ſubito c.* aliquot ap. Pier. Iungenda *turba pedibus vncis, ſonans, c.* 234 *ſocii* tres Burm. cum Goth. tert. *capeſſunt* ſec. Hamb. *capeſcant* Franc. 236 *et i.* Witt. *faciant* tert. Rott. *rectosque* Montalb. *per herbas* Parrhaſ. cum aliquot Pierii. cf. ad v. 221. *per orbem* pr. Rottend. pro var. lect. 238 *dilapſae* Heinſ. cum melioribus libris maluerat. Sed recte ab eo discеſſit Burm.; nam ex alto delabuntur in menſas Troianorum, non in diuerſas partes. *dederunt* ſec. Hamb. 240 *coeptant* vn. Leid. 241 *ferro pelagi* Parrhaſ. *foedare* explicui, vulnerare: Et occurrit illud hoc ſenſu ſimpliciter dictum, nulla ratione etymologiae habita: et lib. II, 55 *ferro Argolicas foedare latebras;* vbi v. not. fatendum tamen h. l., vbi de foedis volucribus agitur, parum accommodatam videri vocem. Et erant alia ad manum: v. c. *temerare.* In lib. I, 527 erat *ferro populare.*

tatur Seru. cum al. 234. *Polluit* plus quam *contingit* devorando.

238—241. *Sonitum* clangorem alarum 228. *Miſenus* tubicen claſſis inf. VI, 164. 165. et Excurſ. VII ad e. l. *tentant noua praelia, foedare,* graece, vt foedent, caedant, vulnerent, *obſcenas,* foedas viſu olfactuque, *volucres pelagi;* ex alto enim aduolant. Seruius eo refert, quod Ponti et Terrae, ſeu, ſecundum alios, Neptuni proles habitae fuerint. Sed Ponti dicendae erant neptes ſecundum Heſiodum. cf. Apollod. I, 2. 6 et hoc ſequi poſſumus, nec impedit,

Sed neque vim plumis vllam, nec volnera tergo
Adcipiunt; celerique fuga ſub ſidera lapſae
Semeſam praedam et veſtigia foeda relinquunt.
Vna in praeceſſa conſedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro caede boum ſtratisque iuvencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias inſontis pellere regno?
Adcipite ergo, animis atque haec mea figite dicta;

242 *vulnere* alter Hamb. 243 *ſidere* duo pr. Moret. 244 *ſemeſſam* Parrhaſ. *ſemenſam* Gud., qui et *relinquont.* 246 *rumpitque* Heinſ. e ſuis. Vulgo *rupitque.* 247 *bella* pr. Hamb. v. Burm. *iam pro* Goth. tert. *caeſisque i* pr. Moret. 248 *bellumque* aliquot Pier. 249 Ordo verborum reuocatus eſt e ſcriptis et editis ab Heinſ. poſt Pierium. Vulgo alii *patrio inſontes Harpyias.* Nec refert quo ordine haec ſe excipiant, modo ne cum Heinſio *Harpyias* ad quaternas ſyllabas reuoces; eſt enim in Graecis et in Romanis poetis triſyllabum: quod monuit quoque adverſus Heinſ. Schrader. praef. Emendatt. p. 39 *Arpias inſontes* Wall. 250 Heinſ. diſtinxit poſt *ergo*, alii poſt *animis.* Nil refert. cf. Burm. *figite dextra* Medic. a pr. m.

quod *Stygiis vndis* v. 215 prouenisse dixerat. Est enim haec poetica forma, vbi de malae rei origine agitur.

245. Quem poeta in hoc sequutus sit, vt vnam Harpyiarum fatidicam induceret, non liquet. Tribui tamen iis potuit, quod interdum Furiis, quibus assimulantur v. 252, vt mala denuntient. *infelix vates* simpl. dira, sinistra. Seruius: nuntia infelicitatis, vt Iliad. α, 106 Μάντι κακῶν, *rumpit vocem* sup. II, 129. edit.

247. Ingenioſe ex eo, quod sup. 220 armenta mactauerant Troiani, petitur cum epularum foedatio, tamquam pro vindicta et poena, tum praedictio famis futurae.

250—252. Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ Φρεσὶ βάλλεο

Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis moenibus vrbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit; et in siluam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis

252 *ego* deest aliquot Burm. et Pierianis. 253 Post *vocatis* interpungunt codd. ap. Heins. et Burmannum, qui ita malit: *ventosque vocatis*. Sed cf. not. *petitis cursu* Franc. 254 *que* abest ab sec. Mentel. a m. pr. 257 *subigit* vn. Leid. *subiget* Voss. *assumere* nonnulli. *consumere* alter Hamburg. a m. sec. 258 *in siluas* aliquot Pier. Parrhas. et ed. Ven. *pinnis* Medic. Gud. et tert. Mentel. et Seru. ad v. 246.

σῇσι Iliad. α, 297 et alibi. Porro Apollinem, quae dicit, a Ioue habere, res nunc nota. cf. vel h. l. Cerdam et Burm. ad Seru. Verba ex Aeschyli fabula, Ἱερείᾳ inscripta, petita esse vult Macrob. V Sat. extr. Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός. et ταῦτα γὰρ πατὴρ Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα. *Furiarum ego maxima*, scilicet confusae tandem fuere Harpyiae cum Furiis. Ex his alia est natu maior et minor. v. c. Eurip. Iphig. in Taur. 963. cf. Excurs. VII ad h. l.

253—257. *ventis vocatis* doctius quam ventum secundum nacti. Scilicet *vocant* ventum nautae, dum velis excipiunt; vt apparet v. c. inf. V, 211. VIII, 707. 708. *datam*, fatis concessam, vt bene Seru., vel praedictam. Sic I, 382 *data fata sequutus*. 255. Sedes certas non inuenietis antequam mensas comederitis. Euentum res habuit lib. VII, 116. *nostrae iniuria caedis* dictum cum vi; assumenda enim animo vltio et poena huic iniuriae debita. De vaticinio v. Ex-

Deriguit; cecidere animi; nec iam amplius armis,
Sed votis precibusque iubent expoſcere pacem,
Siue deae, ſeu ſint dirae obſcenaeque volucres.
Et pater Anchiſes paſſis de litore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Di, prohibete minas! di, talem auertite caſum!
Et placidi ſeruate pios! Tum litore funem
Deripere, excuſſosque iubet laxare rudentis.

260 *Deriguit* Heinſ. e libris. Vulgo *Diriguit*. *non* Zulich. *iam* deletum in Parrhaſ. 262 *durae* Parrhaſ. 263 *Et* Heinſ. e codd. Alii vulgo *At*. *En* Sprot. a m. ſec. et Parrhaſ. *ſparſis* Zulich. 264 *que* abeſt a Leid. *indicit*, quod de votis factis accipio, praeclare e codd. et edd. Iunt. aliisque reuocauit Heinſ. Vulgo vitioſe *inducit*. 265 *Di, p. nefas — peſtem* pr. Hamb., vt iam ex nonnullis ſuis notarat Pierius, *talemque a.* Exc. Burm *aduertite* Montalb. 266 *Dii placidi* pr. Hamb. *placide* Gud. a m. pr. *ſ. viros* Goth. pr. 267 *Deripere* Heinſ. e melioribus et ratione grammatica. Vulgo *Diripere*, *extenſosque* Oudart. pro var. lect., ſcil. ex interpretatione. *laſſare* Ven. perpetuo errore.

curſ. VIII ad h. l. et Exc. II ad lib. VII.

260. 261. *Expoſcere pacem*, veniam, eorum, quae in Harpyias peccauerant, vt et apud Apollon. II, 252. 3. Boreadae verentur ne ἄτην committant depellendis Harpyiis, placare eas, ſiue deae ſint, ſeu monſtra, et quidem *votis precibusque*: non *armis*. De pace proprie dicta, quae et *armis* peti poteſt, hic agi non poteſt. Itaque ea forma orationis eſt, vt non quidem ellipſis ſit inſerenda, verum de inuerſa et immutata oratione ſit cogitandum. Principio poetae animo inſidebant haec verba: *nec iam armis, ſed votis precibusque eſſe agendum;* alterum hoc ſic extulit: *ſed votis precibusque deorum pacem eſſe expoſcendam*. Nam *pax* eſt propitia, propenſa, voluntas.

263 — 267. *Honores* vt modo v. 178 nunc, vt diis ſupplicet et vota faciat. *mi-*

Tendunt vela Noti: ferimur ſpumantibus vndis,
Qua curſum ventusque gubernatorque vocabant.
Iam medio adparet fluctu nemoroſa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua ſaxis.
Effugimus ſcopulos Ithacaę, Laertia regna,
Et terram altricem ſaeui exſecramur Vlixi.

268 *ferimur* Heinſ. e Gud. et quatuor aliis; accedit pars librorum Pierii et Goth. ſec. Vulgo *fugimus*. 269 *curſu* Hugen. *curſus* Goth. ſec. *vocabat* etiam hic multi codd. Pierii, Heinſii et Burm. 270 *Zacynthus* libri et grammatici ap. Pier. Heinſ. et Burm. *Zacyncthus*, *Iacynthus*, *Iacinthos*, *Iacintos* librariorum ludibria. Eſt Ζάκυνθος. 271 *Same*, *Samos*, *Samo* libri exhibent, ſed plures *Same*. Medic. *Samae*. v. Burm. *Nerytos* Medic. *Nericus* Franc., male. Nam Nericus erat in continente oppidum v. Odyſſ. ω, 376. 272 *Effugimus Ithacae ſcopulos* nonnulli ſcripti et editi ante Pierium. *Ithacae et L. r.* Medic. Pierii, et Witt. cum Goth. ſec. *Ithaci Lerceaque regna* Wall. 273 *vltricem* Goth. tert. *Vlixi* Heinſ. et h. l. e ſcriptis repoſuit. Vulgo *Vliſſis* vel *Vlixis*. *Vlixe* Gud. a m. pr. *Vlixes* Moret. a ſec. m. *Vlyxei* Medic. Pierii.

nas, malum ſiniſtro vaticinio denuntiatum. *et placidi ſervate pios*, ornatus in tenui, pro *ſeruate nos*. 266. Solvere *funem*, τὰ πρυμνήσια, vel τὰ πείσματα, vt in Orphic. 621. 622. at *rudentes excuſſi*, euoluti, antennarum ſunt, ad vela pandenda. Caeterum, quod iam ſup. 102. vidimus, nec hic, nec inf. 471, 2, ſine iudicio Anchiſae auctoritate res parari facit poeta. cf. Excurſ. XVII ad lib. II.

268. 269. Conf. Odyſſ. λ, 9, 10. *Tendunt vela Noti*: ἔπρησεν δ' ἄνεμος μέσον ἱστίον Odyſſ. β, 427 et al. 270—273. *Nemoroſa Zacynthus Dulichiumque Sameque*. Δουλίχιόντε Σάμη τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος Odyſſ. ι, 24. ἐν ὑλήεντι Ζακύνθῳ occurrit et alibi. At Σάμη lectum fuit etiam a Virgilio, contra atque Apollodorus volebat ap. Strab. X, p. 453 D. Sane communius nomen *Samos* etiam apud Homerum, quae

Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo. 275

274 *Leucaten vmbrosa* Sprot. *Leucatem* Oudart. 275 *formidandus* alter Menag.

deinceps Cephallenia. *Dulichium* est prope Cephalleniam, vnde etiamnunc *parva Cephallenia* vel *Teaki* appellatur. conf. *Wheeler* p. 35 sqq. *Neritos* Virgilio videri potuit diuersa ab Ithaca insula, vt Melae II, 7: et hoc malim; potest tamen etiam Neritos, qui Ithacae mons est, primo loco ad designandam Ithacam positus esse, quae mox diserte et ipsa memoratur. *scopulos Ithacae* Iliad. γ, 200. 201 Λαερτιάδης πολύμητις Ὀδυσσεύς, Ὃς τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης, κραναῆς περ ἐούσης. Ex eodem itaque loco fluxisse videntur *Laertia regna — Et terram altricem Vlyxi.*

274. 275. Leucates, ὁ Λευκάτης, nobile amantum saltu promontorium Leucadis, seu Leucadiae, olim peninsulae, postea insulae. *Hoc aperitur*, in conspectum venit (cf. inf. ad 411), *et Apollinis fanum.* Interpretes, a Seruio inde, quantum video, haec iunctim de vno loco, de Apollinis templo Leucatae imposito, accipiunt, quod sane Strabo lib. X, p. 452 B memorat. Verum habet ea res haud vnam difficultatem, quam interpretes sensisse non videntur: nam primum *parva vrbs* v. 276 nulla alia esse poterit quam *Leucas* in septentrione insulae sita, ita vero non bene conuenit narratio. Hunc Apollinem, hoc promontorium *in australi* parte petimus et vrbi succedimus in septentrionali latere sitae, aliquot dierum nauigatione interiecta. Porro sequitur locus de ludis Actiacis celebratis: an vero illi Leucade celebrati? Manifestum porro fit, poetam haec inseruisse in Augusti gratiam, a quo in victoriae Actiacae memoriam ludi Actiaci quinquennales instituti erant. cf. Dio LI pr. Actium igitur, non Leucas, commemorandum erat. Quocunque me vertam, quae hic sequuntur: *quod ad hoc fanum appulerint, vrbemque intrauerint, ludosque Actiacos celebrauerint;* meo qualicun-

Hunc petimus fessi, et paruae succedimus vrbi.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

276 *Successimus* Zulich. a m. pr.

que iudicio ad alterum promontorium ipsis sinus Ambracii faucibus praetextum ducunt: in hoc sinu Actium oppidum et portus tutus et fanum Apollinis Actiaci. v. Strabo lib. X, p. 451 D. VII, p. 325 A. Thucyd. lib. I, c. 29. Quod si, hoc posito, alia difficultas suboritur, quod Actium promontorium, intra sinum Ambracium situm, et intra exteriorem portum recedens, ex alto conspici et formidari nautis nequiit (v. descriptionem sinus Ambracii ab Anvillio factam *Mem. de l'Acad. des Inscr.* T. XXXII, p. 215): reputandum est: Troianos *littus legisse:* ita peruenisse ad promontorium Anactorium, quod os exterioris sinus est; hinc prospectus Actii promontorii habetur. Erit igitur oratio v. 274 et 275 *progressiua:* vt non copulentur, sed deinceps enumerentur *Et Leucatae — Et* (sc. vlterius progressis) *aperitur Apollo.* Fuit autem nobile templum Apollinis Actiaci, idque, vt nunc ex h. l. intelligitur, in loco edito, ex more templorum; et constat iam satis ea de re e loco Strabon. VII, p. 500 B (p. 325). Itaque bene Pompon. Sab. *Apollo, id est, pars illa saxea, in qua templum Apollinis erat.* De templo conf. Sueton. Octau. 96 extr. ibique Interpp. De Apollinis signo aliquo, quod in promontorio steterit, Spencium Polymet. Dialog. VIII, p. 33 haec accipere mireris. Nam nobilem Apollinis Actiaci statuam in templo isto fuisse necesse est ex communi more. *) Vrbis autem et templi vetustatem ad tempora Troiana reuocat poeta seu auctoritate seu commento suo.

*) *Apollinis Actiaci* signum in multis Augusti numis et in noto Antistii denario occurrit. Male olim fallente memoria in fine notae adieceram, Apollinis signum esse aliquando Constantinopolin auectum. Traditum illud est de asino cum asinario: de quo Sueton. Octau. 96. Hunc Cpolin auectum in hippodromo positum esse narrat cum aliis Theodorus Metochita Hist. Rom. p. 2. 4. et Anonym. de Antiqq. Cpol. n. 313.

Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Ioui, votisque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis. 280

278 *potimur* Puget. 279 *Lustramusque* ed. Ven. *Lustrámurque deo*: coni. Io. Schrader. sc. Apollini; vt *Ioui* e mala interpretatione prouenerit. *votis inc.* tert. Rottend. 280 *Acciaque* multi, etiam ap. Pier. *Acteaque* duo. *Acteiaque* Voss. *celebrantur* vn. Voss.

279. Antequam ludorum sollennia rite celebrari possint, expiatione et lustratione opus est. *Lustramur Iovi*, inuocato Ioue, cui sacrum piaculare offertur. Quaeritur tamen, cur Ioui, non Apollini? cui ludi ipsi instituti esse debuere. Varia commenta vides in Seruianis. Sed primum ad obseruandum in promtu est, sollenne fuisse priscis hominibus, vt in sacris cuicunque deorum factis Iouem in partes vocarent. Porro expiationes et lustrationes proprie ad Iouem referuntur, quippe vltorem et vindicem caedis omnisque piaculi, quod expiandum est. conf. Apollon. Rhod. IV, 699. 700 sq. Piaculum in Harpyias commissum potes cum Seruio sigillatim huc trahere. *votis incendimus aras*, forma Horatio quoque frequentata: vt I, 4, 7. docte, pro, vota in aris vel impositum thus et victimam; vti dona de victimis, de libatione et reliquis in sacris fieri solitis; Alii, *votis*, votorum persoluendorum caussa. Nam εἰς εὐχαριστίαν instituti ludi, vt bene Cerda obseruat, ideo subdit: *iuuat euasisse tot vrbes* etc.

280. Proprie ludi Actiaci celebrari dicendi erant. Sed exquisitius, quoniam locus hominum frequentia *celebrari* et ipse dicitur, *littus Actium* h. e. Actiacum, memorauit, et *ludos Iliacos* Troiano ritu habitos. Videntur autem iam antiquitus ludi ad Actium celebrati esse, quos poeta commode in rem suam vertit. E Callimacho, περὶ Ἀγώνων, Harpocration et Suidas τὰ Ἄκτια memorant; sed ea huc trahere vix ausim. Succesisse celeberrimi ludi Actiaci ab Augusto, vt diximus, in victoriae Ac-

Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii. Iuuat euasisse tot vrbis
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostis.
Interea magnum sol circumuoluitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat vndas.
Aere cauo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus aduersis figo, et rem carmine signo:
AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBVS ARMA.
Linquere tum portus iubeo, et considere transtris.

281 *lactente* Sprot. a pr. m. At v. Burm. 282 *Audaces socii* Puget. 282. 283 extant apud auctorem de progenie Augusti. 284 *circumuertitur* Zulich. 286 *Aere nouo* Sprot. *clypeo* Rottend. sec. 287 *auersis fingo* Ven. 289 *tum penitus* Goth.

tiacae memoriam institutis: de quibus v. Wernsdorf. Exc. IX ad Saleii Bassi Carm. in Pison. T. IV. p. 395.

281—283. *palaestras* pro ludis gymnicis dixit. *Oleo labente*, exquisite, quod dilabitur, diffluit, corpori illitum. *fugam tenuisse*, vt inf. 686 *cursum tenere*. Bene Seru. *feliciter nauigasse*.

284. Vid. Excurs. II *de annis Errorum Aeneae ad a.* 2. *Sol circumuoluitur m. annum*, εἰς vel κατὰ, sic vt annus absoluatur, peracto annuo solis cursu. *magnum annum*, simpl. ad ornatum, quoniam multos dies intra se continet; vt iam alias notatum. cf. sup. I, 269. Ad vanas argutias circa hanc vocem delabitur Catroeus, dum ad annum intercalarem lustri refert. *asperat*, exasperat, ἀγριοῖ, procellarum ira. Illustrant hoc Cerda et Burman.

286—288. De clipeis votiuis, cum titulo inscripto, inter donaria suspensis res nota. De Abante v. Excurs. IX ad h. l. *aduersis*, ornat; in templi aditu. *carmen*, de vno versu, tenere te non debet. *haec arma*, hunc clipeum consecrauit: Αἰνείας ἀπὸ τῶν Δαναῶν· vt in simili re saepe: v. c. apud Pausan. lib. I, 13, p. 31.

289—293. *portus* Portum Actiacum. v. ad v. 274. 275.

Certatim ſocii feriunt mare, et aequora verrunt.
Protenus aërias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque ſubimus
Chaonio, et celſam Buthroti adcedimus vrbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
Priamiden Helenum Graias regnare per vrbis,
Coniugio Aeacidae Pyrrhi ſceptrisque potitum:

ſec. *conſiſtere* duo Burm. perpetua variatione, ſed male h. l. 291 *aſcendimus* duo Burm. cum aliis, praue. *vrbes* Sprot. 292 *portusque ſ. Chaonio* Medic. a m. pr., mox correctrix manus adiecit *s*. Et ſane *portusque ſ. Chaonios et c.* multi codd. habent, vel contra metrum, et olim, vt vel ex Seruio patet, habuerunt. Hinc grammaticorum tricae, de quibus v. Pier. et Heinſ. Sed facile eſt ad intelligendum, primum librarii errore factum, vt communiore more *portusque ſubimus* ſcriberetur; hinc accommodarunt alterum. Burm. putabat ſcriptum primo fuiſſe *portumque ſ. Chaonium. Chaonia* Zulich. E Gothanis pr. et tert. veram lectionem agnoſcunt. 293 *Brutoti, Butroti, Bythroti, Bitroti, Biroti, Burrhoti,* et quot modis non peccatur! *accedimus* Heinſ. e melioribus poſt Pier. reuocauit. Vulgo *adſcendimus.* 294 *Hinc* ed. Mediol. 295 *Priamidenque* Wall. Verſus 294. 5. 7. recitantur ab auctore de progenie Auguſti. 296 *regnisque p.* Leid. vn. Si verſus 296. 7. abeſſent: maiorem videtur poeta mirationem moturus fuiſſe; etiam mox Andromache ſe inopinato obtuliſſet Aeneae. Verum has noſtrorum hominum artes adſpernatur Maro.

conſidere transtris. ſaepe Homer. ἐπὶ κληῖσι κάθιζον. Mox *feriunt mare,* vt toties τύπτειν ἅλα. *abscondimus* praeteruehimur Corcyram, eaque a tergo relicta, adnauigamus littori Epiri. Proprie dicendum erat: *inſula abſconditur nobis,* oculis noſtris. Dictum *abscondere* eodem modo vt ſup. v. 275 *aperitur.* cf. inf. ad 411. *aerias Phaeacum arces,* montes Corcyrae ὄρεα σκιόεντα Γαίης Φαιήκων Odyſſ. ε, 279. *portu Chaonio.* eſt portus Pelodes ad Buthrotum Epiri Chaonibus quondam habitatae.

296—305. Audito, Helenum has terras tenere, ad eum viſendum pergit Ae-

Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.
Obſtupui: miroque incenſum pectus amore,
Conpellare virum, et caſus cognoſcere tantos.
Progredior portu, claſſis et litora linquens. 300
Sollemnis tum forte dapes, et triſtia dona,
Ante vrbem in luco, falſi Simoentis ad vndam,
Libabat cineri Andromache, Manisque vocabat

298 *incenſum eſt p.* aliquot Pier. *incenſus pectus*, vt graecismus ſit, quatuor ap. Burm. *amore eſt* Parrhaſ. 299 *agnoſcere* Ven. 300 *Egredior portu et* Leid. *claſſes ac* Hamb. pr. *claſſemque et* Parrhaſ. *linquo* Hamburg. pr. a m. ſec. 301 Heinſ. *cum;* ante vulgo: *Sollemnes tum*, quod cum Brunckio reuocaui: eſt enim grauior ſic et minus impedita oratio; etſi Heinſio accedit fragm. Vatic. *dapis* Gud. a m. pr. 302 *Simeontis*, *Simoontis* aberrant. *vndas* duo ap. Burm. 303 *Andromachen* fragm. Vatic.

neas; incidit in Andromachen inferias Hectori ſuo ferentem; comperit ex ea fortunae caſus, quos illa ſubierat, et ex Heleno vate nauigationis ſuae ordinem vsque ad nouas ſedes in Italia obtinendas. De hoc Heleni et Andromaches occurſu in Epiro cf. Exc. X. Mirationem facit, Helenum Troianum Graecas vrbes tenere et regno ac coniuge Pyrrhi, qui Troiam euerterat, potitum eſſe. Eſt hoc Episodium inter feliciſſima et pulcerrima ad affectum et ad ornatum. Tragicum ſpiritum facile agnoſcas. Conuerte narrationem in drama; finge Andromachen inferias ferentem te videre, finge loquentem audire. Si perueneris ad illa: *aut ſi lux alma receſſit, Hector vbi eſt?* palpitare pectus in ſinu ſenties. *patrio marito*, eiusdem originis, ſc. Troianae. Erat Helenus frater Hectoris. In *ceſſiſſe* argutantur interpretes poſt Seru. Nil aliud eſt, quam matrimonio teneri, haberi, vel relinqui, venire in poteſtatem alterius viri. 298. *amorem* eſſe poetae cupiditatem et ſtudium, noli animo dimittere.

301—305. Ornati verſus. *Andromache inferias ferebat Manibus Hectoris. do-*

Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſſam lacrimis, ſacrauerat aras. 305
Vt me conſpexit venientem, et Troïa circum
Arma amens vidit: magnis exterrita monſtris
Deriguit viſu in medio; calor oſſa reliquit.
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius adfers, 310

304 *cumulum* alter Menag. 305 *geminans* Sprot. cum Goth. ſec. *cauſſa* Leid. vn. *cauſſas* Hamb. ſec. 306 *Troica* Hamb. pr. 307 *Arma timens* Hamb. ſec. *ext. rebus* Leid. a m. ſec. cf. Burm. 308 *Deriguit* e melioribus et h. l. Heinſ. adde fragm. Vatic. v. ſup. 260. Porro multi diſtinguunt poſt *Deriguit;* minus bene. *relinquit* duo Burm. cum Goth. tert. 310 *verum mihi* Medic. *adfert* Zulich. et Exc. Burm. ita lenior oratio foret, at minus docta.

na h. l. in re ſacra de libatione. *Simois* erat ſimulatus. cf. inf. 349 ſq. et 336, vt ſolebant coloniarum conditores patriorum locorum ac fluminum nomina transferre ad nouas ſedes. Hectori *tumulum viridi ceſpite inanem*, h. e. *cenotaphium*, exſtruxerat. *geminas aras*, ſiue vt Ecl. V, 66 *Ecce duas tibi Daphni*, ſiue vnam marito, alteram filio, Aſtyanacti. Vtramque cauſſam iam Seru. attulit. Ad poſteriorem referri poteſt, quod *cauſſam lacrimis*, adiectum eſt. Niſi ad religionem neſcio quam ſpectauit, quod duae arae poſitae ſunt in inferiis: vt modo in Daphnidis inferiis vidimus. In his illa effundit χοὰς inter lacrimas.

306—309. *Troïa arma*, viros Troianos. *monſtris*, adſpectu, qui ipſi monſtri et prodigii inſtar erat. 309. Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε — Ὀψὲ δὲ δὴ μιν ἔπεσσιν ἀμειβομένη προσέειπε Odyſſ. δ, 706.

310—313. Tune vere ades ipſe? *affersne te* (cf. inf. 346) *mihi* tamquam *vera facies* viri, cuius ſpeciem habes? tamquam *verus nuntius* tui? vt vere ille ſis, quem vultus nuntiat? *aut ſi lux alma*,

Nate dea? viuisne? aut, si lux alma receſſit,
Hector vbi eſt? dixit, lacrimasque effudit, et omnem
Inpleuit clamore locum. Vix pauca furenti
Subiicio, et raris turbatus vocibus hiſco.
Viuo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te caſus deiectam coniuge tanto

311 *an ſi lux* Goth. ſec. 312 *effundit* tres ap. Burm. 313 *Compleuit* Exc. Burm. 315 *omina* fragm. Vatic. 316 *Nec* duo Burm. *Ne dubites* alter Leid. *Ne d. ne vera vides* Gud. a m. pr. *vera fides* in ſex lectum videbis, ſed recentibus, ap. Heinſ. et Burm., quod Heinſio Marklandoque arridet. Enimuero de oculorum fide, viſuque adeo, hic agitur, non de narrationis et auditionis fide. Recte *vides* etiam fragm. Vatic. ſeruat.

vita, *receſſit*, et haec vmbra Aeneae eſt, quae mihi appareat, *Hector vbi eſt*, qui et ipſe inter vmbras verſatur, *dixit*, *lacrimas effudit* etc. In hoc Andromaches πάθει, piiſſimae in mariti memoriam feminae, quis non magnum poetam agnoſcat? conf. Excurſ. X.

313. 314. *furenti*, impatienter dolenti, vt bene Seru. Omnino *furere*, μαίνεσθαι, infinitis locis ſimpl. eſt commoto eſſe animo, quacunque de cauſſa. *Subiicio*, ὑποβάλλω, reſpondeo. *hiſco* exquiſitius quam *loquor*.

315—319. *extrema per omnia*, ad pericula et discrimina refer. 317. *deiectam*, δεινότερον quam priuatam, viduatam, Hectore. Nam *deiicimur* gradu, ſpe, honore omninoque magna aliqua re, quando ea priuamur. *quis caſus te excipit*, ad quam fortunae conditionem redacta es? Seruius eo refert, quod *excipiuntur* proprie, quae cadunt; recte quidem, ſed forte hic nimis ſubtiliter. *Excipiunt nos* ea, quae nobis alia poſt alia accidunt et eueniunt. *digna ſatis* l. te l. priore illa fortu-

Excipit? aut quae digna ſatis Fortuna reuiſit?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia ſeruas?
Deiecit voltum, et demiſſa voce locuta eſt:
O felix vna ante alias Priameïa virgo,
Hoſtilem ad tumulum Troiae ſub moenibus altis
Iuſſa mori, quae ſortitus non pertulit vllos,

318 *qua d.* Reg. *digna ſacris* Zulich. *remanſit* Wall. *F. fuiſſet* Goth. tert. a m. pr. 319 *Andromachae* Mentel. pr. *Andromachen* nonnulli iam ap. Pierium, et Leid. duo, pr. Hamb. et Exc. Burm. vt ſit: *quae digna ſatis Fortuna reuiſit Hectoris Andromachen? Pyrrhi* quatuor ap. Burm. et *Pirri* duo Goth. *Pyrrhi an c.* aliquot Pieriani. *ſeruat* Gud. a m. pr. Omnia deteriora. Vulgatam exhibet etiam fragm. Vatic. Dubito tamen an *n?* ab epico poeta ſit. 320 *dimiſſa* alii, vt ſolet. *ſubmiſſa* Exc. Burm. 321 *alios* Montalb.

na. cum illa videatur meliore, quam pro captiuae ſorte vti. 319. *connubia ſeruas*, accipio, vt Gr. φυλάσσειν, pro ἔχειν, de iis, quibus tenemur et obnoxii ſumus; pro, matrimonio iuncta es, haberis. Vtitur voce honeſtiore *connubii*, vere enim, tamquam captiua, corporis ſui vſum praebebat, pellicis vel concubinae loco. Verſus pulcerrimus habet tamen, quod offendat: Rogat Aeneas, an Pyrrho iuncta ſit Andromache. Atqui 296. iam audierat Heleno eam ceſſiſſe.

320 ſqq. Artem poetae iam Scaligero III Poet. 14 aliisque obſeruatam facile aſſequeris. Andromache, caſta et pudica femina, virique amantiſſima, non niſi per ambages reſpondet. Felicem praedicat Polyxenam, quae ad Achillis tumulum caeſa ſeruitutem morte anteuerterit. Haec praemittit iis quae de ſe captiua a victore in amplexus accepta narratura eſt. Ad ſequ. cf. Excurſum XI. Verſuum 321 ſqq. color ſimilis illi, qui erat lib. II, 785 *non ego M.* 323. Sortitio captiuarum in partitione praedae: obuia in Homero et in Tragicis. cf. Excurſ. XI ſub. f. In v. 324 *nec — tetigit captiua cubile*, potuit reſpicere Homericum illud λέχος ἀντιόωσαν Iliad.

Nec victoris heri tetigit captiua cubile!
Nos, patria incenſa, diuerſa per aequora vectae,
Stirpis Achilleae faſtus, iuuenemque ſuperbum,
Seruitio enixae, tulimus; Qui deinde, ſecutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque Hymenaeos,
Me famulo famulamque Heleno transmiſit habendam.
Aſt illum, ereptae magno inflammatus amore

325 *vecti* fragm. Vatic. 326 *faſtum* aliquot Pier., minus poetice. *fatus* alter Mentel. a m. pr., forte et Zulich., vnde Heinſ. coni. *flatus:* ſed v. Burm. 327 *enixe* tres Burm. et ſic Donatus interpretatus eſt; male. v. Heinſ. et Burm. et Pier. 328 *que* abeſt ab vno Leid. 329 *Me famulo famulamque* Heinſ. recepit; ita enim fere omnes Pieriani et Heinſiani omnes, cum Donato (adde fragm. Vatic.), excepto Hamb. pr., cui adde Goth. ſec. et tert., qui tuentur id, quod olim legebatur: *Me famulam famuloque.* Ingratum tamen vtrumque. Non male itaque Heinſ. coni. *Me famulo famulam Heleno;* vt hiatum imperiti librarii ferre noluerint; etſi hiatui intercedit Schrader. Emendatt. p. 138, nec tamen aliam medelam apponit. Ingratus eſt verſus, quocunque te vertas. Poterat tamen poeta refingere: *me famulo famulam dominus transmiſit habendam. Me famulamque famulo* ed. Mediol. *transmittit* Sprot. *conceſſit* pr. Hamb. *permiſit* Goth. tert. 330 *flammatus* Gud. et fragm. Vatic. cf. Burm.

α, 31, (h. e. κατὰ, πρὸς, λέχος) et ſimilia. Solet fortuna captiuarum plerumque a triſti hac neceſſitate deſignari.

325—327. Cf. Eurip. Androm. 109 ſq. *diuerſa aequora* longinqua v. ſup. v. 4. *enixae* de partu accipiendum, vt iam poſt Pompon. Sab. Cerda et Heinſ. docuere. Nam Andromache ſerua Neoptolemo filium Moloſſum pepererat, vt vel ex Euripidis Andromacha notum.

327. Is deinde Hermionem Helenae filiam Sparta coniugem adduxit, meque Heleno in coniugium dedit. Cf. Eurip. Androm. 1244 Γυναῖκα δ' αὖ. 330. Pyrrhum au-

Coniugis, et ſcelerum Furiis agitatus, Oreſtes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita ceſſit
Pars Heleno; qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui curſum venti, quae fata dedere?

331 *Furiis ſcelerum* Ven. 332 *Excipit incautum inſidiis* Seru. citat ad III Ecl. 18 cum interpretamento. Mox *que* deeſt binis Burm. 334 *Sors Heleno* Voſſ., haud dubie elegantius. cf. Burm. 335 *Ch. vrbem* pr. Hamburg. *a Troiano* tert. Rottend. *dixi* ſec. 336 *Pergameamque* Medic. Lectum ſcilicet olim fuit a nonnullis *Pergameam Iliacamque*, vt ex Seruio patet. Vnde autem lectio illa fuerit, Pomponius Sab. memoriae reliquit; *ſed Apronianus*, inquit, *Pergamiam legit;* is ſcilicet, e cuius recenſione Codicem Mediceum habemus. 337 Burm. in difficultates hic neſcio quas ſe induerat, et coni. vel *qui curſum huc venit* vel *quo curſum venti, quo f. d.* Potuiſſe enim Andromachen ſatis ſcire, qui venti ex Troade ferrent. Enimuero ſic argutari poſſis et in vulgari: *quomodo huc veniſti?* et in Odyſſ. α, 171 *πῶς ὅδ᾽*

tem Oreſtes, cui Hermione illa, Helenae filia, Ledaeque adeo neptis, iam olim promiſſa fuerat, interemit *patrias ad aras*, Delphis, ante aram patri Achilli, tamquam heroi, factam. De reliquis circa hos verſus v. Excurſ. XII.

333—336. *pars reddita* ſimpl. data. vt Seru. *pars* autem, reſpectu alterius partis Phthiae in Theſſalia. In v. 334. 335 poeta inſeruit argumento, vt Troianorum nomen per totum terrarum orbem clarum ac celebre habeatur, dum fabulam hanc de Chaonum nomine amplectitur. Chaones enim longe ante Chaonem Troianum (de quo Seruiana conſule) et Helenum fuerunt, ex antiquiſſima ſcilicet Pelasgorum ſtirpe. 336. *addidit*, impoſuit monti arcem Pergami nomine, tamquam in nouo Ilio.

337—343. Affectus haec muliebris plena et Andromaches ingenio conſentanea! De Aſcanio ſollicita eſt, ex tacita Aſtyanactis ſui memo-

Aut quisnam ignarum noſtris deus adpulit oris?
Quid puer Aſcanius; ſuperatne, et veſcitur aura?
Quem tibi iam Troia ****
Ecqua tamen puero eſt amiſſae cura parentis;

σε ναῦται Ἤγαγον εἰς Ἰθάκην etc.; Scilicet ſi vulgari ſermone vſa eſſet Andromache, quaeſiuiſſet illa ſic: *quo caſu ad has terras acceſſiſti?* Iam hoc poterat factum videri vel tempeſtate vel fato vel deorum numine. Et haec, vt vides, expreſſit poeta. 338 *Quisnam* Heinſ., vt fere omnes libri etiam Pieriani cum fragm. Vatic. Vulgo *quis te* ex gloſſa. *quis iam* ed. Ven. 339 *aut v.* Exc. Burm. *veſcitur auras* plerique codd. Pier., nec improbat Heinſ. Fuit etiam in Parrhaſ. a m. ſec. et in fragm. Vatic., vbi v. p. 174. cf. ad Tibull. II, 5, 63, et ſup. I, 546. 340 *Quae tibi* alter Menag. In melioribus, inter quos Medic. Gud. fragm. Vatic., verſus mancus eſt relictus; in aliis varie ſuppletus: *Quem tibi iam Troia peperit ſumante Creuſa. — obſeſſa eſt enixa Creuſa. — Troia eſt obſeſſa enixa Cr. — Troia natum ſumante reliqui;* inepte omnia. vid. Burm. poſt Pier. Ex vno Guelpherb. in Exc. Cort. notatum video *Troia — peperit florente Creuſa.* Scilicet Aſcanii aetas id poſtulare viſa erat. Dubito equidem, an ex Virgilii ſchedis hoc fragmentum ſeruatum ſit; haud dubie enim illud reſciſſuri fuiſſent Tucca et Varius. Probabilius mihi ſit, fuiſſe olim in margine ab aliquo verſificatore varia in h. l. tentata; vnde ſequens librarius expedire ſe non poſſet. Caeterum etiam hic locus docet, ex *vno* aliquo tranſcripto exemplo omnia fluxiſſe exemplaria Maronis. 341 *Et quae iam* ante Heinſ. legebatur. At meliores

ria. cf. inf. v. 489 ſq. *ſuperatne et veſcitur aura* ex antiquo ſermone. cf. ſup. I, 546. Sane interrogationem illam v. 341 de deſiderio amiſſae matris Creuſae per ſe non malam (cf. Eurip. Hecub. 992 εἰ τῆς τεκούσης τῆσδε μέμνηταί τί μ', adde Electr. 351) tamen hic forte abeſſe malis; vix enim Andromache Creuſae fatum reſciuiſſe aut poterat, aut poſt illa v. 310 ſq. 337 ſq. debebat. Manifeſte tamen poeta ponit, Creuſae fatum Andromachae iam aliunde innotuiſſe; et, cum de Aſcanio quaeratur, recto ordine procedit interrogatio primum de pietate in matris memoriam, tum de exemplo patris et aui, quam illud ad pueri animum vim habeat! *Parentem* de patria accipe-

Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis
Et pater Aeneas et auunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
Incassum fletus: quum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert,

Heinf. et Pier. cum Donato et Carisio: *Et qua tamen* vel *Ec quæ tamen;* hoc et fragm. Vatic. habet. Alii *Etque tamen, Et quae* vel *Ecquae tam, Quae tamen et p. Qua tamen et;* vt in talibus errari fere solet. *Ecquaenam* Goth. pr. *Ecquae* Pompon. Sab. interpretatur. *amissi parentis* apud Carisium. v. Pierium ad h. l. Probat hoc etiam Markland., sed v. Burm. *amissae est c.* etiam nonnulli. Equidem hunc versum dudum suspectum habui; et adhuc persuasum mihi habeo, e vetere quidem libro eum ad nos peruenisse, sed aliquando ad marginem aliena manu adscriptum adhaesisse, vna cum fragmento superioris versus, cuius reliqua pars oblitterata erat; Et, si bene auguror, a poeta tantum illa scripta erant: *Quid puer Ascanius. Ecquid in antiquam v.* Brunckius vtrumque versum a poeta temere in chartam coniectum fuisse existimabat, vt olim ab eo retractaretur. Vix tamen haec omnino poetae in animum venire potuere, cum aliena sint a re et loco. 342 *Et quid* multi, vt solent. 343 *auonculus* Gud., vt semper in similibus. 344 *multosque c.* Menag. pr. *iamnosque* alter Hamb., vnde Heinf. coni. *largosque.* 345 *In casum* Zulich. cum gloss: *Aeneae et Troianorum.* cf. Burm. 346 *Priamides Helenus multis* duo Burm. aliquotque Pieriani; quod simplicius, vt sup. v. 295. cf. Pier. *adfert* Heinf. e codd. suis omnibus. Vulgo *offert.* tres *effert.*

re, importunum. 342. 343 generosi versus! ex communi illa sententia, vt, qui magni viri filium se esse meminerit, plus ad virtutem incitamenti habeat. *in*, h. e. ad, *antiquam virtutem* int. maiorum. *auunculus Hector*, latius dictum pro consanguineo. cf. inf. XII, 439. Nam Ilus et Assaracus, a quo Hector et Aeneas genus ducebant, erant Trois filii. Notatu dignum, quod hic in Seruianis: *Quidam* auunculus *humiliter in heroico carmine dictum accipiunt.*

345 — 348. *a moenibus*, via ex vrbe. *se affert* v. sup. v. 310, inf. VIII, 477, vt *ferre se, inferre se, efferre se, offerre se.* cf. h. l. Heinf.

Adgnoſcitque ſuos, laetusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter ſingula fundit.
Procedo, et paruam Troiam, ſimulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine riuum
Adgnoſco, Scaeaeque amplector limina portae.
Nec non et Teucri ſocia ſimul vrbe fruuntur.
Illos porticibus rex adcipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Inpoſitis auro dapibus, paterasque tenebant.

347 *agnouitque* alter Hamb. *ad limina* Heinſ. cum maiore codd. parte. Sic et omnes Goth., niſi quod vnus *lumina*. Vulgo *ad moenia*, quod in paucis recent. ille repererat. 348 *lacrimans* aliquot Pier., aliquot Heinſ., et edd. vett. nonnullae; manifeſto ſed procliui lapſu. Nec aliter fuerat, puto, in Gudiano, qui lituram hic habebat, e qua Heinſ. tamen excitabat: *multum lacrimae* pro *lacrimarum* curioſe potius quam vere. Nam *multum* Homericum πολλὸν eſt, pro valde, admodum, et talia amare Virgilium ſatis conſtat. *lacrimis* Exc. Burm. Porro *fudit* plerique Pier. et aliquot Heinſ., tert. Goth., male; idem tamen Pompon. Sab. interpretatur. 349 *ad paruam* Sprot. *et patriam* Zulich. et Leid. a m. pr. *ſ. multis Perg.* Witt. a pr. m. 352 *feruntur* Ven. et alter Hamb. pro var. lect. 353. 354. 355 hos tres verſus ab aliena manu inſertos eſſe vidit Iac. Bryant, quia cum reliquis non bene cohaerent. Patrocinium eorum quomodo agi poſſit, vide in Notis. Erit tamen imputandum aliquid fortunae carminis, cui ſecunda poetae manus haud obtigit; vltimus vtique verſus friget. 353 *Illas* Montalb. 354 *in* deeſt optimis; ſed tuetur Heinſ. grammaticorum auctoritate. 355 *Impoſitisque* Witt. *tenebat* Ven.

ſuos, populares. Recte Seru. addit: *Et bene verba Heleno poſt Andromacham non dedit, ne frigeret; ſicut in libro V Aceſtae* (v. 41).

349—351. Cf. ſup. v. 302 et adde Excurſ. I de Error. Aen., vbi de acceſſu ad Epirum. Troiam alteram adſtare putaſſes. *ſimulata magnis*, aſſimulata. cf. inf. IV, 512. *amplector* ſc. vt exosculari ſolent poſtes in patriam reduces.

354. 355. Nec moratur in conuiuii deſcriptione poeta,

Iamque dies, alterque dies proceſſit: et aurae
Vela vocant; tumidoque inflatur carbaſus auſtro.
His vatem adgredior dictis, ac talia quaeſo:
Troiugena, interpres diuom, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae,

356 *praeceſſit* Leid. *inflatus* alter Menag. *que* abeſt a ſec. Rottend. 358 *Hic* odd. ante Pier. *et talia* Witt. 359 *qui n. diuum* Witt. a m. pr. 360 *Clarii et lauros* Medic. Pierii, Witt. Moret. ſec., quod praefero. *laurus* Medic. a m. pr. cum aliis antiquis, quod antiqui Grammatici defendunt; recepit itaque Heinſ., rurſus deſeruit Burmannus; forte caſu potius quam conſilio. 361 *Qui volucrum* Schol. Horat. ap. Heinſ. *omnia* nonnulli. *pinnae* Medic. Gud. et tert. Mentel.

nec plane intactum dimittit, ſed obiter intexit pauca, quae ad conuiuii magnificentiam declarandam valere poſſint: et quidem religioſam rem, libationem, et vaſorum πολυτέλειαν. Vltima tamen *paterasque tenebant* vereor ne ſrigeant, etiamſi ad ſacrum factum reuoces. Porticus autem puta aulam circumdediſſe.

356. 357. *aurae Vela vocant*, inuitat ventus ſecundus, vt vela expandantur. Male hypallagen aduocant. Variat haec oratio poetica: modo *vela*, aut *nautae* (vt ſup. 253) *vocant auras* vel *ventos*, modo *aurae vela* vel *nautas*; et inf. 454 ipſa nauigatio et *curſus vocat vela*. Conf. ſup. 61, inf. 454. 455. *tumidoque inflatur carbaſus auſtro*. Iliad. α, 481 Ἐν δ' ἄνεμος πρῆσεν μέσον ἱστίον. et ſimiliter aliis locis.

359—361. Helenus οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος iam Homer. Iliad. ζ, 76. *qui ſentis*, intelligis, ad plura h. l. refertur, de quibus ſingulis diuerſo modo dicitur. Aliter ſentit aliquis deum, aliter ſidera et auium cantus. *ſentit vates Phoebum*, cum deum pectore recipit, ſeu, dei afflatu tactus, diuinoque furore plenus, futura praedicit et oracula edit; hoc poeta exornauit: *qui numina*

Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine diui
Italiam petere, et terras tentare repostas;

362 *Omnis c.* — *Religio* aliquot Pieriani, sec. Rottend. Gud. a m. pr. item Goth. pr., sc. vt sit: *omne vaticinium, omnis deorum monitus*, quod merito arridere potest, quoniam sequitur: *cuncti diui*. Sic *cursum* esset, quem teneo, nauigationem, quam facio versus Italiam. 363 *et* abest a Ven. et Parrhas. cum Goth. alt. *numina diui* Gud.

Phoebi, Qui tripodas, (tripodi insidens Delphis Pythia vaticinabatur) *Clarii lauros* (quatenus, vt fere omnia antiquissima fana, religionis et caloris caussa, sacro luco inclusum erat templum Apollinis Clarii apud Colophonem. v. Strab. XIV, p. 442), h. e. qui vim diuinam animo capis, quam Delphis Pythia, et apud Claron sacerdos, mente recipere solet. *Sentis sidera*, nosti quae ex iis ad futura praeuidenda intelligi possint. Hoc in Homericis occurrere in vatum laudibus non memini; neque astrologiae omnino studium in vita heroica est frequentatum; at ostentorum et διοσημείων obseruatio fuit; Licet adeo suspicari, *sidera* pro coelo et aere esse posita. Reliqua ad auguria cum ex oscinibus tum ex praepetibus, h. e. ex auium cantu ac volatu, spectant. cf. inf. X, 175 sq. add. Callim. L. P. 123 sqq. et ibi Intpp. c. Spanh.

362—364. *namque omnem cursum mihi prospera dixit Religio*: etiam hoc per hypallagen explicare volunt, pro, omnis religio prosperum dixit cursum. Perperam. *Religio* proprie de ritibus religiosis et sacris, mox de *iis omnibus* dicta, *quae cum sacris fiunt, parantur, obtinentur*, adeoque etiam de *extispiciis, oraculis* omnique *vaticiniorum* genere, accipienda est, h. l. de *oraculo* et omnino de vaticinio; *prosperum* vaticinium est, quod prospera nuntiat. Totum, qui superest, cursum, quo ille instituendus sit (hoc v. 363. 364 vlterius declarat) iam satis definiuerunt praedictiones, quas adhuc acce-

Sola nouum dictuque nefas Harpyia Celaeno
Prodigium canit, et triſtis denuntiat iras,
Obſcenamque famem) quae prima pericula vito?
Quidue ſequens tantos poſſim ſuperare labores?
Hic Helenus, caeſis primum de more iuuencis,
Exorat pacem diuom, vittasque reſoluit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit;
Atque haec deinde canit diuino ex ore ſacerdos:

365 *nouom* Gud. *Arpia, Arpyia, Harpeia* aberratt. codd. 368 *Quodue ſ. poſſim tantos* Parrhaſ., forte etiam, ſubiicit Burm., *quà p. p. vito?* qua via, ratione. Nil neceſſe. at *poſſum* nullibi repertum video. 369 *primum caeſis* Ven. et Parrhaſ. 371 *lumina* ſec. Hamb. 372 *Ipſe etiam* pr. Hamb. *ſuſpenſus* pro var. lect. Hamb. ſec. et Seruius. Male. cf. Burm. *duxit* codices ap. Pier. 373 *haec* deeſt Leid. vni.

pi, laetae illae et ſecundae. *numine*, etiam hoc pro effato diuino et ſorte. *repoſtas* exquiſitius quam remotas, et *tentare* quam petere.

365—367. *dictu nefas*, abominandum. *Prodigium*, euentum rerum prodigii ſimilem. *iras* h. e. calamitatem, malum, ex *ira* Harpyiae, boum caede et Troianorum armis laeſae, poenasque et vltionem parantis. cf. ſup. 234 ſq. 245 ſq. *obſcenam famem:* quatenus ad vltima redacti etiam ea comedent, quae nauſeam faciunt. Sic, *obſcenus cibus*, et *obſcena paſtu auis* vpupa apud Plin. X, 29 ſ. 44. Hoc Seru. volebat: *quae homines etiam ad obſcena compellit.*

369—373. *pacem* benevolentiam dei, vt iam ſupra vidimus; dum oraculum expetiturus eſt. Sacrificantium et vatum habitus *vitta* vel *infula: Soluitur* h. l. illa, religioſo more, ſiue animi reſpectu, quem iam ab omni terrena faece vacuum deo ſoli vacare ſignificabant, quo fere Seruiana ſpectant, vel quatenus furor diuinus et corporis agitatio vincula non

Nate dea; nam te maioribus ire per altum
Auſpiciis manifeſta fides: ſic fata deum rex
Sortitur, voluitque vices: is vertitur ordo;

375 *Si* pr. Hamb. a m. ſec. *his* Gud. Ven. Parrhaſ. 376 *hic* edd. Ven. et Iunt. *ſic* quatuor Burm. et Goth. ſec. *his* alter cum ed. Mediol.

ferebat. At, inquit Cerda, in aliis locis vates iam vaticinium edituri *vittis ligant, implicant*, caput? Recte; ſcilicet vates non perpetuo vittae ornatu vſos eſſe credendum eſt nec eas ſumſiſſe, niſi rem ſacram facturos; itaque inſtante iam furore diuino modo vittas ſumere modo ſoluere narrantur. *ad tua limina Phoebe.* Erat igitur templum Apollinis in noua Troia ad exemplum Pergamei fani. *Suſpenſum* h. l. modo minus vulgari pro perturbatum, percuſſum, dictum puto; adeoque *multo ſuſpenſum numine*, turbatum horrore ex praeſentia dei. cf. inf. VI, 45. 54. *numen*, maieſtas, vis manifeſta dei, quae horrorem ac reuerentiam facit. Sic *multum ineſſe, adeſſe, numen*, alibi dicitur; videbatur enim numen implere locum, in quo horror ſentitur. Satis quidem expeditum et illud, vt *multum numen* ſint multa oracula, quae iam ante acceperat (vide v. 362), quibus *ſuſpenſus* h. e. ſollicitus ac dubius eius animus ſit; mihi tamen hoc minus arridet.

374 — 376. Circes apud Homerum μ, 37 ſqq., ſorte etiam Phinei apud Apollon. II, 311 ſqq. exemplo, Helenum hic fata ac caſus nauigationis Aeneae praedicere facit. Ipſos autem caſus omninoque Aeneae errores ad Vlyſſis errores compoſitos eſſe, facile animaduertas. Ineſt tamen forte in his maior ſuauitas ipſa rerum nouitate et probabilitate; nam Homericis temporibus nondum illa maria Graecis multum erant frequentata; qua in re victus Virgilius ornatu et doctrina ſuae cauſſae conſulere neceſſe habuit. *maioribus auſpiciis*, quam vulgo hominibus contingere ſolent; ſunt ſimpl. *magna*

Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Aequora, et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae
Scire, Helenum farique vetat Saturnia Iuno. 380

377 *tutius* Oudart. et Parrhas. *aequora lustres Hospita* Zulich. 378 *consistere* pr. Hamb. et Ven. vide sup. 162. Burm. 380 Distinguunt codd. partim post *Scire* partim post *Helenum*; cf. Pier. et Burm., sed in interpunctione, codicum nulla, meo iudicio, est auctoritas. *vetet* pr. Hamb. Brunck. coni. *Scire, vetatque Helenum fari S. I.*: rotundior vtique sic esset versus, sed Virgilius grauitatem numerorum praefert. Alioqui ad manum esset *Helenumque vetat fari* in ed. Parm. Hemistichium abesse malit Iac. Bryant.

h. e. magnarum rerum; adeoque magna fata; quod Livius pr. *ad maiorum rerum initia ducentibus fatis.* Argutatur Seruius. Melius idem *fortitur*, disponit, ordinat, *voluit vices*, moderatur vicissitudines rerum. *is ordo* fatorum *vertitur*, ita succedunt sibi fata. Omnino pro *agere, perficere*, poeticae voces sunt, *voluere, vertere, versare.*

377—380. Fata scire *prohibent* h. l. Parcae; apud Homerum Erinnyes; omnino dii apud Apollon. l. c. II, 311 sq. *tutior*, tutius, minore cum periculo, si resciuit, quae euitanda sint. *hospita aequora* Seruius vicina interpretatur. Sane longinqua, ignota, necesse est esse minus hospita. Si vsum loquendi vocis huius recte teneo, esse debent maria nauigantibus amica, quae nauigantes tutos ac saluos transmittant. *prohibent* te *scire* etc. Nam, vt Lucan. V, 176 *Nec tantum prodere* vati, *Quantum scire, licet.* v. h. l. Seruium, qui bene addit: *prohibet autem scire mortem patris — tempestatem ab Aeolo immissam: amorem Didonis* (qui sane vix commode memorari poterat). *Nouimus autem Iunonem hoc agere, vt, si possit fieri, regnum Italiae Libycas auerteret oras. Inopinatum vero dolorem etiam Aeneas conqueritur*, vt inf. v. 712 *nec vates Helenus — Hos mihi praedixit luctus.*

Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras inuadere portus,
Longa procul longis via diuidit inuia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in vnda,
Et ſalis Auſonii luſtrandum nauibus aequor,

384 *Trenacia* Wall. a m. pr., et a m. ſec. *Trinacia;* et ſunt ſane grammaticorum argutiae in ea ſcriptura, quae tamen fundamento non omnino carent, quandoquidem Θρινακία Homerica eſt ſcriptio. conf. Cluuer. et d'Orville Sicula p. 163. Enimuero ad liquidum res perduci nequit, vtra ſit verior et antiquior. Idem Wall. *lentendus* a m. pr. *tentandus* Goth. ſec. a m. pr. *flectendus* Guelpherb. vn. in Exc. Cort. ex interpr.

381—383. Poterat Aeneas ſtatim in orientali Italiae extremae littore conſidere, ex aduerſo Epiri. At totum illud littus a Graecorum coloniis tenebatur. cf. inf. 398 ſqq. *longa via diuidit Italiam* h. e. Italiae illa pars, quae Aeneae petenda eſt, diuiſa, remota eſt, *longis terris*, ſc. longo illo tractu inferioris Italiae, *inuia* vel difficulter emetienda; (ſic Seruius acceperat: *ſignificat autem difficilem circuitum;* et ſane compoſita huiusmodi ſaepe ſic accipiuntur, vt *infanabilis, intentatus*, h. e. parum, haud multum, tentatus); vel, quod praeſtat, plane non peruia, non adeunda Aeneae, terreſtri itinere, ſi eam partem adiiſſet, quae Epiro oppoſita eſt, quod fata vetabant. Hoc ſpectaſſe videtur Pompon. Sabin. *inuia volentibus fatis.* Comparant illa Iliad. α, 156 ἐπεὶ μάλα πολλὰ μεταξὺ Οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα. Caeterum in Virgilii verbis luſus ineſſe videri poteſt; *via inuia — longa longis.* Allitterationi huic vetus ſermo non tantopere aduerſabatur, vt noſter; quin in ornatu illa habebatur: *amabam amantem.* Φιλέων φιλέοντ', ἄγων ἄγοντα in ipſo lyrico carmine eſt Pind. P. 10, 103.

384—387. Ornate. Mare Siculum et Tyrrhenum eſt peragrandum. *lentandus remus*, agendus, ſed exquiſitius; curuatur enim et flectitur vi vndarum et niſu remigis. Sic Apollon. II, 593

Infernique lacus, Aeaeaeque insula Circae,
Quam tuta possis vrbem conponere terra.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis vndam
Litoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum vbera nati:
Is locus vrbis erit; requies ea certa laborum.

386 *Circae* vetustiorum auctoritate reposuit Heins., qui copiose aliis exemplis firmat. Vulgo *Circes;* aliquot etiam *Circe.* 387 *posses* alter Hamb. 388 *memori quae* (pro *que*) *haec m. t.* sec. Moret. vss. 388—393 leguntur ap. auctorem de progenie Augusti c. 12. 389 *vndas* aliquot Pieriani et Hamburg. alter, vt supra. 391 *foetus capitum* Montalb. 393 *Hic l.* Doruill. et ap. Nonium et Cledonium. *erat* duo Burm.

ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι, Ἥυτε καμπύλα τόξα, βιαζομένων ἠρώων in traiectu Symplegadum. Quoniam enim, *lenta* quae sunt, facile flecti possunt, hinc *lentus* pro flexilis, et *lentare* flectere. A Virgilio Statius et alii petierunt; Virgilius ab antiquioribus, vt Seru. docet. 386. *inferni lacus*, Auernus inf. lib. VI. *Circes insula* VII, 10 sq. *Aeaea*, Colchica, ab Aea, Colchidis vrbe, vel ex Apollonio Rhodio nota. 387. *vrbem componere*, noue dictum esse debet, pro ponere, condere; vt *templum componere* ex Ouid. I Fast. 708 laudat Burm. Nisi est quod vulgo, res vrbis componere, pacare, ordinare. Est tenendum alterutrum, nec cum Burm. duas diuersas notationes in vnum locum congerere ausim; quod sermonis humani rationi aduersatur.

388. Vt apud Homer. Σῆμα δέ τοι ἐρέω et illud: σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σύνθεο, vel βάλλεο σῇσι.

389 — 393. Cf. inf. VIII, 42 sqq. 81 sq. *Quum — iacebit: is locus* pro vulgari: *is locus, in quo — iacebit, erit nouae vrbi destinatus.* Vsus et hic poeta est oraculo sua natura non adeo commendabili, celeberrimo ta-

Nec tu menſarum morſus horreſce futuros:
Fata viam inuenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quae noſtri perfunditur aequoris aeſtu,
Effuge: cuncta malis habitantur moenia Graiis.
Hic et Narycii poſuerunt moenia Locri,
Et Sallentinos obſedit milite campos

395 *inueniant* quatuor Heinſ. 396 *Has inter* Goth. tert. *vrbem* Oudart. pro var. lect. ad *oram*. 397 *qua noſtri* Parrhaſ., quod adridet Burmanno. *profunditur* duo ap. eund. 399 *Hinc* et *Narricii*, *Naricii*, *Naritii* aberrationes Codicum. Νάρυξ, πόλις Λοκρίδος etc. Steph. 400 *Sallentinos* Heinſ. cum aliis melioribus.

men inter populares ſuos. v. inf. Excurſ. II ad lib. VII. Res ipſa multis in monumentis antiquis, gemmis, numis exhibita, vt exempla ſingula laudare velle ineptum ſit. *ſecreti fluminis* h. e. in parte ſecreta, ab hominum frequentia remota, fluminis Tiberis inf. VIII, 82 *per ſilvam — viridi in littore*. Caeterum obſeruandum, qua verborum dignitate ignobile argumentum poeta ornauerit.

394. Harpyiae praedictionem ſup. 255. 365. reſpicit. *viam*, rationem et exitum oraculi, ipſae res dabunt, et propitius erit Apollo, oraculi auctor.

397. *noſtri maris*, Ionii inter Epirum et Italiam. 399. *Locri Epizephyrii*, in Bruttiis, ad littus Italiae extremae exterius, Locrorum Opuntiorum colonia, quorum erat vrbs Naryx vel Narycium, ex aduerſo Euboeae inſulae. Locros Ozolas vrbis conditores fuiſſe contendit Strabo VI, p. 259 B. Sed communior opinio altera illa, v. Cluuer. Ital. p. 1301 ſq. Sequitur vero poeta eam narrationem, qua ex Locris, Aiacis Oilei ſociis, fuiſſe crediti ſunt, qui, diſperſa ad Caphareum promontorium claſſe, in Bruttios eſſent delati. cf. Seru. Aliter Lycophr. 1141. 1148, vbi cf. Schol. Vide *Opuſc. Acad.* To. II. p. 46 ſq. *Eckhel Doctrina Numor.* P. I. Vol. II. p. 257.

400. 401. *Sallentinorum*, qui ex antiquis Meſſapiis fue-

Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
Parua Philoctetae ſubnixa Petelia muro.
Quin, vbi transmiſſae ſteterint trans aequora claſſes,

quem v. et quos laudat Burm. cum antea editum eſſet *Salentinos*: quae antiquior eſſe debuit ſcriptura. *Salantinos* Goth tert. quae antiquior fuit ſcriptura Σαλαντινων quod etiam ex numo laudatur: de quo v. Eckhel Doctrin. num. P. I. Tom. I. p. 145. *Phalentinos* Ven. *Salicanos* Sprot. *limite* Leid. vn. 401 *Lictius, Licius, Litius, Lycius, Lytius*; porro *Idomeneos, Idumeneus, Ydomeneus, — Melibroae — Philotetae, Philothetae, Phyloctetae, Philocteae*, librariorum ſtupores, quos ponimus, vt iis mature aſſueſcant iuuenes. 402 *Petelia* Medic. et ſic in numis et Graecis ſcript. occurrit: Πετηλία; hoc itaque reſtitui. Vulgo *Petilia*, quod vulgare eſt. 403 *ſteterunt* alter Hamb. *naues* pr. Hamb. *puppes* Goth. pr.

runt, tractus erat in peninſula Calabria. Inſederant eum mox Cretenſium coloniae; cf. Strabo VI, p. 281 B. atque has ad Idomeneum Troia reducem, ſed mox patria eiectum (cf. ſup. 121, et inf. XI, 265), nonnulli retulerunt. cf. Varro lib. III Rer. Hum. apud Valer. Prob. ad Ecl. VI, 31. (vnde Pompon. Sab. ad h. l. petiit, et inf. ad v. 531.) *Lyctus* aliquando inter inſigniora Cretae fuit oppida. Plin. IV, 12 iam Cerdae laudatus.

401. 402. *Petilia* vel *Petelia* in Bruttiis ſupra Crotonem a *Philoctete*, Herculis comite, condita (hoc enim eſt *ſubnixa muro*), cum Troia redux, vrbe patria, *Meliboea* Theſſaliae, per ſeditionem fugeret. cf. Strabo VI, p. 254 A, quo loco apparet, Lucanorum deinde primariam vrbem eam fuiſſe. Philoctetes *dux Meliboeus* pro, Meliboeenſis.

403—409. Expectandum erat, vt in hac Italiae ora appellerent Troiani, et ex voto ſacrum diis facerent. Hoc igitur certo ritu, velato capite, qui Romanorum mos erat, facere praecipit Helenus. Religionis ſanctitatem cum iudicio et hic intexit carmini Virgilius; mira enim talis loci ſuauitas debuit eſſe, ſi Romanorum quis in religioſi ritus originem incide-

Et positis aris iam vota in litore solues:
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat, et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Asi, vbi digressum Siculae te admouerit orae
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,

404 *in litora* Medic. a m. pr. cum tribus aliis. 405 *Purpureas* Doruill. a m. pr. 407 *occurret* Franc. *omnia* multi. *turbat* duo. 408 *socios* Medic. a m. pr. 410 *degressum* Sprot. et inf. 492. *amouerit* duo. *Siculis oris* Franc. 411 *rarescunt* codd. Seruii inf. ad. 530, in Wall. superscr. vel *clarescent*. Parum acute. *plaustra P.* Parrhas. Illustrat vss. Nodell Not. crit. p. 77.

ret. Illustrationem loci pete ex inf. 543. 545; subest tamen et hic antiqua fabula de Diomedis vel Vlyssis in his locis occursu, quam Seru. ad h. l. attingit et olim variis modis tractasse videntur poetae et scriptores. v. Plutarch. Qu. Rom. c. 11, 12. T. II Opp. p. 266 C et Auctor de Orig. gent. Rom. c. 12. At vide Excurs. I ad h. lib. sub s. 404. Scilicet appulsa classe ad Italiam, in qua sedes habituri erant, vota soluent diis sacro facto inf. 543 sq. *in littore*, ad Castrum Minervae, supra promontorium Iapygium. v. inf. 531. *velare* sc. memento; Graeca elipsi. Verius forte imperativa forma: vt inf. 545 *Et capita ante aras Phrygio velamur amictu*. 407. *omina turbet*, captata ante rem sacram. Turbari malis ominibus sacrificii religionem, et, vt id caueatur, adoperto capite esse sacrificantes, notus Romanorum mos fuit, cuius originem poeta siue ex antiqua fama, siue ex ingenioso commento ab Troianis repetit. 409. *in religione*, in obseruatione religiosi ritus, et *caste*, ἁγνῶς, vt saepe, rite.

410—413. Flectendum in aditu freti Siculi et auertendum, ad exterius mare, cursum et, vt tanto tutior ille

Laeua tibi tellus, et longo laeua petantur
Aequora circuitu; dextrum fuge litus et vndas.
Haec loca vi quondam, et vasta conuolsa ruina,
Tantum aeui longinqua valet mutare vetustas! 415

412 *laeta* aliquot Pier. *petentur* Hugen. et Wall. a m. pr. cum Goth. sec. 414 *et* deest Parrhas. *ex* Erf. *conuolsa* Gud. 415 In Wall. versus erat in margine adscriptus; idem *longaeua*. Ennium videtur ante oculos habuisse Annal. XV ap. Gell. IX, 14 *Postremae longinqua dies confecerit aetas*. Adde Lucret. II, 68. 69. duo *motare*, sollenni permutatione. v. Burm.

sit, Siciliam ab oriente circumeundam monet. Fretum appellat ex more *claustrum*. Proprie ea, quae densa sunt, transitum occludunt, hinc *densa* poetis, quae clausa plane, vt Gr. πυκινόν· v. c. πυκινὸν πῶμα· Odyss. κ, 283 πυκιναὶς νευρῇσιν de bene occlusa hara; adeoque, ea, quae laxantur, aperiuntur, patent, *rarescere* dixit poeta. Iam Seruius bene: *quia venientibus de Ionio (mari) propter curuaturam littorum* clausae *videntur angustiae, quae paullatim propinquantibus* aperiri *videntur*. Poeticae orationis genius ad oculorum sensus omnia reuocat. Simili modo *coire, coniungi*, et rursus *discedere, seiungi* et *disiungi*, dicuntur loca, quae ingressum habent. Ita et *aperiuntur* ea, quae e longinquo in conspectum veniunt, vt sup. 275 *aperitur Apollo*, et inf. 531 *portusque patescit iam propior*. Contra apud Lucan. III, 7 de discedente: *et dubios cernit rarescere montes:* vbi idem est quod vanescere vel euanescere. *Crescere, attolli, attollere se, surgere* dicuntur ea, quae alta sunt, iis, qui accedunt: vt *recedere*, si discedas: sup. 72. cf. inf. 552 et *abscondi* sup. 291. *mergi* apud Val. Fl. II, 6, 7. add. ibid. 430. 1. 442. 3. *dextrum littus* Italiae. Seruius: *nam de Ionio nauigantes, si fretum petant, dextrum teneant littus necesse est. Pelorum angustium* docte dixit pro freto ipso promontorium illud alluente.

414 — 419. De Italia ac Sicilia magno motu terrae

Disiluisse ferunt, quum protenus vtraque tellus
Vna foret; venit medio vi pontus, et vndis
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaque et vrbis
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laeuum inplacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat vnda.

416 *protenus* Heins. reposuit cum Velio Longo et Leid. altero ac Rottend. pr. 417 *forent* Rottend. tert. *medio venit* Moret. pr. Parrhas. *venit in m.* Ven. *media* Zulich. a m. sec. 419 *deductas* Medic. cum al. antiquis. Vir doctus Britannus (*Gentl. Magazine* 1764. p. 464) *litora diductas* emendabat h. e. quoad littora, refutatus mox ab alio p. 556. Neuter viderat, *litore diductas* esse idem ac mari, quod interuenerat, diductas; nam vbi littus, ibi mare. 420 *laeuom* Gud. *impacata* aliquot Pieriani, et vnus Leid., quod non bene praeferebat Cerda. *implicata* quatuor Burm. cum Goth. tert. 421 *Obsedit atque immo barathri* Franc., sed talia exscribere piget. Mox *abrutum* Zulich. 422 *in abruptu* aliquot Pier. 423 *egerit* legebant viri docti (et sic Cerda), apud Pierium, qui recte monet, sequentia postulare *Erigit;* quod et per se exquisitius est. cf. inf. ad v. 576. *Elicit* Hamb. pr.

diremta vide loca ap. Cluuer. Sicilia I, 1. *ruina*, motu terrae. 416. *protenus*, continue, vt iam Seru., διηνεκῶς, cum esset vna continens. v. Cerda. 417. *venit* pontus in medium cum vi. Val. Fl. I, 590 *cum flens Siculos Oenotria fines Perderet et mediis intrarent montibus vndae.* — 419. *littore*, mari, iam disiunctas, *aestu angusto*, h. e. freto, quoniam in iis angustiis mare aestuat. cf. Seru.

420 — 423. Ex Homero adumbrata esse nemo dubitat, Odyss. μ, 73 sqq. 234 sqq. Variorum loca vides ap. Cluver. Sicil. I, 5. Firmarunt ea alii, et nuper Spallanzani. (*Viaggi alle due Sicilie* To. IV.) Idem cum aliis docuit, *Charybdin* nihil aliud

At Scyllam caecis cohibet ſpelunca latebris,
Ora exſertantem, et nauis in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulcro pectore virgo
Pube tenus; poſtrema inmani corpore piſtrix,
Delphinum caudas vtero conmiſſa luporum.

424 *Aſt* tert. Rottend. cum Goth. pr. 425 *Ora exercentem* alter Hamb., quod a monacho rhythmicis verſibus adſueto profectum lepide monebat Burmannus. *exhalantem* Ven. 426 *polchro* alter Hamb. *corpore* Montalb. 427 *piſtrix* reuocauit Heinſ. librorum auctoritate, qui vel *priſtrix* vel *piſtrix* exhibent; Vulgo pars codd. et edd. *priſtis*. cf. Heinſ. *piſtris* per *s* non per *x* defendit Pompon. Sab. ad h. l. Commemorat locum Seneca Ep. 92 *vt ait Virgilius noſter in Scylla.* Quo ſenſu hoc dictum ſit, v. in *Prooem. ad Cirin.* 428 *candam* Ven. *commixta* Wall. et Zulich. a m. ſec. Male. v. Burm.

eſſe, quam impetuoſiorem vndarum fluxum a ſeptentrione in Auſtrum, ortis vehementioribus flatibus ab Auſtro, qui illum repellant; *Scyllam* autem ſcopulum, humanae forte olim formae, ad littus Italiae, verſus Scyllaeum oppidum. Canum latratum aſſimulant fluctus ſcopulo illiſi, et lupos belluasque ex ea naſci narrare potuit antiquitas, quoniam loca plena ſunt monſtris marinis. cf. Serv. ad 420. *Dextrum* freti Siculi. *implacata*, pro implacabilis, vt ſolent poetae, ſaeua. *ſorbet*, ἀναῤῥοιβδεῖ, *in abruptum*, profundum adeoque praeceps. cf. ſup. I, 105 ſq. *erigit*, ἀνίησιν, emittit, ſed cum vi. v. Odyſſ. l. c. μ, 105, vbi *ter in die*, τρὶς ἐπ' ἤματι, id fieri ait: ſed hoc idem omiſit altero loco 239 ſq., vt adeo nec in Virgilio omiſſum mireris: in quo ſufficit, *ter deinceps* hoc fieri.

424 — 428. Cf. ibid. 93. 94. 99. 100. Prominet ſpelunca Scylla ſuperiore corporis parte et naues ad ſe attrahit. *Prima* ſuperiore corporis parte. *poſtrema*, inferiore. *piſtrix* omnino pro bellua marina, *commiſſa caudas delphinum vtero luporum*, h. e. habens coniunctas delphinum caudas lupinis cum corporibus, in quae virgineum pectus ſ. corpus de-

Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circum flectere cursus, 430
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris inplet Apollo,
Vnum illud tibi, nate dea, praeque omnibus
vnum 435

429 *Pachinni* scribitur in libris. 430 *Cessantes* Goth. sec. *fluctus* alii, notante Parrhasio. Praeferam suauiorem orationem interpunctione: *Pachyni, Cessantem longos et circum flectere cursus.* 433 Alii iungunt: *si qua est Heleno prudentia vati, Si qua fides.* At pr. Moret. non ineleganter, iudice Heinsio, *Si qua est H. p., fati Si qua fides;* ex non infelici errore. 434 *animam* Messius Arusianus. v. Burmann. Sec. ad Anthолog. Lat. p. 126. *si verus* vir doctus coni., quem refellit Ouwens Noct. Hagan. p. 616. 435 *Vnum illum* Gud. a m. pr. *Vnum istud*

finit; simpliciter dic, virgineo corpori subiunctos lupos marinos fuisse protomis suis inter caudas delphinorum prominentibus. vt versu 432 elicias. *Canes* autem *marinae* videntur intelligendae. cf. Odyss. μ, 96. 97. Schol. Apollonii IV, 825. Variis modis ab Homero inde Scyllae facies exhibita, varie etiam in monumentis veterum; sufficit intelligere, qua specie Virgilius exhibuerit. De hac v. Exc. IV. Bucol. ad Ecl. VI, 75. Caeterum ad Virgilii de Scylla versus Miltonum suos *de Peccato* (*of the Sin,* Ἄτην dixeris) formasse, iam alii monuerunt.

429—432. Variauit Homerica l. c. v. 109. 110. *metas Pachyni* docte h. e. promontorium Siciliae australe, *cessantem,* morantem (vt Seru.), plus temporis in nauigatione consumentem. *vidisse,* modus loquendi ab Homero ductus l. c. v. 87. 88 et saepe. *Canes* sunt qui paullo ante *lupi.*

433 sqq. Magno cum apparatu monitum a vate et inferri et enuntiari obseruat. cf. inf. v. 546 sq. et Exc. X.

Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnae primum prece numen adora;
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: Sic denique victor
Trinacria finis Italos mittere relicta.

in marg. Parrhas. *Verum aliud* pr. Hamb. *proque omnibus* Medic. et alii boni codd. (et Goth. duo) etiam Georg. Fabricii, et sic Diomedes et Donatus; hocque receperat Heins., sed reliquorum librorum lectionem *praeque* reuocauit Burm., quod mihi vulgarius videtur altero. 436 *Praedico* tres Burm. *iterum iterumque* multi sollenni vitio. 437 *I. sacrae* Hamb. pr. 439 *S. s. votis* Wall. a m. pr., quod erat in codd. Pierianis et in libro Donati. 440 *metire* aliquot Heins. et Pierii, vt sit dictum, quemadmodum *metiri viam, pelagus, emensus iter* etc. Sed recte Pier. et Burm. vulgatum praeferunt. cf. not. Nonnulli vitiose *metiere* vel *meciere*.

437—440. Tale praeceptum Phineus dat Iasoni apud Apollon. II, 425. vt Guell. ad h. l. monuit. In praecepto autem hoc de Iunone omni studio placanda respexit poeta religionem, qua Romani aliquando Iunonem praecipuo honore prosequuti sunt, et in Capitolio cum Ioue et Minerua coluerunt: quo spectare videbimus et illa XII, 840 *nec gens vlla tuos aeque celebrabit* honores. *canere vota*, facile apparet, esse, facere vota, preces. Dixisse videtur poeta ad eam rationem, qua vota formula sollenni, adeoque *carmine*, suscipiuntur: quod iam Burmannum obseruasse video. *libens* est in formulis sacris προθύμως, adeoque nec parce, nec supine. *dominam*, deam, δέσποιναν. *supera*, expugna sacris factis; hinc *victor. fines Italos mittere*, dimitteris, discedes, Italiam adibis. Est Graecum πέμπεσθαι de nauigatione. Vides in his poetae artem. Praestruit enim et praeparat sibi descensum partim ad tempestatem lib. I Iunonis fraude excitatam, partim ad Didonis amores, quibus Iuno impeditum Aeneam retinere in Libya volebat, (Bene hoc

Huc vbi delatus Cumaeam adcesseris vrbem,
Diuinosque lacus, et Auerna sonantia siluis:
Insanam vatem adspicies; quae rupe sub ima

441 *Cumarum a, vrbem* alii cum Seruio. cf. Burm. 442 *Auernae τὰ, Auerna loca* ap. Lucret. VI, 740. iterum V, 732. VII, 91. Graecis est ἡ Ἄορνος λίμνη. vnde *Auernus* lacus. Tandem et *lacus Auerni* vt ap. Liu. XXIV, 12. 443 *Insanam vatem* Sprot. *adspicias* Exc. Burm. *sub ipsa* alter Hamb.

obseruauit iam Holdsworthius.) et ad incendium classis lib. V, 604.

441 sq. Cf. inf. VI pr. *diuinos lacus*, Auernum, vt statim addit: *Auerna*. Iam *Auerna sonantia siluis*, pronum est *in siluis* intelligere. Sed de *lacu*, non de flumine, agitur. Itaque accipiendum, sonantia siluae strepitu, qua ille lacus erat inclusus; nam inf. VI, 238 *lacu nigro nemorumque tenebris;* et sic VI, 704 *virgulta sonantia siluis*. adeoque est quod in vulgari: *Auernus inter sonantes silvas* (vti inuersa ratione in Orph. Argon. 1131 παταγεῖ δὲ παρ' ὄχθασιν ποταμοῖο Δένδρεα, malim intelligere arbusta in ripa, Acherontis strepitu resonantia. Variat autem hoc, quod locis inferis modo amnes stagnantes ac silentes, modo strepentes tribuuntur.) Hoc malim, quam dicere, poetam Auernum lacum, qualis nunc erat, repraesentasse, continuatum cum Lucrino, et, infuso per huius fauces, mari; vnde Georg. II, 163 *Iulia qua ponto* longe sonat *vnda refuso, Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Auernis.* v. ibi not. *diuinos* autem *lacus* vel omnino sacros, consecratos, cum Seruio, accipies, vel propter vicinam Sibyllam diuinam vatem; mox 443 *insanam* ἐνθουσιάζουσαν, ἔνθεον, quod semper substituendum, vt semel moneamus, cum de furore, insania, vatum agitur. *rupe sub ima*, in antro, mox 450 *cauo saxo. notas*, literas, et *nomina*, verba, adeoque quod in vulgari sermone, *verba scribit.* cf. Georg. III, 158. *Continuoque notas et nomina gentis inurunt.* De re cf. ad v. 457.

Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quaecumque in foliis descripsit carmina, virgo
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit,
Illa manent inmota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis quum cardine ventus
Inpulit, et teneras turbauit ianua frondis,
Numquam deinde cauo volitantia prendere saxo,
Nec reuocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti;
Quamuis increpitent socii, et vi cursus in altum

444 *et carmina* Parrhas., sed v. Burm. 446 *Degerit* Medic. *se clausa* Exc. Burm. *reliquit* vulgo ante Heins. cum parte codd. 448 *carcere* pr. Hamb. *vento* Menag. pr. 449 *turbauit flamine* ingeniose coni. Io. Schrader. in Schedis. 450 *saxa* Medic. 451 *nec iungere* Zulich. *carmina iungere* duo. 452 *aedemque* Gud. a m. pr. 453 *Haec t.* in marg. Parrhas. *fiant d.* Hugen. *tantae* multi, sed male. 454 *increpitant* tres Heins. et vn. Goth. *vi ventus* Leid. pro var. lect. ex v. 356. *et tua cursus* Witt.

445—452. *Digerit in numerum*, ordinat, disponit in ordinem, vt bene Seruius, et vt patet v. 447, atque antro includit. 445. *carmina* non pro versibus: sed vaticinia. *ventus tenuis;* ornat epitheon, a natura, puto, venti sumtum, saltem hoc dignius poeta, quam vt sit: si vel parum venti immissum fuerit. *ianua* mota, motaque cum ipsa, aura. *situs* positus et ordines foliorum, reponere ea in sua loca. *inconsulti* h. l. quibus consultum, responsum non est. Seruius: sine responso.

453—457. Colorem orationis illustrabit comparatio loci Callim. in Del. 318 sqq. Οὐχ οὕτω etc. *Dispendia* proprie sunt temporis. *Vocant aurae vela* supra v. 356, cum ventus secundus spirat. Quoniam talis ven-

Vela vocet, poſſisque ſinus inplere ſecundos;
Quin adeas vatem, precibusque oracula poſcas.
Ipſa canat, vocemque volens atque ora reſoluat.
Illa tibi Italiae populos, venturaque bella,
Et, quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet; curſusque dabit venerata ſecundos.
Haec ſunt, quae noſtra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam.

455 *vocent* Medic. a m. ſec. Gud. cum aliis; et ſic Seruius cum Pompon. Sab. legerat; male. 457 *canet* et *reſoluet* quatuor Burm., quod poſſit placere; ſed *Ipſa canat* ſc. poſcas. inf. VI, 76 *Ipſa canas, oro. canat* et *reſoluet* Gud. *volensque ora* Parrhaſ. *ipſa ora* duo Burm. Verſus hic et ſup. 446 aberat a Voſſ. 459 *Et quocunque m.* Witt. *Ex quo* et *expediat* Franc. *effugias* aliquot Pier. 460 *veneranda* Wall. ex interpr. *venerata ſacerdos* ed. Ven. et aliquot codd. ap. Pierium et Burm. cum Goth. pr. ex compendio ſcripturae *ſcdos*. 461 *moueri* Ven. 462 *fatis* ſeptem codd. Burm. et Goth. alter a m. ſec.: et ſic auguror poetam maluiſſe. Nam in fatis hoc eſſe, vt Troia reuocetur, vbique inculcare amat; idque totius carminis oeconomia poſtulat.

tus curſum facit et ad nauigationem inſtituendam vocat, h. l. ipſe *curſus* vela vocat *vi*, ex *βίη*, *βίηφι*, h. e. *σὺν βίᾳ*, *βιαίως*, vehementer. *ſinus ſecundos* velorum docte dixit vento ſecundo inflatos. *ipſa*, non foliis vaticinia mandet. Natam autem hanc fabulam antiquiſſimis temporibus puta, quando ſcribendi materia erant palmarum aut aliarum arborum folia. Tum etiam antra erant pro domibus.

458 — 460. v. inf. VI, 83 ſqq. Non tamen ſatis diſerte ibi videri poſſunt expoſita iſta: *Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem*, niſi forte in illis: *Tu ne cede malis — via prima ſalutis — Graia pandetur ab vrbe.* Mox 460 *venerata*, poetarum more paſſiue, ex antiquo ſermone,

Quae postquam vates sic ore effatus amico est:
Dona dehinc auro grauia sectoque elephanto
Imperat ad nauis ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,

463 *affatus* multi ap. Burm., male. *effari* proprie de vatibus. Seruius, vt solet, ex augurali disciplina repetit: *Ergo*, subiicit, *religioso verbo voluit vti, qui potuit dicere: Quae postquam vates sic ore est fatus amico.* *est* deest pr. Hamb. 464 *Dona dei hinc* ed. Iunt. *grauida* Giphan. in Ind. Lucret. *septoque* Franc. *elephante* Zulich. 465 *cathenis* pr. Menag. 466 *Dodoneosque* aliquot libri: *Dodoneasque lebetas* fere omnes; ante Pier. *lebetes*, quod pauci libri habent. *lebetos* Franc. Est autem Δωδωναῖος.

vel inuocata ac rogata, vt cursum secundum *det*, h. monstret, doceat, quomodo ille obtineri possit.

463—471. Munera hospiti ab hospite data ex Homero animo tene; conf. Odyss. α, 309 sqq. inprimis ν, pr. Adde Cerdam. *auro grauia:* signatur pondus ac perinde pretium. *Secto elephanto*, πρισ- ξὲ ἐλέφαντος Odyss. σ, 195. τ, 564 h. e. ebore in lamellas secto adeoque omnino elaborato, polito, *grauia*, nunc in ebore simpliciter copiose instructa, ornata; quod in generaliori notione continetur. *Stipat* plus, quam in nauim imponit, vt inf. 485 *onerat*. Tum ornatum verborum et munerum commendationem obserua. 466. *ingens argentum* pro vulgari, *ingens argenti pondus*, aut, vt sequentia declarant, *vasa ingenti argenti pondere* — *lebetes Dodonaeos*, h. e. quales sunt in templo Iouis Dodonaei. Hoc, puto, simplicissimum. Porro 467 *Loricam consertam hamis*, h. e. catenulis se inuicem mordentibus, ἀλυσιδωτὸν, *auroque trilicem*, h. e. iisdem hamis triplicatis et quidem aureis. Ductum a textura, cum trinis filorum ordinibus textum fit, τρίμιτον. cf. inf. ad V, 259, adde VII, 639 *clipeumque auroque trilicem Loricam induitur*, qui locus me reuocat, quo minus, quod malim, quodque

Et conum insignis galeae, cristasque comantis,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces; 470
Remigium supplet; socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phoebi interpres multo conpellat honore:

467 *consortam* Reg. *squamis a. tr.* Seru. IV Georg. 91. 469 *Sunt haec* Franc. 471 *instruet* Medic. Versus idem fere inf. VIII, 80 *geminasque legit de classe biremes, Remigioque aptat, socios simul instruit armis.* 472 *classim* Sprot., vt et sup. v. 5. *classes* pr. Hamb. 473 *vento fieret* Parrhas. *furenti* multi ap. Burm. et sic Goth. alter; male h. l. nam de vento secundo agitur, vt bene Seru. 474 *amore* Hugen. et pr. Moret. pro var. lect., et ita alibi variatur. Burm.

Seruium facere video, iungam: *Loricam trilicem, consertam hamis auroque.* 468. ornate galeam designat a partibus, quae inprimis eam commendant. *parenti* Anchisae. 470. *duces*, magistros equorum, agasones. cf. inf. X, 574. Seru. *socii* declarare putantur *remigium*. De hoc tamen dubito. In heroica aetate remiges non sunt serui; sunt ipsi heroes, nunc ipsi Troiani; at suppleri potuere *remi* ipsi et refici: et iidem sunt *arma* vs. 471. Itaque *remigium* nunc est ipse remorum apparatus, vt l. l. VIII, 80 et Ge. II, 201. *remigiis*, remis actis.

472. 473. *Anchisae* auctoritate etiam h. l. res geritur. cf. ad v. 266. 267. *velis* sexto casu accipias, vt sit naues instruere, adornare, velis vento excipiendo expansis. Sic *biremes remigio aptare*, inf. VIII, 80. Vulgare est: *aptare*, apta reddere, *remigium, vela, in nauibus.* Sequitur autem in hoc historiae fidem. Nam ex Epiro Troianos colonos viam Aeneae ad Italiam monstrasse, antiqua ferebatur narratio, v. Dionys. I, 51 (p. 41) cf. Exc. I sub f.

474—481. *honore*, verbis honorificis, alias *honor verborum. Coniugio*, ho-

Coniugio, Anchiſa, Veneris dignate ſuperbo,
Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Auſoniae tellus: hanc adripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare neceſſe eſt;
Auſoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate! quid vltra
Prouehor, et fando ſurgentis demoror auſtros?
Nec minus Andromache, digreſſu maeſta ſupremo,
Fert picturatas auri ſubtemine veſtis,

475 *Anchiſe* Priſcian., ſed vid. Heinſ. *Anchiſae* Medic., ſed *e* expuncta, et Mentel. pr. 477 *eripe* Ven. *repete* Goth. tert. 478 *praeterlabere* quinque ap. Burm. cum edd. Ven. et Iunt. *vt praeterlabare* quatuor, ſed recentiores. 480 *Vade age o ſ. n. p. quod* Medic. a m. pr. 481 Imitatus eſt Auienus fab. XVI, vt Heinſ. notat. 483 *ſubtegmine* et *ſub tegmine* libri fere etiam h. l.

neſto voc. vtitur. *bis*, ſemel exciſa ab Hercule Troia, propter Laomedontis perfidiam. *arripe velis*, verſus hanc ab Epiri littore dirige naues, cf. inf. 532, vt tamen nunc quidem littora modo legas. *quam pandit*, oraculo deſignat. *prouehor*, ſermone progredior. *demoror auſtros* orientes, h. e. vos demoror, quo minus *auſtris* vtamini.

482—485. Poterat haec ſupra ſubiicere v. 470. Mira tamen cum arte vtitur Andromaches affectu. cf. ſup. ad 337. *digreſſu ſupremo*, exquiſite, proprie eſt ſupremum, vltimum, digreſſus momentum. 483. *picturatas auri ſubtemine veſtes* vtrum de textili an de acu picto opere accipias, dubitare poſſis. Nam vtroque modo *picta veſtis* dicitur; interdum adeo ſimpliciter pro diſtincta coloribus et variegata. Si de textili opere accipis: *ſubtemen aureum* proprie dictum eſt; et *Phrygia chlamys* acu picta; *veſtes* autem erunt ſtragulae. Sin *pictas acu*, ſcilicet Phrygio opere, veſtes accipere mauis: erit in illis ipſis *Phrygia chlamys; ſubtemen* autem ſimpliciter pro filo; et *textilia dona* (ex Homerico ἐσθῆτά θ' ὑφαν-

Et Phrygiam Aſcanio chlamydem; nec cedit honori;
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Adcipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachae teſtentur amorem,

484 *Auſonio* Goth. tert. a pr. m. *chlamyden* alter Mentel. *nec cedit honore:* ſic Scaurus legebat apud Seruium, ſiue is inter eos fuit, qui Aeneidem recenſuerunt, ſiue hanc tamquam grammaticus emendationem propoſuit. Venit ea lectio in Gudianum, probata Heinſio mihique non minus pro vera habetur: ſiue vt ſic accipias: *nec cedit honore* ſc. verborum, ad coniugis exemplum v. 474 *Quem Phoebi interpres multo compellat honore;* ſiue vt cum Scauro, qui ita explicabat: non cedit Heleno liberalitate et munificentia. cf. Pompon. Sabin. Heumannus olim totum hemiſtichium ab aliena manu eſſe putabat; et ſuſtulerant id iam alii ante Cerdam; nec ipſe ab iis diſſentio; video etiam Brunckium accedere; potuit quoque totus locus a poeta affectus tantum, non autem curis ſecundis elaboratus eſſe: appoſuerat forte duo hemiſtichia; poteratque verſus ſic conſtare: *Et Phrygiam Aſcanio veſtem; tum talia fatur.* In Mentel. pr. erant tantum illa: *nec cedit.* 485 *Teſtilibus* in nonnullis ſcriptum. *que* deeſt Graeu. 487 *Andromachae* Heinſ. e ſcriptis et grammaticis. Eo alludunt Medic. et alii: *Andromache.* Vulgo *Andromaches.* Wall. *Andromachen.* Duo Burm. *teſtantur,* tres alii *honorem* procliui lapſu.

τὴν) mox ab his diuerſa ſunt. 484. *nec cedit honori,* ſi verum eſt, aut cum Seruio explicandum, *tanta dat munera, quanta merebatur Aſcanius: hoc enim eſt* honori non cedere, *parem eſſe meritis accipientis;* aut *non cedit honori* ſc. munerum, quo proſequutus erat Helenus Anchiſen; vt Andromache Aſcanium nunc non minus honorifice muneribus hoſpitalibus impertiat. Poſſis etiam *verborum honorem* huc aduocare ex v. 474; eſt tamen hoc longius petitum. Sed v. Lect. var.

486 — 491. Reminiſcitur et hic mater dulciſſimi pueri, atroci morte ſibi erepti. Locus inter paucos dulciſſimi

Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
O mihi fola mei fuper Afiyanactis imago.
Sic oculos, fic ille manus, fic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubefceret aeuo.
Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
Viuite felices, quibus eft fortuna peracta
Iam fua: nos alia ex aliis in fata vocamur.

490 *tenebat* legit Rufinian. de figg. p. 28. *gerebat* Nonius in *fuper*, fed *ferebat* Prifcianus, Diomedes, Macrob. cum libris fcriptis; et firmat Burm. inprimis ex Statii imitatione I Achill. 339. 492 *His* et *affabor* fec. Moret. *degrediens* Sprot. v. fup. 410. *abortis* plerique Pier. et noftri Goth. 493 *parata* Ven., et fic Achill. Stat. ad Tibull. II, 4, 1, h. e. conftituta et parta. Sed praeftat vel fententiae vi alterum: nam *peragere* dicimur imperata, iniuncta, mandata, labores. Memineris illud inf. IV, 653 *Vixi, et, quem dederat curfum Fortuna, peregi*, et *fortuna* h. l. idem quod mox fatum, quod iam notatum Pomponio Sabino. Porro diftinguit Cerda cum aliis: *Viuite. Felices, quibus — iam fua!* cf. Burm. Minus bene. Sed: *Viuite felices vos, q. — iam fua*, exquifitius.

affectus, etiam fententiarum ac verborum dilectu, inprimis adiuncta declarantium, et multo magis fi parentis fenfum et affectum habeas. *manuum monumenta mearum*, cum dignitate, pro manuum mearum opere ex Od. ο, 126 Μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν etc., qui locus Virgilio obuerfabatur. 488. *dona extrema tuorum*, popularium et amicorum. *fuper*, quae fuperes, περιοῦσα, περιγεγενημένη. 490. *Sic oculos, fic* ex Hom. Odyff. δ, 149. 150, vbi Menelaus de Telemacho Vlyffi comparato: κείνῳ γὰρ τοιοίδε πόδες etc. eft autem exquifite dictum pro, *tales oculos habebat, tales manus* etc. v. 491 *pubefceret* ornatius quam *effet;* Eurip. Ion. 354 Σοὶ ταυτὸν ἦβης, εἴπερ ἦν, εἶχ' ἂν μέτρον.

492—499. Durum habeat pectus neceffe eft, cui hi verfus miferationem nullam faciant. *fortuna peracta*, proprie fortunae curfus. v. V. L.

Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum;
Arua neque Auſoniae, ſemper cedentia retro,
Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,
Quam veſtrae fecere manus; melioribus, opto,
Auſpiciis, et quae fuerit minus obuia Graiis.
Si quando Thybrim, vicinaque Thybridis arua,
Intraro, gentique meae data moenia cernam:
Cognatas vrbis olim, populosque propinquos,

495 *arandum eſt* Parrhaſ. 496 *Arua nec* Parrhaſ. et Goth. tert. 498 *Quae* ſec. Moret. 499 *fuerint* Gud. cum aliis Heinſ. et Burm. etiam apud Seru. Ita *auſpicia minus obuia Graiis* eſſent, quae a Graecorum auſpiciis ac fatis non aeque, atque ante, vincerentur, nec iis eſſent inferiora. 500 *Sic q.* Goth. tert. *et vicina* Witt. a pr. m. 502 *Cognatasque* ante Heinſ., ſed *que* abeſſe a codd. monuerat iam Pierius. *qui* aliquot Heinſ.

496. *ſemper cedentia retro.* inſ. VI, 61 *Iam tandem Italiae fugientes prendimus oras.* 497 — 499. cf. ſup. 349 ſq. *quae fuerit minus obuia Graiis:* h. periculis a Graecorum hoſtili impetu expoſita. Senſum recte exponit Seru. *id eſt, quae nullum patiatur excidium;* mox tamen ibidem miſcentur notiones: „*obuia*, id eſt, *obnoxia, inimica, contraria.*“ Sed *Troia obuia Graiis*, pro *inimica*, quod Cerda et alii arripuerunt, etſi exquiſite dictum, vt inſ. VI, 64 *Dique, deaeque omnes, quibus* obſtitit *Ilium et ingens Gloria Dardaniae*, tamen conſilio ſententiae parum videtur conſentaneum; igitur tenendum alterum: *obuia Graiis*, h. e. obnoxia, expoſita eorum furori; vt iam a Burmanno expoſitum video.

500 — 505. Ingenioſe poeta alludit ad ea, quae paullo ante euenerant. Poſt pugnam Actiacam Octauianus Nicopolin condidit, contractis in eam Acarnanibus, eamque liberam et cognatam ciuitatem eſſe iuſſit. v. Excurſ. XIII ad h. l. Haec tamquam

Epiro, Heſperia, (quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem caſus) vnam faciemus vtramque
Troiam animis. Maneat noſtros ea cura ne-
potes. 505
Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta:
Vnde iter Italiam, curſusque breuiſſimus vndis.
Sol ruit interea, et montes vmbrantur opaci.

503 *Epiri* Voſſ. *Epiro Heſperiam* Medic. Gud. a m. pr. duo Moret. pr. Rottend. et Zulich. An olim fuit *Epirom, Heſperiam,? — populosque verendos* Sprot. 505 *Troianis. M.* alter Hamb. 506 Vir doctus Britannus volebat verſus 506. 507 collocare poſt 520; repugnare enim inter ſe, quod prouecta dicatur claſſis et tamen mox adhuc in littore moretur. At v. not. *Prouehimus* Leid. vn. v. ſup. v. 72. 508 *et* deeſt Wall.

ab Aenea in anteceſſum conſtituta exponuntur. *data* ſc. fato *moenia.* v. ſup. 255. Mox *cognatas vrbes populosque propinquos Epiro* et *Heſperia,— vtramque* (retulit ad ſequens, pro *vtrosque,* ex vtraque ciuitate, Buthroto et Roma, a Lauinio oriunda) *faciemus vnam animis Troiam. Populos Epiro, Heſperia,* accipio, populos in Epiro h. e. Epiri et Heſperiae. Vides me apodoſin poſt *cernam* ſtatim auſpicari, quod iam Cerdam feciſſe animaduerto. Vt Burmannus poſt Heinſ. cum Seruio interpunxit, procedit prius membrum vsque ad *Atque idem caſus;* vt ſit, *cernam moenia, Cognatas vrbes populosque propinquos.* Atqui ſic et ſtructura et ſententia ſit aſperior aut nulla. *Heſperia quibus* et *propinquos Epiro* iungunt alii, quod prorſus ferri nequit. Etiam Burmannus illuſtrat *Dardanus Heſperia* h. e. Heſperia (Ἑσπερόθεν. cf. Seru.), quod locum hic vix habet. A *Dardano* autem Troianos omnino originem habuiſſe, adeoque et illos, qui Epirum, ſcil. Buthrotum, cum Heleno tenebant, et hos, qui cum Aenea Italiam petebant, ſupra vidimus v. 167.

506—511. Poſtquam Buthroto ſoluerant, legendo littus ad montes Ceraunios pro-

Sternimur optatae gremio telluris ad vndam,
Sortiti remos, paſſimque in litore ſicco
Corpora curamus; feſſos ſopor inrigat artus.
Necdum orbem medium Nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, et omnis
Explorat ventos, atque auribus aera captat;

509 *Sternimus* ed. P. Dan. *ad vndas* Ven. 511 *f. ſ. occupat* Voſſ. repetitum, ait Burm., ex IV Georg. 190. 512 *atra* alter Hamb. *horas atra* Ven. *horis apta* Goth. pr., non malo lapſu. 514 *vrbibus* Goth. pr.

cedunt. Hic ſub noctem deſcendunt in littus, ſcilicet, vt, cum mutandus iam eſſet curſus, ventum ſecundum excipiant. *vmbrantur* ex σκιᾶσθαι vel σκιάζεσθαι Homerico. cf. Od. γ, 487 et al. Quae ſequuntur, ex Od. ι, 168 ſq. illuſtrantur. *Sortiti remos*, per ſortem diuiſi ad officia remigandi. *Seru.* vt adeo pars in naui ad remos pernoctaret: aut, quod verius eſſe arbitror: nos, qui eramus *ſortiti remos*, qui diem remos agitando exegeramus, *ſternimur* etc. *irrigat.* ſup. I, 692. Venus *Aſcanio placidam per membra quietem irrigat*, infundit. At nunc eſt, perfundit membra ſomno.

512—517. Traiectum ex Epiro ad Italiae littus iuſta temporis, quod ille poſcebat, menſura vt declararet poeta: media de nocte claſſis ſoluitur. *Necdum Nox ſubibat orbem medium*, euecta erat coelum (cf. Excurſ. ad II, 8. 9), *acta horis*, exquiſite pro horis exactis. Quem poetici ſermonis vſum niſi teneas, poſſis *Noctem*, ſiue eius *bigas ab Horis actas*, ſuaui rerum ſpecie, intelligere. At Horae iungunt currum, non regunt; ſi bene memini. Media autem nocte, quando ſcilicet aura, inprimis in plagis maritimis, oriri vel mutari ſolet, ventus recte explorator a gubernatore; et *auribus* auram *captat*, ex leni aeris motu, in fluctuum ac velorum ſtrepitu. At Seruius: *naturale enim eſt, vt, a qua parte flaturus eſt ventus, ad eam auris admota frigidior fiat. tacito*

Sidera cuncta notat tacito labentia coelo,
Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumſpicit Oriona.
Poſtquam cuncta videt coelo conſtare ſereno:

515 *notant* Sprot. *tacita* Gud. 516 *Pliadasque H.* codicum pars apud Pierium, Heinſ. et Burm. cum binis Goth., neque aliter Macrobius legerat V Sat. 2. Sed repugnat id metro. Idem verſus ſup. lib. I, 744 cum ſimili varietate. *ſeptemque triones* pr. Hamb. 517 *circum aſpicit* Goth. ſec.

coelo, quia noctu. cf. Seru. ad totum h. v. et *notat*, ἐσοράᾷ. *gemini triones*, vtraque vrſa. Sed de hoc et de toto verſu 516 v. ſup. ad I Aen. 744, vbi idem verſus. *Armatum auro Orionem*, χρυσάορα, quia, vt bene Seru., *et balteus eius et gladius clariſſimis fingitur ſtellis.* Commentarii loco ſit Aratus a Germanico verſus: *Primus in obliquo rapitur ſub pectore Tauri Orion: nonnulla magis vicina notabit Stella virum, ſparſae quum* (f. *ſparſaeque in*) *toto corpore flammae. Tale caput, magnisque humeris ſic balteus exit, Sic vagina enſis, pernici ſic pede fulget.* Ex Arat. Phaenom. 586 ſq. — Lucanum I, 675 iam Seruius laudauit: *Enſiferi nimium fulget latus Orionis.* Poſuit autem poeta vno loco ſidera, non quae vno tempore conſpicua ſint, oriantur et occidant; ſed e quibus partim tempeſtatis mutationes omnino ac vices veteres augurabantur, partim, quorum conſpectus niſi puro ac ſereno coelo nullus eſt. cf. v. 518; adeoque, cum ea ſidera omnia nunc Palinuro in oculos incurrant, ſecuritatem coeli ſereni inde captat. vid. Macrob. Sat. V, 11. cf. I Georg. 394. 395 et mox v. 518 *coelo ſereno*. Caeterum in his verſſ. Homerum ante oculos habuit, egregie tamen ornauit ac variauit, Odyſſ. ε, 270 ſeqq.; Virgilium vero Ouid. Met. III, 594 ſq.

518—520. *Omnia videt conſtare*, compoſita et tranquilla eſſe; nihil, quod inconſtantiam et varietatem

Dat clarum e puppi signum; nos castra mouemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis:
Quum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona

520 *tendimus* alter Rottend. 521 *Tumque* Franc. 522 *Tum procul* idem cum Oudart. o. *montes* Parrhas. 523 *primum* sec. Moret. *conclamant primus* Doruill. Statii imitationes IV Theb. 807. III Silu. 2, 23 laudat Burmann. 524 *laeti* sec. Moret. et Goth. *socii laeto* quatuor Burm. et vnus Goth.

coeli ominetur, occurrere. Videtur ante oculos fuisse Lucret. IV, 462 *Et sonitus audire, seuera silentia noctis Vndique cum consient.* At Seruius sic reddit: *omnia videt habere coelum quae significant serenitatem.* — 519. *dat clarum signum.* quale hoc fuerit, quaerunt interpretes, num face sublata, an tuba. hoc haud dubie verum, et probat Burmann. sup. 239. *dat signum specula Misenus ab alta Aere cauo.* *castra* exquisite de copiis nauticis in littore tendentibus. Similia alibi v. Cerda. *velorum alas* h. e. extremas velorum partes, lacinias, angulos. Vulgo exponunt: quia vela nauis alae esse videntur.

521 sq. Ad Castrum Minervae appellunt Troiani, sub Hydrunto: quo loco planum ac molle littus; hinc *humilem Italiam;* siue quia procul ex alto visentibus terra semper humilis videtur. cf. sup. ad v. 76. cf. Seru. vnde Pompon. Sab. sua hausit.

525 sq. Aliter quam de corona vera crateri ex more sacrorum impositа vix haec videntur posse accipi; etsi dubitatio animum subit, vnde in alto florum copia fuerit. Sed hoc forte calumniari est. cf. sup. ad I, 724. Cum toto autem loco comparandus Pindarus in diuino de Argo-

Induit: inpleuitque mero; diuosque vocauit
Stans celsa in puppi.
Di, maris et terrae tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit
Iam propior, templumque adparet in arce Mineruae.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curuatus in arcum;

526 *vocabat* Wall. 527 *Stant* Medic. *prima in puppi* Gud. pro diu. lect. quod probat Heins., vt varietur hemistichium, quod et VIII, 680. IX, 261 recurrit. 529 *venti* Montalb. ab interpolatore. *v.* vel *nobis* Zulich. *facilem vento* Dorvill. *et adspirate* Wall. *fecunde* alter Rottend. 530 *Crebescunt* multi et hic male. cf. ad Georg. I, 359. 531 *que* abest a Leid. 532 *et* deest Wall. *prioris* Goth. sec. a m. pr. *ad l. vertunt* tres Burm. 533 Vulgo *Eoo*. At *Euroo* omnes paene codd. Pierii, Medic. et

naut. carmine Pyth. IV, in nona Strophe: ἐπεὶ ὁ᾽ ἐμβόλε πρέμνασαν ἀγκύρας etc. vss. 344 sq. Quod autem *in puppi* stat, hoc inde illustrandum est, quod in puppi tutela collocata erat, h. e. signum numinis, cuius tutelae nauis erat credita; vna cum soculo aut ara. Ad hanc igitur libatio et preces fiunt.

529. Afferte, date, *viam* nauigationem fastam *vento* h. e. vento secundo immisso; et adspirate, fauete, propitii. Verba singula cum dilectu. Mox 530 *portus patescit*, ad oculorum sensum.

v. sup. ad 411. 531. 2. Ad seqq. cf. Dionys. Halic. I, 51, Strabo VI, p. 281 B. et Excurs. de *Error. Aen.* sub f. Adde Cluuer. Ant. Ital. pag. 1240 etc. *Portus* est *Portus Veneris*. *Arx* pro monte (vt sup. 336. v. sup. ad 521), in quo templum Mineruae erat, quod Idomeneus condidisse ferebatur (Pompon. Sab. ad v. 530 *Portus Aetnei.* leg. *Idomenei*). 532. Ad verba compares sup. v. 207. *Vela cadunt, remis insurgimus.*

533—536. *Portum Veneris* describit satis ornate: situs

Obiectae falsa spumant adspargine cautes:
Ipse latet; gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.

caeteri vetustiores Heins. et sex Burm. Noua tamen ea forma ab *Eurus*, etsi analogiam habet in *Arctous*, *Lesbous* et al., et confunduntur fere *Eurus* et *Eous*; poteratque primo erratum esse *Euo* pro *Eoo*, vt *Eo* est in pr. Hamb. et in multis *Euro*. Vide Heins. ad h. l., qui *Eoo*, quod vulgatae edd. habebant, cum Pierio retinuit; non tamen, nisi in tribus quatuorue, iisque recentioribus libris, illud repererat; adde duo Goth. at alter *eroo*. *Euroo* tamen etiam Seruius interpretatur; et vsus est ea voce Priscian. in Periegesi, v. 871. *flatu* Exc. Cort. ex Hamb. sec., idque videbatur in Parrhas. fuisse, in quo etiam *Eoo* repositum erat. *curuatur* aliquot Heins. et Burm. cum edd. Ald. Iunt. *sinuatur* sec. Moret. 534 *adspargine*, antiqua forma, reposuit Heins., Medic. et Gudiano, Grammaticisque Velio Longo et Nonio auctoribus. Vulgo *aspergine*. De voce Burm. laudat Barth. ad Stat. II Theb. 675. Goth. sec. *vertigine*, quod absolute ita dictum equidem non memini. 535 *dimittunt* plerique codd., excepto tamen Medic. et nonnullis aliis. *deducunt* ed. Ven. Porro *Late patet* male Donatum legere, in Seruianis notatum: quod tamen in nostro Donato non occurrit. 536 *Erecti sc.* aliquot Pier. *ab litore* idem ex antiquis, et Heins. e potioribus. Vulgo *a litore* vt in vno Goth.

est versus Orientem. Efficitur ille sinuoso littoris flexu, scopulis vtrinque procurrentibus in mare et incurvantibus se, vt vtrinque pro mole sint portui praetenta, ad quam maris ex alto allisi fluctus extrorsum franguntur. *Euroo fluctu* ab Euro, vt, Arctous. v. var. Lect. *scopuli turriti*, in turris modum alti, *demittunt brachia muro gemino*, ab vtroque portus latere procurrentes in mare sensim decrescunt; Eadem fere sup. I, 162 sq. *Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur In coelum scopuli.* cf. Odyss. ν, 87 sqq. *brachia* bene tribuuntur scopulis, quoniam ambiunt portus latera, eumque a fluctibus et procellis tutum praestant. iidem *muri*, cuius speciem habebant. *refugitque a littore templum*, dum ab alto intuentibus in ipso littore situm videbatur, propius accedentibus retrocedebat quasi, *quia*

Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore niuali.
Et pater Anchiſes: Bellum, o terra hoſpita, portas;
Bello armantur equi; bellum haec armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, et frena iugo concordia ferre:
Spes et pacis, ait. Tum numina ſancta precamur

539 *At p. A.* quinque Burm. *Tunc* vn. Leid. ſic inf. 558. *o* abeſt a Rottend. tert. *bellum contra h.* Goth. ſec. 540 *Bella haec* alter Hamb. 541 *Et tamen* Ven. *curſu* Witt. *currum ſuccedere* vn. Leid., forte hoc exquiſitius. Burm. laudat not. ad Ouid. Met. XIII, 611. 542 *et ferre i. c. frena* Zulich. a m. ſec. 543 *Spes eſt p.* ante Heinſ., vt plerique codd. et edd., etiam in Seruianis ad v. 537 et ſup. ad I, 443. Sed Medic. cum aliis melioribus *Spes et p. Cum* alter Menag. *numina ſancta:* Ad h. v. Pompon. Sab. „*Ita et Probus legit et Apronianus.*“ Quae adeo

ſitum eſt in colle, qui ſenſim creſcit a littore, vt bene Seru.

537 ſq. Anchiſae interpretatio oſtenti et hic tribuitur: cf. Excurſ. extr. ad lib. II. Equos *candidos*, quod fauſti ominis eſt, conſpectos interpretatur per bella primo in Italiae aditu gerenda, quae tamen pacata rerum conditio excipiet. Remotiora ſunt, ſi bella Italiae cum Romanis geſta, vt olim faciebam, interpreteris; et 541. de Italia Romanorum armis pacata. Comparant Odyſſ. λ, 107 ſqq. de bobus Solis et de Neptuni equo Apollon. IV, 1364 ſqq., ſed parum illa ad h. l. faciunt. Caeterum ornate pleraque. *Tondentes campum late*, paſcentes late vagando. *bello armantur* ad bellum. *curru* h. e. currui. Multa hic Cerda, ſed argutiolas ſectans. Argutatur et Burmann. ad 543, qui equos candidos triumphantium huc advocat. Fundus interpretationis, quam Anchiſes facit, in eo eſt, quod equi etiam iugum ferunt.

543. 544. Palladi ſacrum faciunt, cuius templum in eo portu, v. ſup. 531. Hunc

Palladis armisonae, quae prima adcepit ouantis;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxuma, rite
Iunoni Argiuae iussos adolemus honores.

Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obuertimus antennarum,
Graiugenumque domos suspectaque linquimus arua.

memorabilis hic sit varietas, non assequor; nisi est quod alii *sacra* exhibuerunt, vt ex sec. Hamb. et Leid. notauit Burm. 544 *quae primum* duo Moret. et Rottend. sec. 545 *capite* ed. Iunt. *capite — velabar* Rusinian. de Schem. Lex. p. 35 (255). *capite* et *capute velamus* sex vel septem ap. Burm. miro lapsu: — *ante aram* idem Rusinian. l. c. Goth. tert., Montalb. et Voss. hic etiam *velantur*, et Wall. a m. pr. *velatur*. 548 *profectis* Franc. 549 *auertimus* coni. Io. Schrader. in schedis. Idem tamen commode laudat Ouid. Met. III, 676 *obstantes dum vult obuertere remos*. *antemnarum* scribunt multi codd. *ante minarum* Goth. alter. 550 *domus* Gud. cum aliis. *domum* sec. Moret. a m. pr.

intrant, et terram capiunt, ita vt ea, tamquam hospitio, eos excepisse videri possit. *ouantes* ornatius quam *nos*. Mox 545 spectat ad sup. 403 sqq. 546. 547. *dederat quae maxima* respicit sup. 435 *vnum illud — praeque omnibus vnum. praeceptis* pro e praecepto Heleni. *Argiuae* v. sup. I, 24, sed h. l. tantum ornat.

548—550. Item ex praecepto Heleni sup. v. 396 sq. Potest sacro hoc facto occupatio Italiae facta videri. Sed similes Iuris gentium aut publici notiones inter veteres non fuere; fuit sacrum χαριστήριον. *obuertimus* sc. pelago, vt VI, 3 *Obuertunt pelago proras;* nam si e sequ. versu, *domibus G.* h. e. litori; tum potius esset *auertere vela, antennas.* pro his doctius *cornua antennarum*, κεραΐα. *velatarum*, h. e. velis indutarum, vt alias *veliferae*. Mox de *Herculeo Tarento* v. Excurs. XIV ad h. v. Obscurum est, quorsum illa spectent: *si vera est*

Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Adtollit se diua Lacinia contra,
Caulonisque arces, et nauifragum Scylaceum.

551 *si fama est vera* Ven. 553 *Callonesque* Wall. Seruius: „*Aulonisque arces.* Aulon mons est Calabriae, vt Horat. II Od. 6 „*et amicus Aulon Fertilis* (ita legitur) *Baccho;* in quo oppidum „fuit, a Locris conditum, quod secundum Hyginum, qui scripsit „de situ vrbium Italicarum, Aulon est" (etsi in his postremis voc. dubia lectio). Potest haec Seruiana lectio doctrinae speciem habere; nam similiter *Aulonisque* exhibet Acron ad Horat. I Od. 16 (sed Cruqu. Comment. *Caulonis)* et *Aulonesque arces* pr. Rottend. Legitur autem ap. Strabon. VI, p. 261 B. ed. Par. Καυλωνία, πρότερον δ' Αὐλωνία λεγομένη διὰ τὸν προσκείμενον αὐλῶνα, h. e. convallem. Etiam Steph. Byz. h. v. ab Hecataeo *Auloniam* vocatam memorat, διὰ τὸ μέσην αὐλῶνος εἶναι (addit idem ab heroe *Caulone* mutatum nomen; qui forte *Caulus* ille est apud Seruium, Clitae Amazonis filius; sed probabilius est, dialecti aliqua duritie gutturalem accessisse, nam in Mazochii somniis ad Tabb. Heracleens. p. 527 sqq., vbi ex Hebr. *Kol*, de voce tonitru accepta, ducit, non moramur). Ex altera tamen parte primam litteram in principio versus excidisse in vno vel altero codice, quo Seruius vtebatur, non minus probabile est. Quod ap. Horat. II Carm. 6, 18 occurrit *et amicus Aulon Fertili Baccho*, vbi Vet. Schol. montem esse Cala-

fama. In *Herculeo Tarento* subesse necesse est fabulam, nunc obscuram, de Tarenti originibus ab Hercule ductis; cum vulgo ad Tarantem, Neptuni f., eae referantur.

552. Tarentinum sinum a dextra praetergressis in prospectu erat *promontorium Lacinium*, tum *Caulonia* in monte sita, et *Scylacium.* Liu. XXIV, 3 *Sex millia aberat ab vrbe* (Crotone) *nobile templum, ipsa vrbe nobilius, Laciniae Iunonis; sanctum omnibus circa populis.* v. ibi plura. Adde Strab. VI, p. 261 D et, praeter Cluuerium, Seru. et Cerdam, Aristot. de Mir. Audit. p. 726, Schol. et Notas ad Lycophr. v. 856. *attollit se,* quia appropinquantibus aut recedere montes videntur aut surgere. Seru. cf. sup. ad 411.

553. Versus austrum nauigantibus primo loco *Caulonis arces* apparent nauigantibus, h. e. Caulon, vel Cau-

Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna;
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa 555
Audimus longe, fractasque ad litora voces;

briae ait, et Intpp. laudant Martialis illud: *Nobilis et lanis et felix vitibus Aulon*, id ad Tarentinum agrum spectat, non ad hunc Locrorum Epizephyriorum, vt iam satis docti viri docuerunt, adeoque nil iuuat, quod h. l. *Caulonis arces* h. e. mons vel promontorium memoratur. eod. v. *nauifragum Scylaceum*. Σκυλλάκειον. Multum aberratum est in his vocibus a librariis: *naufragum, naufragium — Scillacaeum, Scyllacaeum, Scillaceum, Silaceum, Scylleum*, v. Pier. et Burmann. 554 *Cum* Rottend. sec. et Hamb. sec. *Trinacia* Seru. sup. ad v. 384. *cernitur hora* pro *ora* Hamburg. pr. et Graeu., quod et Io. Schrader. malebat. v. Burm. Leid. *cum procul — tollitur Aetna*, non male. Rottend. tert. *Trinacria cernitur. Aetnam Et gemitum p.* 556 *ab litore* aliquot Heins., minus bene. Sic tamen quoque Medic. a manu emendatrice.

lonia, in alto littore vel colle condita, Achaeorum colonia. v. Strab. VI, p. 261 B. Pausan. VI, 3 p. 459 et Intpp. ad Steph. Byzant. h. v. Serviana plane ineptiunt. Mox *Scylaceum* vel *Scylacium*, olim *Scylletium*, in conspectum venit, in interiore sinu, *nauifragum* h. l. dictum siue propter scopulosum littus, ad quod vrbs illa sita, Atheniensium colonia, siue propter tempestates inter tria promontoria Iapygum et Cocintum, frequentes et graues. Nam promontorium Scylacium frustra, puto, ponitur.

554—557. Scylacium sinum praeternectis iam e longinquo, tamquam in medio mari *(e fluctu)* Aetna Siciliae *cernitur* h. e. ex fumo et igni cognoscitur; auditur quoque fragor maris ad scopulos Scyllae allisi, iamque (557) apparet et oculis cognoscitur ingens maris aestus, quo Charybdin in propinquo esse intelligit Anchises. In toto loco ante oculos Vlysses Odyss. μ, 201 sqq. sed, vt recte haec teneas, cogitandum est, legendo littus Troianos iam ad interiora freti Siculi peruenisse; ibi et Scylla et Charybdis haud longe aberant. Nunc vide ornatum verborum: *saxa pulsata* fluctibus. 556 *fractas*

Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.
Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii; pariterque insurgite remis.
Haud minus ac iussi faciunt: primusque rudentem
Contorsit laeuas proram Palinurus ad vndas;
Laeuam cuncta cohors remis ventisque petiuit.

557 *Exsultantque vado* tert. Mentel. a m. pr., non infelici lapsu. 558 *At* sec. Rottend., vt alibi saepe. Sic sup. v. 539. *haec* abest a Mentel. pr. Goth. sec. *hic illa* Medic. cum aliquot Pierianis. 560 o deest Leid. et plerisque, quos Pierius viderat, cum Goth. alt. *etque* Franc. 561 *hac i.* Franc. *primumque r.* Reg. *rudentes* Gud. a m. pr. et Exc. Burm. *rudente* aliquot ap. Burm. et Pierium, ex interpolatione puto, vt ad funem referrent. *tridentem proram* coni. Heins. inf. ad V, 143 et Io. Schrader. in schedis. 562 *laeuam proram* ed. Ven. *in vnda* Leid. a m. pr. 563 *petebant* pr. Hamburg.

voces, maris fragorem; inf. 669 *sonitus vocis*. 557. *vada exsultant* h. e. mare ex imo fundo sublatum in altum egeritur. v. sup. 420 sq. τῇδ' ἄμοτον βοάασκεν ἀναβλύζουσα Χάρυβδις. Apollon. IV, 923. Mari e fundo exaestuante, *aestu*, arena miscetur aquae.

558—560. Respiciuntur Heleni dicta sup. 410 sqq. *Hos scopulos, saxa* int. Scyllam: sup. 420. *Eripite nos.* Vulgaris orationis taedium excutit poeta et in hoc, quod pronomina omittit; interdum ad nostros sensus satis duriter. Sed lenius hoc quam supplere *remos:* vt sit: *Eripite remos*, expedite. *insurgite remis*, v. sup. ad v. 207.

561—563. A littore Italiae, cum in medio freto iam versarentur, cursum deflectunt, adeoque a dextra in laeuam, ne in interiora freti aestu impulsa nauis rapiatur. *rudentem proram*, ὀγκώμενον, vt *gemere*, βοᾶν, *clamare*, h. e. stridere, impulsu fluctuum, ac sonare, vt etiam Seru. Vox et inf. occurrit VII, 16.

Tollimur in coelum curuato gurgite, et idem
Subducta ad Manis imos desidimus vnda.
Ter scopuli clamorem inter caua saxa dedere:
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.

564 *ad coelum* Medic. Pierii. *turbato* tres Burm., male. *in gurgite* pr. Hamb. 565 *Subducti* Parrhas. Mox vulgg. edd. ante Heins. *descendimus;* verum reposuerat ille (tamquam exquisitius) cum Medic. aliisque praestantioribus suis et Pierianis *desedimus*, quod Bened. et Pierius, tum ipse copiose illustratum dederunt; *desidimus* ex vno Montalb. proferebat, tamquam quod cum *Tollimur* melius tempore conueniret, et nunc receptum ab Burmanno vides. *consedimus* vnus Leid., male. 566 *ad concaua* Parrhas. *dederunt* Ven. 567 Totus versus abest a Goth. pr., alter *rotantia;* quamquam piget talia notare. 568 *relinquit* tres Burm. duo Goth. 569 *illabimur* Franc. *vndis* sec. Rottend.

564—567. Maris aestuantis et magnos fluctus mouentis, propter vicinam Charybdin et Scyllam, agitationem et motum concitatissimum in transcursu sentiunt Troiani. Sed aucta haec omnia in rerum miracula. Videntur autem v. 564. 565 ad Charybdin, et 566. 567 ad Scyllam sigillatim spectare. conf. sup. 420 sqq. et Cerda. adde ad Tibull. IV, 70—75. *desidere*, vt *sidere*, *subsidere*, proprie de rebus, adeoque etiam de nauibus, mersis vel depressis. v. Heins. ad h. l. et quos laudat Burm. 566. Fluctus cum fragore in cauernas littoris irruunt aestu maris propulsi; vnde retroacti in alios fluctus superuenientes incidunt; quibus allisi vndam in medio pressam eiaculantur. *Spumam elisam*, fluctuum ad cautem allisorum, ἐπιβλύει ὕδατος ἄχνη, Apollon. IV, 1238. *rorantia astra*, aqua in altum sublata roris instar guttatim desillante, probasse videtur saeculi Augustei genius. Nostris hominibus vix placeant! Ita tamen veteres saepissime. v. c. mox v. 574 *et sidera lambit*, de flamma Aetnaea. 568. Quam ornate! vesperi ventus, aquilo, cessat.

Portus ab adceſſu ventorum inmotus, et ingens
Ipſe; ſed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,

570 *inceſſu* pr. Hamb. *et abſceſſu* alter. *ab accenſu* Zulich. *ab occaſu* Graeu., ſed adſcriptum *acceſſu* — *motus* Vratisl. 571 *Ipſe* Pierius et alii cum *Aetna* iungunt. v. Burm. *ipſa* Erf. ſed, *Ipſe portus. ſub horrificis* — *ruinis* aliquot ap. Pier., ſed id eſſet vulgarius; *tonat* meliores, vt vis poetica poſtulat. Multi *ſonat*, vt ſemper variant. 572 *praerumpit* Doruill. *ad* abeſt a Gud.

570. Subeunt Troiani Portum Cyclopum. Proprie aqua eſt immota a ventis: inde eleganter portum ventis inacceſſum extulit: *Portus ab a. v. immotus.* Portum autem hunc, vt totum de Cyclopibus, eorumque terra, locum Homero ſublegit: Odyſſ. ι, 136 ſqq. Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος etc., qui verſus huius ſunt interpretatio. Portus ille Aetnae profluuiis totus nunc eſt oppletus, vt ex P. Bembo et Facello docuit Cluverius. cf. *Seſtini Lettere* Tom. I, Lett. 9. Extant ſcopuli, de quibus accurate nuper egit *Dolomieu.* Caeterum e Virgiliana narratione apparet, poetam fuiſſe inter eos, qui inſulam Caprariam et Cyclopum ſedes ante Aetnam in littore orientali collocarent; non ad Drepanum et Erycem, vt alii et forte ipſe Homerus: quos Cluuerius ſequitur.

571—577. Si alia de Aetna loca vis comparare, v. Cerda h. l. et Cluuer. Sicil. ant. lib. I, c. 8; et quis neſcit Cornelii Seueri Aetnam? quam nobis docte illuſtratam dedit Wernsdorf. Poet. min. T. IV. P. I. vbi v. p. 104 et p. 24 alios auctores laudd. Sed ea, quae ad Maronem faciunt, v. in Excurſ. XV ad h. l. Ad poetae noſtri ductum Iuſtin. IV, 1. 571. *horrificis tonat Aetna ruinis* h. e. fragore reſonat; quem faciunt ruinae viſcerum montis. ſatis grauiter. 572. *prorumpit*, emittit, ἀναπέμπει, antiquo loquendi modo, vt iam Lucret. conf. ſup. I, 246. vbi *mare proruptum.*

Turbine fumantem piceo et candente fauilla;
Adtollitque globos flammarum, et fidera lambit:
Interdum fcopulos auolfaque vifcera montis
Erigit eructans, liquefactaque faxa fub auras

573 *canente* a m. pr. Leidenf. *candore* Voff. 574 Haeferant Critici iam apud Gellium (v. Exc. XV) in hoc, quod poeta vno tempore fumum et flammas emitti faciat, cum tamen, quod Pindarus bene obferuauerit, *interdiu fumet Aetna, noctu flammiget.* Cui, fi poeta id vitiofe a fe poni putaffet, facile potuiffet occurrere, fcribendo: *Attollitue globos.* Enimuero fi poeta tam fubtiliter rem tractare voluiffet, cum noctu Troiana claffis appulerit, nihil aliud quam *flammam* memorare debuerat. Sed interualla habet inteftinus Aetnae labor non modo maiora illa extremi furoris et remiffionis, vide v. c. Strab. VI, p. 274 A. C., verum etiam cum femel exarfit, minora illa, fumi modo continui, modo inter fumum flammae; interdum cum flamma expulfa faxa. Vtrumque fequi poeta potuit; coniunxerat etiam omnia pariter Lucret. VI, 690 — 693, quem ante oculos habuiffe videtur Virgilius. 575 *conuolfa* aliquot Pier. et Leid. 576 *Erigit* Heinf. cum melioribus retinuit. At *Egerit* pr. Moret. alter Voff. et tert. Rottend. pro var. lect., Erf. et malit Burm. propter τὸ *eructans*, et adftruit copiofius Burm. Sec. ad Anthol. Lat. p. 350. Permutatio fane vtriusque vocis eft fatis obuia; v. fup. 423, et *egerere* per fe elegans effet; fed *erigere* et exquifitius ac doctius effe et maiorem vim habere videtur, vt in altum continuo tractu furgentia faxa ac metalla eniti videas. Inf. IX, 239 *aterque ad fidera fumus Erigitur.* VII, 529 *Paullatim fefe tollit mare et altius vndas Erigit; inde imo confurgit ad aethera fundo.* Porro *eruit* Menag. fec. *eruptans* Franc. *fub aftra* fec. Menag.

573: *Turbine piceo et fauilla:* h. e. globis fumi, cum cinere permiftis, φλόγας καὶ λιγνῦς, vt Strabo VI, p. 274 A. Aliter non accipiam. *fauilla candens*, vt *canus cinis;* ornans epitheton a rei natura ductum. cf. Lucret. VI, 689—692. De fcintillis Seruius exponit. 576. *Erigit eructans* ornatius quam eructat, ἐρεύγει, emittit, extrudit. *liquefacta faxa* h. e. in vitrum conuerfa, interdum admixtis metallis; vnde ῥύακες illi, riui igniti *(Lava). fundo*, ἐκ μυχῶν, vt Pindarus: *voluuntur ab imo fundamenta*, Auctor Aetnae 197.

Cum gemitu glomerat, fundoque exaeſtuat imo.
Fama eſt, Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Vrgueri mole hac, ingentemque inſuper Aetnam
Inpoſitam ruptis flammam exſpirare caminis; 580
Et, feſſum quoties mutet latus, intremere omnem

577 *glomerant* Hugen. 578 *Encheladi* Wall. cum aliis. *ſemiuſtum* merito reuocauit Heinſ. Libri plerique et edd. *ſemuſti*, cum non viderent, duas vocales contractas in vnam efferri, vt ſaepiſſime fit apud Graecos. 579 *more* Gud. a m. ſec. *hac mole* Oudart. *que* deeſt Montalb. 580 *expugnare* alter Hamburg. *ſpirare* Oudart. 581 *quotiens* duo Goth. et ſic Medic. *mutet* cum Medic. et aliis bonis libris Heinſ. *mutat* Donatus cum aliis; vti et bini Goth. (tert. *morat*). Sane *mutare latus* bene dicitur; et docuit ſatis illud Heinſ. cum aliis. Ad Callim. H. in Del. 143 fruſtra prouocant: Nam ἐς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο poteſt eſſe et *motat* (mouet ſe) et *mutat*. Sed *motat* pro *mouet* agnoſcit codicum pars, etiam ap. Pierium, et defendit Seruius, cum viris doctis; v. Cerda, et ante eum Guellius; poſſitque id tamquam exquiſitius praeferri, niſi perpetua et temeraria harum vocum in libris occurreret permutatio. Apud Statium III Theb. 595 *aut vbi tentat Enceladus mutare latus*, Virgilii imitatione, nulla varietas occurrit, niſi quod vnus *verſare* legit. In nonnullis etiam *motet*; in Wall. *moueat*. cf. Burm.

578—582. Nota vel ineptis hominum commentis fabula, quae ex antiquo phyſica phaenomena adumbrandi modo profecta eſt, cum ignem ſubterraneum cum fulmineo igni compararent; hunc itaque ignem in monſtro, quod fulmine percuſſum erat, viuum ac perpetuum durare. Pro Enceladо, quem tamen et alii agnoſcunt, vt Orpheus Arg. 1249. 1250. cf. Cornel. Seu. Aetna 70 ſqq., Typhoeum vel Typhonem memorant Pindarus l. c. et Aeſchylus (vt Briareum Callimachus in Del. 143); at Virgilius hunc ſibi ſeruauit ad ſimilem locum ſubterraneo igni notabilem inf. IX, 716 idque Homeri exemplo Iliad. β, 783. v. ad Hygin. f. 152: Cerda et alii. Pari exemplo ad Phlegraeos campos magno terrae motu collapſos Gigantum pugna ſuit traducta. cf. Notas ad

Murmure Trinacriam, et coelum ſubtexere fumo.
Noctem illam tecti ſiluis immania monſtra
Perferimus; nec, quae ſonitum det cauſa, videmus.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus aethra
Siderea polus; obſcuro ſed nubila coelo;

583 *Nocte illa* aliquot Pieriani, et duo Burm., ſed hoc vulgarius. *tecti ſiluis* omnes fere libri Pier. et Heinſ. itaque *in* recte ſublatum. De ſenſu ambigunt Cerda et Burm. Sed in littus eſcendiſſe Troianos noctemque ibi exegiſſe, dubitare nec narrationis modus nec veterum hominum mos ſinit; neque aliter Vlyſſes in eo ipſo loco, quem Virgilius hic expreſſit Odyſſ. ι, 150. 151. *tecti ſiluis* ad littus procurrentibus, in loco nemoroſo, in his ipſis ſiluis, ab interiore parte, accedentem mane ad ſe vident Achemenidem v. 590. Non autem, eaeque olim latae, ſiluae defuerunt Aetnae, vt ex Pindaro diſcas Pyth. I, altera Antiſtrophe: Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις κορυφαῖς καὶ πέδῳ. *inmunia* Medic. a pr. m. 585 *nec l. aether Sidera habet. polus* — Sprot. *aether* etiam Voſſ. cum Goth. tert. 586 *obstruſo* — *coelo* Goth. ſec., felici errore, ſi modo error nec priſca lectio eſt, cuius interpretamentum ſit *obſcuro*. Nam *obstruſum* exquiſite pro clauſum, occluſum, adeoque obductum, obſcurum. In libris fere illud cum voc. *abstruſum* variat, apud Lucan. Stat. et Claudian., quod vel Lexica docent.

Apollod. p. 69. 70, add. Geſner. ad Claudian. p. 444. Diod. V, 71. 579. *Aetnam inſuper impoſitam*, ὑπερθεν ἐπιτεθὲν ὄρος, *exſpirare flammas caminis ruptis* h. e. cauernis et receptaculis flammae ſubterraneis, quae noue *caminos*, fornaces, dixit. 582. *Trinacriam intremere* (nam vix *intremere* pro tremefacere poſuit poeta, vt Aetna ſubiectum eſſet) et (illum Enceladum) *coelum ſubtexere fumo*, exquiſite, vt *ſuffundere*. Vtrumque Lucret. in eadem re, loco iam Cerdae laudato, VI, 478—481.

583 — 587. Eſcenderant nocte oppreſſi in littus et in nemoroſo loco noctem exegerunt. *monſtra* h. l. monſtroſum phaenomenon, rem portentoſam. 584. *ſonitum*, fragorem montis. 585. *nec lucidus polus aethra ſiderea* h. e. ſideribus; nec coe-

Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.
Poſtera iamque dies primo ſurgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimouerat vmbram:
Quum ſubito e ſiluis, macie confecta ſuprema,
Ignoti noua forma viri, miſerandaque cultu,
Procedit, ſupplexque manus ad litora tendit.
Reſpicimus. Dira illuuies, inmiſſaque barba,
Conſertum tegumen ſpinis: at cetera Graius,

587 *in* deeſt binis Burm. *limbo* Goth. pr. 588 *namque* Montalb. Goth. pr. *prono* Goth. tert., frequenti lapſu. 589 *Humentesque vmbras* Ven. v. lib. IV, 7 et ſaepe alibi. 590 *Tum* Leid. Mox *e* deeſt Wall., etiam edd. nonnullis vulgg. *conſpecta* pr. Hamb. pro var. Lect. v. Burm. 591 *noua fama* ſec. Rottend. *vultu* tres ap. Burm. 592 *ad ſidera* Zulich. a m. pr. et Wall., librarii lapſu, cuius animo frequentior ratio inſederat. 593 *Proſpicimus* aliquot Pieriani. *ingluuies* Sprot. *dimiſſaque barba* idem cum Vratisl. cum Goth. ſec. (pro *demiſſa*), *promiſſa* Nonius in *promittere*, et Gud. a m. pr.: vtrumque vulgarius prae eo, quod excuſum eſt. *immenſaque* Witt. Seruium argutari arbitror. 594 *tegumen* Heinſ. ſcripſit cum Medic. et aliis vetuſtis. cf. eund. inſ. VII, 666, et ad Ouid. XIV Met. 166. Item Pierius e duobus.

lum ſtellis fulgentibus lucebat. 587. et *in nimbo*, nubilo aere, *tenebat*, occultabat, *lunam nox*. Ἀὴρ γὰρ περὶ νησὶ βαθεῖ ἦεν, οὐδὲ σελήνη Οὐρανόθεν προὔφαινε· κατείχετο γὰρ νεφέεσσιν Od. 4, 143. 144: quem totum locum Virgilius ante oculos habuit, laude tamen hactenus integra, quod Achemenidis perſona inducta magnam legentibus mirationem rei novitate facit. Imitatorem noſtri habes Ouidium XIV Met. 158 ſqq., vbi ad Cumas alius Vlyſſis ſocius ſubſtiterat.

588 — 592. *primo Eoo*, Lucifero, mane, ἠῷος ἀστὴρ, cf. Georg. I, 288. *vmbram humentem*, vti amant poetae *noctem humidam* (cf. Cerda), propter rorem.

593 — 595. cf. vet. poeta de Thyeſte apud Cic. Tuſc. Qu. III, 12. *immiſſa* in ſa-

Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.
Isque vbi Dardanios habitus et Troia vidit
Arma procul: paullum adspectu conterritus haesit,

Caeteri *tegimen* vel *tegmen;* hoc habebant edd. vulgg. Mox *et* vel *ac cetera* multi ap. Burm. 595 *Vt quondam* ita reposuit Burm. ex Hugen., vt sententiam melius connecteret: Poni enim *vt*, quemadmodum saepe, *vt erat, sicut erat.* Inde illa illuuies, inde detritae vestes, quod diu in obsidione Troiae haeserat. Vulgo legitur *Et.* Videat lector, an in hoc acquiescere malit; Equidem hoc reuocaui. Nam primum *Vt* parum commodum, quocunque modo accipias; (melius tamen positum dicas pro *quippe qui.* Ex Burm. sententia *Vt erat* plene fuisset eloquendum). *erat Graius,* h. e. Graeco habitu, *quippe qui ante Troiam fuisset.* Haec vix cohaerent. Porro, detritarum vestium causas ab obsidione Troiae repetere, ieiunum videtur. Sufficit aliquem per tres menses vitam in siluarum latebris exegisse. Itaque sequi malim Seruium: v. not. Nisi forte, quod arbitror, totus versus alienus et ex lib. II, 87 *Pauper in arma pater primis huc misit in annis* consictus. Certe eum, si absit, nemo facile desideret. Lenior medicina foret haec, vt versu seq. pro *Isque* legas *Namque;* vt sic oratio procedat: *at cetera Graius, Et quondam patriis ad Troiam missus in armis. Namque vbi Dardanios habitus et Troia vidit Arma procul, p. a. c. haesit.* Ita omnia inter se nexa; etsi Seruiana ratio sic satis rem expedit. 597 *aspectu paullum* Witt. *pauco aspectu* Goth. sec. *paullum a conspectu* Goth. tert.

ciem, adeoque exquisitius quam *promissa barba. Consertum spinis tegumen,* vestem laceram ac detritam habebat, et, ne panni diffluerent, spinis pro filis consutam et sartam. cf. Ouid. Met. XIV, 166, vbi multa ex Virgilio adumbrata. Ex his ipsis tamen pannis agnoscebatur *Graecus* esse: scilicet si totum vestitum et habitum hominis reputares. Latius Seruius: *Habet enim vnaquaeque gens incessum et vocem propriam.* — 595. *patriis ad Troiam missus in armis,* Homerica oratio, nam saepius similis forma, aliquem a patre ad bellum esse missum, occurrit. Adiicit Seru. *ex sequenti eius confessione hoc didicit Aeneas.* At de toto versu cf. var. Lect.

Continuitque gradum; mox ſeſe ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit. Per ſidera teſtor,
Per ſuperos, atque hoc coeli ſpirabile lumen: 600
Tollite me, Teucri; quascumque abducite terras;
Hoc ſat erit. Scio me Danais e claſſibus vnum,
Et bello Iliacos fateor petiiſſe Penates:
Pro quo, ſi ſceleris tanta eſt iniuria noſtri,
Spargite me in fluctus, vaſtoque inmergite ponto. 605
Si pereo; hominum manibus periiſſe iuuabit.

600 Rufinian. de figg. p. 26 (209 R.) citat: *per ſuperos atque hoc coelum;* lapſu, haud dubie, memoriae. *perque hoc coeli* Wall., non male. v. Burm. *numen* Leid. *ſperabile numen* a m. pr. Medic. 601 *quescunque* aliquot, antique. v. Pierium. *in quascunque* aliquot alii Pier. *adducite terris* Medic. a m. pr. *adducite* alii multi Heinſ. et Burm., ſollenni lapſu: *aduertite* etiam alter Hamb. pro var. lect. 602 *de claſſibus* Montalb. et ſec. Moret. 603 *Argolicos* Rufinian. de Schem. Dianoear. p. 269. 604 *ſceleri* Medic., ſed a m. pr. 605 *in* abeſt a binis Burm. *in fluctu* Venetus. 606 Praeclare hanc lectionem reduxit Heinſ. codicum fere omnium, etiam Pierianorum, auctoritate; in edd. vulgg. erat: *Si pereo, manibus hominum, p. i.* Fuere quoque qui diſtinguerent: *Si pereo manibus hominum p. i.* multo tenuius. Porro *Si peream* aliquot Pier. Male. Quod *pereo: hominum* cum nullo hiatus metu ponitur: graeco more fit, quo ω ante vocalem ſequentem haud facit hiatum; inprimis in verſus articulo.

599—606. *teſtor*, quaeſo, obteſtor. *hoc coeli ſpirabile lumen*, vitale, de quo (l. quo) ſpiramus: *Seru. lumen* autem pro aethere, aura; vt etiam poetae: *luminis aura*, quandoquidem lucem transmittit. *Danais* (pro Danaicis) *e claſſibus*, vnum e Danais. Ex Sophoclis Philocteta nonnulla cum his comparari poſſe, iam Cerdae monitum. *ſi ſceleris tanta eſt iniuria noſtri*, ornate, ſi ſcelus meum tantum eſt. *Spargite*, cum vi, discerptum diſpergite.

Dixerat; et genua amplexus, genibusque volutans
Haerebat. Qui ſit, fari, quo ſanguine cretus,
Hortamur; quae deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,
Dat iuueni; atque animum praeſenti pignore firmat.
Ille haec, depoſita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlixi,
Nomen Achemenides, Troiam, genitore Adamaſto

607 *amplectens* duo Moret. Leid. vn. Goth. pr. *volutus* iidem et alter Leid., ſed hoc vulgarius. Vulgatum defendit etiam Cariſius. 608 *Qui ſit* Heinſ. cum melioribus, vt iam ante Pierium lectum; alii *Quis ſit* vulgari ratione. *quo fari ſanguine* Sprot. *fari a quo* Menag. alter. 609 *agitat* Hamb. alter. 610 *haud plura* Parrhaſ., ex communi formula. v. Burm. *loquatus* Wall. a m. pr. 612 Idem verſus ſup. II, 76 in controuerſiam vocatus. *Ipſe* Doruill. 613 *Vlixi* et hic ab Heinſ. cf. Pier. 614 *Nomen*, poſt Ge. Fabric. Pieriumque, reuocauit Heinſ. e codd. cf. Toll. ad Auſon. p. 297.

607—611. *genibusque volutans haerebat:* ad genua prouoluens ſe inhaerebat, προσφὺς εἶχετο. *dat iuueni*, vt euitaret tenuem voculam *ei*. *praeſenti*, certo, *pignore*, quod manum dat, adeoque fidem, tamquam ἐνέγγ.

613 ſqq. Hoc de Achemenide episodium totum Virgilii ingenio deberi videtur, ſcilicet vt ita Homerica de Cyclope intexere ſuis verſibus poſſet. Nam delectare ſolet et hoc, ſi fabulas, notas quidem nec nouas, noua tamen cum variatione, nouo cum ornatu, et in nouo rerum vel narrationis ordine legimus. Temporum rationi quidem aduerſatur hoc episodium, quod iam apud Servium notatum videas; Vlyſſes enim inter initia erroris ſui ad Cyclopas venerat, at Aeneas multo ſerius. v. Exc. II *de Error. Aeneae annis:* ad a. 6. Sed in talibus, quae lectorem non offendunt, niſi moleſta ſubtilitate aliena a re praeſenti admiſcentem, male poetas reprehendas. *genitore pauperem:* cum genitorem pauperem

Paupere, (manſiſſetque vtinam Fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Inmemores ſocii vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere. Domus ſanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipſe arduus, altaque pulſat
Sidera, (Di, talem terris auertite peſtem!)

Vulgo *Nomine*, quod vulgare. Porro *Achemenides* ſcriptum, cum Medic. aliisque praeſtantioribus, etiam ap. Ouidium, vt ſit ὃν τὰ ἄχη μένει. Vulgo *Achaemenides*, quod nomen aliunde notius eſſe poterat. *Achimenides* alii, vt omnes Gothani. *Agamenides* Franc. et ſic Nannius. v. Burm. at graecum eſt Ἀχημενίδης. Tandem *Adamaſto*, ex Ἀδάμαστος, varie corruptum: *Adamaſco* ap. Pier. et al., *Damaſco*, *Damaſto*, *Adamaſtro*. 616 *trepidum* Sprot. *tepidi* Ven. *lumina* alter Hamb. et Goth. 618 *Domos* Medic. (a m. pr.) tert. Rottend. Sane *Domus ſanie dapibusque cruentis* duriſſima iunctura dictum, pro ſanioſa. Burmannus videtur probaſſe H. Stephani interpretationem: *opaca ſanie et dapibus;* quod et durum et ieiunum eſt. Obuia eſt emendatio: *Domus ſanie dapibusque cruenta;* ſicque Wittianum habere video; modo diſtinguas: *domus ſanie dapibusque cruenta Intus, opaca, ingens.* Saepe epitheta librarii accommodant proximo vocabulo. *Dapes* autem ipſae erant *cruentae*, hinc ſine dubio cruentatum antrum. Exemplis res non indiget. Inſ. VIII, 297 *ianitor Orci Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento.* 619 *ingens ipſe* iungit Waddelius ap. Burm., qui recte reiicit.

haberem. ſup. II, 87 *Pauper in arma pater primis huc miſit in armis.* Neſcio tamen, annon poeta ſua potius tempora, quibus militia inter vitae genera quaeſtuoſa erat (v. ad Tibull. I, 1 pr.), quam Homerica reſpexerit; nam addit: *manſiſſetque vtinam Fortuna!* Caeterum hoc dictum eſt elegantius quam: vtinam pauper, adeoque domi, manere maluiſſem!

616. Cum Vlyſſis ſocii, ne Polyphemus iniuriam vlciſceretur, fuga ſe proriperent, Achemenides forte remanſit. *trepidi*, bene adiectum, prae feſtinatione. 618. *domus ſanie*, pro ſanioſa, vſu caſus ſexti paullo duriore. v. Var. Lect. 620 ſq. *peſtem*, pe-

Nec visu facilis, nec dictu adsabilis vlli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent

621 *affabilis* retinuit Heins. codd. Grammaticorumque auctoritate; et Macrob. VI, 1 ab Accio in Philoctete sumtum testatur: *Quem neque tueri contra neque affari queas.* Statii etiam imitationem affert Burm. III Silu. 3, 72 *Terribilem adfatu passus visuque tyrannum.* Seruius tamen *nec dictu effabilis*, sermone non explicabilis; et inf. v. 644 *infandi Cyclopes*, ineffabiles, vbi ad h. l. prouocat. Esset itaque πέλωρ ἄῤῥητον, vel Hesiodeo voc. ὄτε φατεόν, quod Ruhnkenius ingeniose restituit Orpheo v. 926, et videri potest exquisitius. Sunt etiam codices, qui ita legunt, apud Pierium, plerique Heins. et Burm. possuntque similia memorari, v. c. Silius I, 176 *ferum visu dictuque.* Et affine huic alterum: *visu audituque*, quod saepe occurrit, iam inde ab Orpheo Argon. 901. cf. ad Pindar. P. I, 50. Recte tamen alterum praefertur, quandoquidem iunctum cum *nec visu facilis.* 622 *pascitur* Gud. tert. Rottend. et alt. Voss. cum pr. Goth. 624 *Pressa* etiam hic duo Burm. cum tert. Goth. 625 *exspersa* Seruius: „Haec fuit vera lectio, id est, madefacta: nam si *aspersa* dixeris, „tapinosis et hyperbole iunguntur, scilicet *adspersa* et *natarent.*“ Fateor me non satis assequi discrimen hoc inter *exspersa* et *aspersa*: sed praeferendum video alterum tamquam rarius et doctius: non quod maior vis insit. Erat tamen Seruiana lectio in nullo Pieriano, sed in optimo Menag. et quatuor aliis Heinsii, qui egregie adstruxit,

stillens et exitiosum hominum vitae monstrum. *nec visu facilis* h. e. cuius adspectum non facile aliquis ferat (ἀπροσόρατος voce Orphica, δυσαντίβλεπτος. Bene Seru. „*cuius possit etiam adspectus inferre formidinem*“) nec sustineat alloquium. Reliqua v. in var. Lect.

623 — 627. cf. Odyss. 4, 288 sqq. *corpora*, elegantius quam viros. *resupinus*, bene nisum iacentis exprimit, dum ad colligendas vires corpus reducit ac recurvat. cf. Burm. Homerus notionem magnitudinis et roboris in monstro tuitus est: Σύν τε δύω μάρψας, ὥστε σκύ-

Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent ſub dentibus artus.
Haud inpune quidem. Nec talia paſſus Vlixes,
Oblitusue ſui eſt Ithacus discrimine tanto.
Nam ſimul, expletus dapibus, vinoque ſepultus,

et in tribus Burm. et tert. Goth. Add. Bened. Reliqui *aſperſa* vel *adſperſa* (quod interpretamentum eſt alterius); *reſperſa* Sprot. et pr. Moret. *exſparſa* Witt. in margine. cf. ſup. ad v. 534. Eſt autem *exſpergere* proprie foras ſpargere et hinc diſpergere, diſſipare; et tandem *limina exſperſa*, reſperſa ſanie ac cruore *ex illiſis* humi corporibus. 627 *trepidi artus* Medicei aliorumque vetuſtiorum auctoritate receperat Heinſius, non offenſus eadem rei natura bis expreſſa: *trepidi* h. e. tremuli, *tremerent*. Tacite cum deſerunt Burm. antiquo reuocato *tepidi*, ſcilicet vitali calore. Paullo melius Ouidius XIV Met. 196 *eliſi trepident ſub dentibus artus*. 629 *eſt* deeſt binis ap. Burm. 630 *meroque* Wall., perperam.

λακας, ποτὶ γαίῃ Κόπτ'. tantae erant vaſti corporis vires! Reliqua a Virgilio ornatius expoſita. Niſi et ipſum voc. *reſupinus*, cum Seruio, de iacente humi Cyclope accipere mauis: quo ipſo magnitudo virtutis appareat, quod reſupinus hoc facere potuit. Conf. Ouidii verſus XIV Met. 205 ſq. ex h. l. expreſſos. *exſperſa* doctius, quam aſperſa. v. Var. Lect. *membra fluentia tabo*, oratio poetica pro vulgari, defluente tabo. Caeterum haec ad noſtrum palatum haud eſſe comparata, facile ſentias. conf. Exc. XVI.

628 ſq. cf. Od. *ι*, 299 ſqq., 316 ſqq. *oblitusue ſui eſt; ſui*, cum vi, h. e. ſuae aſtutiae ac calliditatis; quae iſta aetate eadem cum ſapientia habita, vt ex Homero obſervare in promtu eſt; ibid. v. 420: Αὐτὰρ ἐγὼ βέλεον — πάντας δὲ δόλῳ, καὶ μῆτιν ὕφαινον, Ὥστε περὶ ψυχῆς· μέγα γὰρ κακὸν ἐγγύθεν ἦεν. *in discrimine tanto*. 630. ex eod. l. v. 296. 297 Κεῖτ' ἔντοσθ' ἄντροιο τανυσσάμενος διὰ μῆλων. add. 371. *ſepul-*

Cerui̇cem inflexam poſuit, iacuitque per antrum
Immenſus, ſaniem eructans ac fruſta cruento
Per ſomnum commixta mero: nos, magna precati
Numina, ſortitique vices, vna vndique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua ſolum ſub fronte latebat,

632 *per antrum Immenſum;* ſic Seruius, Gud. a m. pr. alter Mentel. a m. pr. Voſſ. pr. duo Hamburg. totidem Moret. et Ven. ap. Heinſium, qui praeferebat; adde duo Goth. *iacuitque per a. Immenſus* Medic. cum caeteris etiam Pierianis; idque Burmannus potius duxit; recte quidem meo quaſicunque iudicio; nam et poetica oratione dignius et ἐνάργειαν maiorem habet, quam alterum. Nam, quod Seruius ait: *Immenſum* ad Polyphemi magnitudinem pertinet, quaſi in toto antro iacuerit; id potius ad τὸ *per antrum* vaſet, quod maius rei phantasma offert, quam *in antro*. Iam etſi adiicias: *iacuit per antrum Immenſum*, hoc non aeque rem in maius effert; potuit enim immenſi antri qualecunque ſpatium occupare; quam *iacuit immenſus;* et nunc δεινὸν eſt illud alterum *per antrum*, vt impleat ſuo corpore totum antrum. cf. ſimilem varietatem Ouid. III Met. 37, et ad lectionem diiudicandam Quinctil. VIII, 4, 83, idem interpretationem noſtram firmat. Porro *Immenſam ſaniem* aliquot Pieriani, et Zulich. a m. pr., Praue, *et fr.* ſcripti Heinſ. Burm. cum Goth. tert. *cruenta* Witt. 633 *ſumma p. Numina* Doruill. 634 *Nomina* Medic. *vna ordine* Wall. a m. pr. 635 *tenebramus* h. e. obſcuramus, excaecamus, legebat Donatus, cum aliis apud Seruium, aduerſus Homeri et Euripidis fidem et exemplum, vt iam Pier. et alii monuerunt: eſt enim τρίβειν, δινεῖν, τορνεύειν. 636 *iacebat* Ven., male. v. notam.

tus, motu et vita priuatus erat. 631—633. v. ibid. 372. 374. *πεῖτ' ἀποδοχμώσας παχὺν αὐχένα* — *inflexam* pro vulgari, reflexam. *iacuit immenſus* praeclare, cum notione vaſti corporis. 634. *ſortiti vices* h. e. quod vnicuique eſſet agendum. vide ibid. v. 331 ſqq. 634. 635. vide ibid. v. 378 ſqq. — 636. *latebat* quanto ornatius quam *erat!* vides eadem voce ſimul tornam frontem, horridas palpebras, hirſutum ſupercilium, λασία μὲν ὀφρῦς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ Ἐξ ὠτὸς τέταται Theocr. Idyll. XI, 71.

Argolici clipei aut Phoebeae lampadis inſtar:
Et tandem laeti ſociorum vlciſcimur vmbras.
Sed fugite, o miſeri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam, qualis quantusque cauo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque vbera preſſat,

637 *Phoebei* Wall. 638 *vmbram* alter Hamb. 639 *a litore* Witt. Edd. Ald. et Iunt. P. Dan. cum tribus Goth. *atque hoc ab litore* ſec. Moret. *funes* Franc. 641 *Iam* pr. Moret., eleganter, inquit Heinſ.; quod vix verum h. l. Verſus 641 ad 644 ab aliena manu interpoſitos acute ſuſpicabatur Iac. Bryant, offenſus inprimis τῷ: *qualis quantusque claudit:* de quo v. not. Omnino loco huic vltima poetae manus defuit. 642 *prenſat* alter Hamb. v. ad Ecl. III, 99. *preſſit* Montalb. *preſat* Franc.

637. *Argolici clipei:* erat is Argiuorum inuentum: Pauſ. II, 25. Apollod. II, 2, 1. vbi cf. Not. p. 277. et inf. Exc. IX. ad h. libr. Fuit ſane clipeus inde in communi Graecorum vſu, aliquando etiam a Romanis receptus pro ſcuto: potuit tamen Argolicus clipeus peculiare quid habere: quod rotundus erat, cum alii clipei eſſent oblongi; ſcuta etiam oblonga quadrata. Etiam Dionyſ. Halic. IV (p. 221, c. 16) Ἀργολικὰς ἀσπίδας Seruius rex ferre iubet ciues primae claſſis. *Phoebeam lampadem* eſſe Solem, non Lunam, in aperto eſt. E Callimacho translatum eſſe verſum, Faber pronuntiat; ſed hoc tantum de clipei comparatione verum eſt, H. in Dian. 53 de Cyclopibus: τοῖσι δ' ὑπ' ὀφρῦν Φάεα μεγόγληνα, σάκει ἴσα τετραβοείῳ, Δεινὸν ὑπογλαύσσοντα. Ex Virgilio ſua ſumſit Ouid. XIII Met. 851. 852. Mox 638 *vlciſcimur* ad ductum Homeri l. c. v. 475 ſqq.

641 — 644. Ornatum (partim ex Hom. l. c. 337. 341) vides: *Qualis* Polyphemus *eſt, tales* Cyclopes multi in vicinia *ſunt, habitant.* Eſt autem is poetarum mos, Graecis inprimis admodum frequentatus, in Pindaro vel centies obſeruatus: vt euite-

Centum alii curua haec habitant ad litora volgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia iam Lunae se cornua lumine conplent,
Quum vitam in siluis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,

643 *haec* abest ab Ven. *hic* Vrat. *habitant curua haec ad* pr. Hamb. *volgo* Gud. *passim* pr. Hamburg. 644 *et in a.* duo Burm. *atque altis moenibus* Parrhas. et tres alii. 645 *lumina* tres, vitiose. *se cornu lumina complent* Sprot. Satis bene. 647 *domusque* Menag. alt. Goth. alt. *vastaque ab rupe* Oudart. *vastoque* Franc. *a rupe* tres Burm., quem v. 648 *tremesco* scribunt fere codices, testibus Pierio et Burm.

tur tenuis oratio per verbum substantiuum *est*, statim attributa substituunt; itaque h. l. pro *qualis est Polyphemus*, ornatius dixit poeta: *qualis claudit atque pressat;* plenior oratio erat: *qualis Polyphemus est, qui claudit.* Tenendum hoc est in aliis locis, in quibus eadem orationis forma occurrit. Sic sup. I, 498 erat: *Qualis exercet* pro qualis est, cum exercet. An vero talis verborum ornatus trepidanti Achemenidi satis conveniat, dubitare forte possis. Sed in his cum poeta quodammodo tacite conuentum est in hoc, vt ii, quos loquentes inducit, poetica oratione vtantur. Quod nisi ita se haberet, quomodo tragoedia scribi posset?

647. *domos* sc. *ferarum* non otiosum post *lustra;* nam speciem rei clariorem exhibet, quam voc. proprium dabat. *ab rupe Cyclopas* iunge; prospicit in monte errantes. modo v. 644 *et altis montibus errant;* et inf. 655 *summo cum monte videmus;* item 675 *e siluis et montibus altis.* Mox 649 *Victum infelicem,* simpl. miserum, tenuem. Argutum puto, de infelici arbore ac-

Dant rami, et volſis paſcunt radicibus herbae.
Omnia conluſtrans, hanc primum ad litora claſſem
Conſpexi venientem. Huic me, quaecumque fuiſſet,
Addixi: ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.
Vos animam hanc potius quocumque abſumite leto.
Vix ea fatus erat: ſummo quum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole mouentem
Paſtorem Polyphemum, et litora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

650 *auulſis* Wall. pro *et v.* 651 *hanc partem ad litora* Donatus legit, quod Ge. Fabricio videbatur habere aliquid antiquitatis. *hanc primo a litore* Nonnius in *luſtrare:* quod placuiſſe Heinſio mireris, cum primae littoris parti vix credere ſe potuerit, qui latebras quaerebat; vt recte iam Burm. monuit. Et cf. Ouid. XIV Met. 218 ſq. loco e Virgilio expreſſo: *Haud procul adſpexi longo poſt tempore nauim* ad littusque cucurri. *primum in litore* Ven. Burmann. malit: *hanc primam ad l. claſſim.* 652 *Proſpexi* Medic. Gud. pro diu. lect. Colot. Parrhaſ., ſed iam *Proſpicio* v. 648. *Conſpicio* Ven., idem *Hinc me.* alter Hamb. *Huc me.* 654 *aſſumite* tres ap. Burm. 655 *in monte* aliquot Burm. et Goth. pr. 656 *gerentem* pr. Hamb. Vnde Burm. coni. *ferentem.* Sed vulgatum *ſe mouentem* multo praeclarius eſſe cum *vaſta mole* iunctum, quis non videat?

cipere. *lapidoſa corna* ab oſſe, quod in ſe habent. 653. *Addixi:* ſignato verbo exprimit deſperationem, ait Seru.; at quatenus? ſc. eſt pro, me tradere decreui, vt alias morti, ſeruituti, malo, ſe quis addicit. Addicunt ſe proprie, qui ſe vendunt, vt gladiatores. 658. Πέλωρ, πελώριον θαῦμα apud Homerum l. c. *informe*, vt ἄμορφον, deforme. *cui lumen ademtum*, h. e. excaecatum; deformitas noua praeter naturalem,

Trunca manu pinus regit, et veſtigia firmat.
Lanigerae comitantur oues: ea ſola voluptas,
Solamenque mali.
Poſtquam altos tetigit fluctus, et ad aequora venit,
Luminis effoſſi fluidum lauit inde cruorem,

659 *manu* Medic. (etſi interpolatus, et a recent. manu) cum praeſtantioribus omnibus Heinſ. et Pier. et vtrique id probatum: At Burm. veterem lectionem *manum* reuocauerat, recentibus tantum codd. et auctoritatibus firmatam, attamen in Quinctil. Inſt. VIII, 4, 24 lectam, et a qua lapſus difficilior fuiſſet ad alteram. Oritur ergo diſceptatio inter auctoritatem et rationem. Sed nec *manum* bene dictum eſſet; quorſum enim *manus* a baculo regenda fuiſſet, ſed *pinus* h. e. truncus pineus, *manu*, h. e. quam manu tenebat, *regit et firmat veſtigia* h. e. greſſus. Etiam Seruius *manu* explicat, ſed fere vt Pierius, qui *Monſtrum pinus regit* iungere videtur. Lapſus in primis ſtatim exemplaribus obrepere potuit: quod factum eſſe in multis veterum locis animaduertere licet. *Trunca manus pinum* Goth. pr. et tert. *gerit. format* Leid. 660 *haec ſ. v.* Goth. tert. 661 *malis* tert. Rottend. Verſus inexpletus in Ge. Fabricii libris, in Medic. duobus Mentel. vno Pier., quibus adde Fragm. Vatic., etſi et ibi recenti manu adſcriptum ſupplementum: *de collo fiſtula pendet*, quod caeteri fere codd. etiam editi habent, niſi quod duo tresue *pendebat fiſtula collo*, vt et Goth. tert. a m. ſec., Montalb. *dependit f. c.* Reiecta haec ab Heinſ. poſt multas virorum doctorum disputationes. v. Bened. Pier. Cerda et quos Burm. laudat. Neque, ſi ex codicum auctoritate rem aeſtimes, verſus facile retineri poteſt. Nam aliis reprehenſionibus interpunctione occurras: *ea ſola voluptas; Solamenque mali de collo fiſtula pendet.* Si tamen ad ſenſum meum iudico, etiam illa tollenda ſunt: *ea ſola voluptas Solamenque mali:* manifeſtum enim fit, eſſe eos conatus explendi verſus, a diuerſis auctoribus profectos. Nec bene cohaerent: *ea ſola v.* cum: *Lanigerae comitantur oues.* 663 *effuſi* alter Menag. et nonnulli alii, vti ſuſpicari licet; item Medic., ſed a m. pr. *effuſo. fluuidum* multi ap. Pier. et Burm., vt et aliis ſcribitur. *ille* Menag. ſec. *lauat* Goth. ſec.

vt Cerda monet. 659. In *manu* truncus pineus *regit eum*, *et veſtigia firmat*, firmum inceſſum praeſtat. Mox vero 662 *ad aequora venit*, vbi ad altum vsque mare proceſſit: pro vaſti ſcilicet corporis modo; 663 *inde*, ex aequore, aqua marina. Burmannus.

Dentibus infrendens gemitu; graditurque per aequor
Iam medium; necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare; recepto
Supplice, ſic merito; tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.
Senſit, et ad ſonitum vocis veſtigia torſit.

664 *infrendis* Gud. a m. pr. *infrens* fragm. Vatic. a m. pr., ſuppletum *infremens*. 665 *fluctu*, quod et ipſum bonum eſſet, et *fluctus* legi Seruius teſtatur et ex eo Pompon. Sab., ſed hoc alterum omnes habent Pieriani, excepto Porcio, in quo *ſ.* abraſa, et Heinſiani, praeter vnum Rottend. *ſtrinxit* aliquot Pier. Leid. *tingit*. Medic. et Sprot. *texit*, ſed ille a m. pr., Fragm. Vatic. nil mutat. 666 *celare* duo Burm. Goth. tert. a m. pr. *Nos trepidi procul inde ſ. c.* hic ordo verbor. ex Argent. Boecleri ap. Cuning. 668 *Verrimus* edd. etiam antiquiores, quas Pierius reſpicere videtur, et inter Heinſianos pr. Moret. et Ven. a m. ſec. Praetulit hoc Heinſ. et Burm., ille, puto, tamquam exquiſite poeticum, hic, quoniam *taciti* volebant discedere. At *verrere* de remis vim illam motus taciti non habet; niſi argutias ex etymologia capias; et *vertimus* caeteri omnes, etiam Medic. fragm. Vatic. et Donat., quod ſane et ipſum eſſe poeticum quis neget, quodque et alibi apud poetas occurrit, et inf. V, 141 *freta verſa*; quare codicum auctoritatem quid infringat, non video. Neque mihi videtur grauior ſtrepitus exire, ſi mare *vertant* remi, quam ſi *verrant*.

666. 667. cum Homericis morum vel vndae remis impulſae, vt ſup. 556 *fractae voces* pelagi. Cum poeta certauit l. c. v. 471. 472. adde Odyſſ. *ν*, 126 ſqq. *Sic merito*, εἰκότως. Nam *ſupplicem*, ἱκέτην, quis aſpernari auſit! ſiue, vt *merito* ſit aduerbium; ſiue, quia meritus erat ſic recipi. Mox 669 *ſonitum vocis*. *Vox* nouo exemplo pro ſtrepitu vel re- plura audacius extulerit, facile et hoc feras. Sin ferendum eſſe neges, cum Burm. *vocem* de hortamine et celeusmate accipies. Diſceſſerant quidem *taciti*, ſed *certantes remos* ad hortamen,

Verum vbi nulla datur dextra adfectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,

670 Diu haesi, an, *dextra* adfectare, reciperem: potest hoc ratio ac sententia suadere; alterum critica auctoritas; etsi, vt infinitis in locis, in tanta variae lectionis silua, difficile dictu est, in vtram lectionem maior librorum pars consentiat. *dextram affectare* multos codd. habere Pierius affirmat; Heins. e Medic. a m. pr. laudat, sed vitio forte scriptum, pro *dextrum*, nam sic a m. pr. praefert Fogginius. Etiam Burm. e solo Menag. laudat, *dextram affectare*, non tamen adscriptum, quid in caeteris eius libris legatur. At habet illud fragm. Vatic., cuius est antiquissima auctoritas. Quid sit *dextram affectare*, Seruius explicat, esse: dextram intendere et iniicere, scilicet vt possit nauem tenere: Terent. Heaut. III, 3, 60 *Ad dominam qui affectant viam*, id est intendunt, faciunt. Subiicit Seruius: „Nam, si *dextrâ* legeris, ait, „vt sit, *dextra affectare*, id est contingere, caret exemplo.“ At multo magis caret exemplo non modo, sed et analogia, *affectare dextram*, nam quarto casu effertur id, quod appetitur, cui manus iniicitur. Sic Georg. IV, 562 *viamque adfectat Olympo*. Sic *regnum*, *famam*, *plausum affectare*. Itaque e communi vsu *affectare dextram* esset appetere manum alterius, h. l. Troianorum; quod hic sensum non habet. Prorsus nouo itaque more poeta dixisse dicendus: *affectare dextram*, pro admouere. Contra *dextra affectare* sc. nos, nauem; analogiae consentaneum esset, hoc sensu: τῇ δεξιᾷ ὀρέξασθαι τῆς νηός. E codd. tamen istam lectionem enotatam non video, nisi quod a Pierio e nonnullis antiquioribus *dextra attrectare*, quod et pr. Rottend. habebat, vulgatae sc. interpretamentum, a Catroeo tamen receptum. *assertare* Wall. in marg. *dextrae affectare* tert. Moret. a m. sec. non male, inquit Heins. Nam *adiectare* vel *iniectare* dextram, quae facile cuiuis in mentem veniant, acutioribus non facile se probent. Prius illud, dum Marklandi locum in Epist. Crit. ad Fr. Hare p. 17 a Saxio indicatum euoluo, video a Valesio iam olim propositum, et ab Editore Cantabrig. probatum, a Marklando refelli et *dextra affectare* praeferri et illustrari. Hoc tandem et ipse cum Brunck. praetuli.

certe mutum, referri posse ille obseruat. *vestigia* pro ipsis gressibus, notum.

670. *dextra adfectare* appetere, attingere, nauem nostram. cf. V. L. 671. Vbi — *nec potis est, aequare fluctus Ionios sequendo*, accipi aliter non potest, quam de altitudine maris profundiore,

Clamorem immenſum tollit: quo pontus, et omnes
Intremuere vndae, penitusque exterrita tellus
Italiae, curuisque inmugiit Aetna cauernis.
At genus e ſiluis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora conplent.
Cernimus adſiantis nequidquam lumine toruo
Aetnaeos fratres, coelo capita alta ferentis,
Concilium horrendum; quales cum vertice celſo
Aeriae quercus, aut coniferae cypariſſi
Conſtiterunt, ſilua alta Iouis, lucusue Dianae.

672 *Clamorem horrendum* pr. Hamb. *ingentem* alter. *ponit* aliquot Pier. cum fragm. Vatic. a m. pr. 673 *Contremuere* Medic. cum Colot. *infremuere*, quod ſane et ipſum frequens de mari et fluctibus. Sed hic iungitur: *exterrita tellus.* 674 *tellus Trinacriae* Parrhaſ. et aliquot Pier. cum Goth. pr. ex interpolatione, quoniam *Aetna* ſequitur. *immugit* ſcribitur in multis codd., ſed v. Heinſ. *caminis* Vratisl., haud dubie ex 580. 675 *Et g.* Ven. *Et genus* Voſſ. pr. et Hugen. *e montibus* Medic. Gud. cum aliis Heinſ. *et ſiluis Cyclopum et montibus* Ven. Goth. pr. 676 *ad portas* duo Burm. *complet* plures alii. 679 *conſilium* alter Menag. cum Goth. tert. *vertice ſummo* Hugen. 680 *corniferae* tert. Goth. 681 *Conſtiterunt* Heinſ. cum melioribus ſuis et Pier.

quam pro monſtri procerita-te: qua aequus, par, ei non eſt. Nec, dum nos inſequitur, par eſt molis ſuae magnitudine altitudini maris, quae eo maior eſt, quo longius a littore proceditur. Porro ad 672 cf. Odyſſ. ι, 395. Vides poetam ad miraculum et prodigium res augentem.

676. *ad portus* cf. v. 570. *adſiantis nequicquam*, quia nocere (nunc) non poterant. *Seru. Aetnaei fratres*, populares, gentiles. Mox 678 *coelo*, ad coelum. *concilium*, exquiſite pro turba. 680. *coniferae cypariſſi.* Cupreſſus mas fert *conos* nuci pineae non abſimiles (v. Seru. ad h. l. et ſup. ad v. 64); *baccas* appellat Plin. XVI, 33. ſ. 60. At κώνους etiam Graeci. v. Athenaeus lib. I, p. 57. B. C. 681. *ſilua Iouis*, declarant querçus, ita-

Praecipites metus acer agit quocumque rudentis
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
* Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim

Vulgo *Constiterant*. aliquot Burm. et Goth. sec. *Constiterint*. Venetus *astiterant*. *lucoue* duo Burm. *lucisue* vnus. *que* Goth. tert. 682 *ruentis* fragm. Vatic. 684 *mouent* aliquot Pier. duo Heins. fragm. Vatic. duo Goth., vt fere alias variatur. *Scyllamque Charybdim* quidam scripti et editi, *Scyllaeque Charybdis* alii ap. Pier. cum Rottend. sec.; at pr. et duo alii Heins. *Scyllae atque Charybdis;* vnde suspicari possis *Scyllae atque Charybdis Inter vtrinque viam* ab aliis lectum fuisse. Heins. coniiciebat *Scyllamque Charybdimque Inter*, non male. *Scillam Charibdim* ed. Ven. *Charybdin* Gud. cum aliis. *Scylla atque Charybdis* fragm. Vatic., vnde suspicetur aliquis fuisse: *Contra iussa monent Heleni, Scylla atque Charybdis. Inter vtramque viam — Ni teneant cursus, certum est dare lintea retro.* aut: *Contra iussa monent Heleni Scyllam atque Charybdin. Inter* et reliqua eodem modo. Sed et hoc parum expeditum foret, et facile praeferas vulgatum, quod et Seruius et Donatus habent. Enimuero et melior sensus, et rei criticae vsus, mosque versificatorum, antiquiorum inprimis aetatum, facile eo adducit, vt tibi persuadeas, tres versus hos esse ab interpolatoribus, et quidem pluribus eundem lapidem mouentibus, profectos, qui, varia tentando, explere volebant ver-

que *lucus Dianae* ad cupressos erit referendus; adeoque de Diana infera vel Hecate aut Proserpina agi necesse est. Nam cupressus feralis arbor, alias Diti sacra, vt Plin. l. c. Potuisse dicas a poeta sic simpliciter ornari voc. *luci*, vt *Dianae* esset, cui omnino saltus curae sunt: esset tamen sic vsus insolens cupressorum.

682. 683. Nos metu agitati quocunque malumus cursum dirigere, quam in portu manere. *rudentes excutere*, vt vela pandant, euoluere, explicare et intendere; iam sup. 267. *excussosque iubet laxare rudentes. — ventis secundis*, int. quo ventus ferret; non exspectare ventum, quem cursus postulabat.

684 — 686. E pluribus verborum iuncturis, quas hic facere possis, et quas passim a Seruio, Donato, ac Pomponio Sab. inde Intpp. facere

* Inter vtramque viam, leti discrimine paruo, 685
* Ni teneant curſus: certum eſt dare lintea retro.
Ecce autem Boreas anguſta ab ſede Pelori

ſum imperfectum relictum: *Contra iuſſa monent Heleni.* Niſi forte ne hoc quidem Virgilianum erat; ſed meminerat aliquis intempeſtiuo loco discriminis a vento per fretum ferente, et praeceptorum Heleni ſup. vſſ. 410 ſq. Sequebatur poſt 683 in Virgiliano autographo: *Ecce autem.* 686 *Ne* Gud. cum aliquot Pier., ſed *Ni* antique. v. Seru. Heinſ. Caeterum hoc hemiſtichium: *certum eſt dare lintea retro*, tamquam a ſententia alienum, a noua manu ad ſupplendum verſum attextum eſſe videtur. 687 *ab ſ.* Heinſ. e libris et more poetae. Vulgo *a ſede.*

videas, illa videtur verborum locique naturae caeteris adcommodatior: *Ventos ſecundos*, qui tum a tergo ſpirabant, fac fuiſſe Notum vel Auſtrum; ab hoc reiici debuere verſus Charybdin et Scyllam (in quo poeta verſus Homer. Odyſſ. μ, 426 ſqq. ante oculos habuit); *Contra Heleni iuſſa* (monuerat is, ne per fretum nauigarent) *monent, ni (h. e. ne) teneant* (naues) *curſum inter Scyllam atque Charybdin, vtramque viam leti diſcrimine paruo* (per appoſitionem; vtraque, et Scylla et Charybdis, erat iter periculoſum, ſi per eam nauigatio fieret); Tamen, cum ventus verſus has partes ferret, ſc. ab auſtrali plaga ſpirans, *certum eſt dare lintea retro*, h. e. iam decreueramus, iterum mare Adriaticum repetere; cum, ecce, Boreas exoritur. *Heleni iuſſa*, v. ſup. 410 ſq, 429 ſqq. *ni*, antique pro *ne*. Sic Seru. et plures veteres Grammatici apud Heinſ. et alios. v. Horat. I. Carm. 14, 15. *teneant* ſc. naues. In ſimili re Od. γ, 172, vbi praecefferat Ἠιτέομεν δὲ θεὸν — ὄφρα φύγοιμεν —, ſequitur v. 176: Ὦρτο δ' ἔπι λιγὺς οὖρος ἀήμεναι· αἶ δὲ μάλ' ὦκα Ἴχθυόεντα κέλευθα διέδραμον. cf. Odyſſ. μ, 197. 221. Hactenus verſus infeliciter procuſos interpretatus ſum, quantum licuit. Sed v. iudicium noſtrum in V. L.

687. *Venti* poetis a montibus, tamquam ſedibus, petuntur (cf. Markland. Epiſt. crit. p. 56); itaque h. l. Aquilo

Missus adest. Viuo praeteruehor ostia saxo
Pantagiae, Megarosque sinus, Thapsumque iacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Vlixi.
Sicanio praetenta sinu iacet insula contra

689 *Pentagiae*, *Pantagyae* (hoc et Med. et Rom. cum fragm. Vatic., sed Παντα γίας, ὁ ἄγων h. e. ἀγνύων πάντα vndae impetu). *Tapsumque*, *Tassumque*, *Taxumque*, *Thabsumque*, *Capsumque*, librariorum lapsus: *Tharsumque* Rom. Est Θάψος. 690 *mandabat* Parrhas. *retrorsus* apud Prisc. et in codd. Pier. et Heins. *retorsum* Goth. tert. 691 *Vlysi* Prisc. et Probus. Vulgo *Vlyssei*. Vltima, *comes i. V.* ex v. 609 assuta putabat Burm., offensus scilicet epitheto *infelicis*: quod in Aeneae ore grauius aliud desiderabat. 692 *Sicanio*. Fuere qui *Sicano* emendarent: quia

a promontorio Peloro, ad fretum Siculum; hinc *angusta ab sede — Missus*: puto exprimi ἵημενος vel ἑέμενος: is nauem fert secundum littus Siciliae orientale versus austrum.

688. 689. *Viuo ostia saxo Pantagiae. Pantagias* (nunc *Fiume di Porcari*) paruus fluuius, breui cursu, infra Leontinos, cuius ostium praeruptis vtrinque rupibus includitur: de eo v. Cluuer. Sicil. lib. I, c. 11. Doruill. Sicula p. 206. 207. *viuo saxo*, vt I, 167 *viuoque sedilia saxo*. *Saxa rotantem Pantagiam* dixit Claudian. de R. P. II, 57 in loco hinc expresso. *Megara* sunt h. l. Hyblensia, quia olim Hybla parua dicta, non longe a Syracusis, in sinu Megarensi, *Golfo di Augusta*, quem ab australi parte includit *Thapsus*, peninsula in mare procurrens, *plana, paene fluctibus par*, ait Seruius, qui insulam appellat, vnde *iacentem* dixit poeta, h. e. humilem, non altam montibus.

690. 691. *relegens retrorsum*. nam cum Vlysse a Lotophagorum inde insula, littori Africae praetenta, Siciliae littus orientale ad Cyclopas vsque (cf. ad 570) praeternauigauerat. itaque *littora* iam *errata*.

692—696. Insula *Ortygia*, et ex aduerso *Plemmyrium*

Plemmyrium vndoſum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare: qui nunc 695
Ore, Arethuſa, tuo Siculis confunditur vndis.
Iuſſi numina magna loci veneramur; et inde

media alibi producitur; ſed v. ad I, 557. 693 *Plemyrium* Rom. Medic. et alii duo; vt et graece ſcriptum ap. Steph. Byz. Sed plerique Πλημμύριον. At *Plemirium*, *Plemurium*, *Pleuron* librariis debentur. *vnde dixere* Parrhaſ. 694 *hic* ed. Ven. 695 *habuiſſe vias* vnus Pier., ſed v. Burm. *quae nunc* duo Burm. 696 *confundimur* Menag. pr. *perfunditur* aliquot Pier. 697 Ordinem verborum ex optimis libris reduxit Heinſ. Vulgo: *Numina m. l. iuſſi v.* Sed alter ordo grauitatis plus habet. *venerantur* Sprot.

promontorium, ad aditum ſinus et portus Syracuſani. In eadem fons Arethuſa, de quo et de fabula ſuper eius cum Alpheo Elidis fl. congreſſu v. ſup. Ecl. X, 1 et 4. *vndoſum* h. l. περικῦμον, quod aeſtuantis maris fluctibus alluitur; vnde et ipſum nomen πλημμύριον. *occultas egiſſe vias ſubter mare*, τήν τε Θάλασσαν Νέρθεν ὑποτροχάει Moſch. Idyll. VIII. *ore tuo*, eodem fonte; vnde Pindaro Arethuſa ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεῖ Nem. I, 1. v. Cluuer. Sicil. ant. p. 163. 157.

697. *Iuſſi*, admoniti, ſed a quo? vel ab Achemenide, vel ab Heleno, vel ab Anchiſe, ait Serv. Hoc vltimum verum puto. Nam per totum librum eae ſunt Anchiſae partes, vt religiones et auſpicia curet; at Helenus tantum de Iunone placanda monuerat vſ. 436. *Helorus* fluuius in littore orientali paullo ſupra Pachynum promontorium: de quo accurate egit Cluuerius e Fazello. Primum ille inter ſpecus et exeſas rupes procurrit, vnde Silio *clamoſus Helorus*; mox, vbi ad littus acceſſit, placido ac leni curſu incedit, et hieme, clauſo maris fluctibus oſtio, frequenter excreſcit ſtagnatque, vnde agri vicini pingueſcunt plurimum (Nunc *Atellaro* et in inferiore parte *Abiſo*). *Exſupero*, h. l. praeteruehor.

Exſupero praepingue ſolum ſtagnantis Helori.
Hinc altas cautes proiectaque ſaxa Pachyni
Radimus; et fatis numquam conceſſa moueri
Adparet Camarina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela fluuii cognomine dicta.

698 *Helori* inde a Pier. et Heinſ. Ἕλωρος. Vulgo *Elori*. 699 *Hic* Menag. alter. 700 *Redimus* Goth. ſec. a m. ſec. 701 *Camerina* ſane maxima ſcriptorum pars. Sed in talibus ſcripti non ſunt audiendi, ſed Graeci; quibus Καμαρίνα: etſi Salmaſio ad Chronic. Euſeb. p. 250 hoc dandum, vulgari vſu tandem litteram inflexam fuiſſe. *montesque G.* Parrhaſ. *Geloni* Ven. Vratisl. *Geloti* Wall. 702 *Inmanisque Gela fluuii cognomine dicta.*

699. *Pachynum,* promontorium Siciliae ab auſtrali parte *(Capo Paſſaro). proiecta ſaxa* expreſſit Gr. *προβλῆτες σκόπελοι.*

700. 701. *Camarina nunquam conceſſa moueri:* accipio, palus, quam deus conſultus vetabat mouere, cum Camarinenſes canali ducto eam exſiccare vellent. *moventur* ea, in quibus aliquid molimur, nouamus, mutamus. Seruii verba apponam: „Palus eſt iuxta eiusdem nominis oppidum: de qua quodam tempore, cum ſiccata peſtilentiam creaſſet, conſultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, reſpondit: Μὴ κίνει Καμαρίναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων· quo contemto exſiccauerunt paludem, et carentes peſtilentia, per eam partem ingreſſis hoſtibus, poenas dederunt.“ Similia narrant Steph. Byz., Suid. et Anthol. Gr. apud Cluuer. Sed quae illa vrbis expugnatio fuerit, nusquam declaratur. Ter Camarinam fuiſſe conditam, ex Thucydide aliisque docet idem Cluuer. Caeterum poetam haec ex ſua potius, quam Aeneae narrantis, perſona dixiſſe, iam Seruius vidit; quod tamen de toto hoc loco non minus tenendum. Nam omnes illae vrbes et locorum nomina Aeneae temporibus recentiora ſunt.

701. 702. De ſitu vrbis et fluuii *Gelae* camporumque res parum explorata. v. praeter Cluuer. et quos Burmann.

Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Moenia, magnanimum quondam generator equorum.

Haeremus in voc. *inmanis*, quo modo vrbs Gela ita appellari possit: v. notam. Forte fuit *Innantis* sc. campis fl. vt Horat. III, 17, 7. *innantem Maricae Littoribus tenuisse Lirin*. *Gela* noli mutare; vrbs proprie ἡ Γέλα, et fluu. ὁ Γέλας. *de nomine* Parrhas. et Hamb. pr. 703 *A. atque A.* Puget. Fluctuant et hic libri inter *Agragas* et *Acragas*. *ostendit* alter Menag. 704 *quondam* vatem decebat, non poetam, qui Aeneam narrantem inducit. Io. Schrader. ea re offensus in schedis delet versum, et continuat: *Acragas ostentat moenia longe, Teque d.* Ita vero plura in hoc loco erunt delenda, in quibus temporum ratio neglecta. cf. not. ad 700. 701.

laudat, Doruill. Sicula c. 6. Acquiescit Doruillius in Cluverii sententia, esse Gelam, qui nunc *Fiume di Terra Nuova*, Campos autem Geloos, egregiae fertilitatis planitiem, latius cis et vltra fluvium patuisse, quam vulgo creditur. Sed, quorsum *immanis* spectet, dubitari potest. Loca hinc expressa Claud. R. P. II, 58. Sil. XIV, 218 nihil iuuant. *magnam* interpretantur; sed vrbis amplitudinem nemo veterum memorat. Procliue est, ad dominos referre, vt saepe in vrbium epithetis fit, vt ab incolarum vel dominorum moribus et ingeniis ducta sint. Atque eo deuenisse etiam Doruillium video in Sicul. p. 129. Gelae tamen tyrannos saeuos et immanes fuisse, vnde doceri possit, mihi non satis constat. Nam, quae apud Herodot. VII, 153—156 de iis memorantur, ad immanitatem non adsurgunt. Igitur de tyrannis Gela oriundis, Hierone et Thrasybulo, Gelonis fratribus, Syracusarum tyrannis, erit accipiendum. Proponitur etiam a Doruillio altera interpretatio, vt ad vrbis situm ad amnem verticosum et immanem referatur. Ita *Gela immanis* erit in loco immani, horrendo, sita: nec male hoc. Sed neque loci tanta immanitas et fera facies esse videtur, vt ab ea potissimum designari potuerit a poeta.

703. 704. *Agrigentum* in monte Acragante situm, ma-

Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus; 705
Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.
Hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora

705 *Selinys* vel *Selinis* etiam hic fere libri. *Salinis* Goth. tert. cum ed. Ven. v. Pier. Heins. et doctiss. Commentar. Burmanni ad Numism. Sicil. p. 420. 421. Est Σελινοῦς, ex Σελινόεις. 706 *caecis L. saxis* Goth. pr. 707 *Dripanì* Moret. sec. *portus me et* primus. *me* deest Montalb. *ineluctabilis* Zulich. a m. pr. *illectabilis* Goth. pr.

ximis quondam opibus ex agri fertilitate et Carthaginiensium mercatu refertum; hinc ciuium magnificentia et luxus. Aluere iidem equos ad certamina Graeciae, et inter Olympionicas fuit Theron Agrigentinus a Pindaro celebratus. v. Seru. et Burmann. quamquam ad hunc solum respici a poeta non dixerim. Gratius Cyneg. 526 *per illos* (equos) *Cantatus Graiis Acragas*. Vide de hac vrbe Cluuer. et Dornill. pag. 88. 89. *quondam* paullo incautius adiecit poeta, contra temporum ordinem. v. V. L.

705. *Selinuntem* palmis agrestibus abundasse, ex Cicer. Verr. V, 87 satis constat. Ex nostro expressit XIV, 200 Silius Ital., quem in toto hoc loco comparare iuuabit. De Selinunte copiose post Cluver. Dornill. p. 60 seqq. et 420 sqq., vbi et ruinae duorum templorum eius vrbis oculis subiectae sunt. *datis ventis*, orto vento.

706. *vada dura saxis caecis* h. e. latentibus. *dura* (ne *dira* coniectes) *vada* dixit, h. e. locum vadosum fundo saxeo, quoniam extrema Lilybaei promontorii ἄκρα, plana atque depressa, ad III M passuum sub vndis protenditur, in trium circiter cubitorum altitudinem tecta. Cluver. II, 1 pr.

707. *Drepanì — illaetabilis ora.* Ager Drepanitanus sterilior et fere arboribus et herbis destitutus; solum enim arenosum; et praeterea multos in tractus aqua marina exaestuat, stagnandoque salem profert; et ob hunc ruris illius moestiorem

Adcipit. Hic, pelagi tot tempeſtatibus actus,
Heu genitorem, omnis curae caſusque leuamen,
Amitto Anchiſen. Hic me, pater optime, feſſum
Deſeris, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digreſſum veſtris deus adpulit oris.

708 *actis* omnes Pier. et magna pars Heinſ. et Burm. cum ipſo Romano. Alii c. edd. *actus*, inter quos et Mediceus referendus. *actum* Voſſ., ſcilicet genitorem. *aptis* Goth. pr. Iam *tempeſtates actas*, hoc eſt, vel pulſas vel exactas, dici, dubitari nequit. v. h. l. Heinſ. cf. ad Georg. I, 413. Sed an tempeſtates dispulſae fuerint, nunc non quaeritur. Igitur recte, *actus*, de Aenea. Solent autem librarii flectere adiectiua et participia ad propius vocabulum. 709 *oneris* Ven. *omnis* Parrhaſ. in litura. 710 *Anchiſam* Parrhaſ. *Anchiſem* Ven. 711 *nequicquam erepte ruinis* Sprot. 713 *nec dira* aliquot Burm. Duo quoque *dura*. 714 *haec* deeſt alteri Menag. 715 *disgreſſum* Witt. *veſtrae — orae* Gud. a m. pr., ſed v. Burm. *applicat* Parrhaſ.

adſpectum non minus, quam ob Anchiſae hic locorum amiſſi memoriam, ab Aenea Drepanitana ora vocari *illaetabilis* videtur.

710. Super *Anchiſae obitu* v. Excurſ. XVII. 712. Comparant Homerica Iliad. ρ, 407 — 410. Imitatur noſtrum Valer. Fl. III, 301 ſqq. 715. Redit ad lib. I, 34. *Vix e conſpectu Siculae telluris in altum Vela dabant laeti.* Ex Odyſſ. η, 276. 277. Mox

Sic pater Aeneas, intentis omnibus, vnus
Fata renarrabat diuom, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quieuit.

717 *Fataque narrabat* aliquot Pier. *enarrabat* alter Menag. *recenſebat* qu. Moret. Sed *renarrabat* haud dubie vere; non vt argutari velim cum Seruio et aliis, ſed vt aut pro ſimplici et vulgari, *narrare*, ſit poſitum, poetarum more, aut ad eum modum formatum, quo *repeti* et *iterari* res, quas narramus, dicuntur. cf. Burm. *diuom*, parum commode interpoſitum, offendebat quoque Io. Schrader., qui emendabat, *Troum*. 718 *factoque* Rottend. ſec. *his* Sprot.

716 *vnus* ſc. inter caeteros *omnes intentos*. 718. *facto- que hic fine quieuit:* ornate: et narrationis finem fecit.





EXCVRSVS I

De Aeneae Erroribus.

Cum errores Aeneae magna cum doctrina perſequutus ſit poeta, nobis autem hoc propoſitum ſit, vt eam doctrinam curioſius exquiramus: agedum, vt ea penitus inſpiciatur, de curſu, quem Aeneas tenuit, paullo accuratius videbimus, adhibitis iis, quae ab aliis ſcriptoribus eadem de re erant tradita *). Ante omnia monendum eſt, cum certam ſedem, quam peterent, nondum haberent, Troianis proxima littora Thraciae legenda fuiſſe; mare autem recta ne traiicerent, metus prohibere debuit, ne aut Achiui in patriam redeuntes eos inſequerentur, aut ipſi in Achivorum claſſem diſperſam inciderent.

Ex portu Antandri Aeneas nauibus XX ſoluit: lib. I, 381 *Bis denis Phrygium conſcendi nauibus aequor.*

*) Video nunc ſimilem conatum Abb. *de Pluche* in *Concorde de la Geographie des différens ages* (1764), vbi p. 356 *La Geographie de l'Enéide, ou le Voyage d'Enée.*

Eúndem numerum habuit, cum anno abhinc ſeptimo Sicilia discederet. Nam I, 170 ſeptem nauibus ipſe ad Africae littus appulerat; XII aliae aliis locis I, 390 ſqq.; vna Orontis fluctibus merſa I, 113. In altum euectus primum Hellespontum claſſe petiit, et, vt tum nauigantium mos erat, vt littus legerent, ad oſtia Hebri appulit vrbemque *Aenum*, ſeu *Aeneadas*, vt poeta appellat, condidit III, 16 — 18. v. Excurſ. II de Annis Error. Aen. a. 2. Dubitari enim non poteſt, poetam de hac vrbe cogitaſſe, quandoquidem fabulam de Polydori vmbra ſubiicit, quae a vicina Cherſoneſo bene eo traduci potuit. v. Not. ad III, 13. Latius paullo Ouid. Met. XIII, 429 *Eſt, vbi Troia fuit, Phrygiae contraria tellus, Biſtoniis habitata viris* etc. Sed in Cherſoneſo Polymneſtoris ſedem fuiſſe dubitari nequit. v. Eurip. Hecuba 569 ſqq.; nam iisdem locis Hecuba in canem fuit mutata. Et Cynoſſema erat ad Hellespontum apud Seſtum. v. Pollux V, 5. Intpp. Steph. Byzant. ad h. v. Cellar. Geogr. ant. Etſi non deſuere, qui et in hoc discreparent, vti Dictys V, 16, ſed de communi fide, quam poetae ſequuti ſunt, nunc quaeritur.

Habuit autem Virgilius in hoc conſentientes plerosque e Romanis ſcriptoribus. Mela II, 2 *Eximia eſt Aenos ab Aenea profugo condita.* Plin. IV, 11 *Os Hebri — oppidum Aenos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio;* adde Solin. c. 10, et ibi Salmaſ. miſcentem ea, quae apponit. Etiam Ammian. XXII, 8, vbi v. Valeſ. cf. Seru. ad III, 1 et 17. Nec tamen poeta huius opinionis auctor eſt putandus, ſed habuit veteres auctores, quos ſequeretur, etiam inter Romanos Q. Lutatium, nam is in *Hiſtoriis* ſimilia tradiderat: *Aeneam primum Thraciam appulſum, Aenum ex ſuo nomine condidiſſe, dein cognita Polymneſtoris perfidia ex Polydori nece, inde digreſſum.*

Cur tamen poeta non Aenum ſed *Aeneadas* vrbis nomen prodidit? Scilicet Aeneadas recte dixeris incolas, eorumque adeo nomine vrbem potuit inſignire, vt tot

aliae vrbes, v. c. Gabii, Tarquinii, incolarum nomine designabantur. Sed id non ab *Aeno*, verum ab *Aenea*, Αἰνείᾳ, duci potest. An igitur illa ad Hebrum vrbs etiam Αἶνεια appellata fuit? Atque sit probabile, hoc ita se habere.

Scilicet alia, eaque constantior, inter Graecos maxime, fama obtinuit, ad *Chersonesum Pallenen* Aeneam appulisse, ibique Aeniam (Αἶνειαν) vrbem condidisse. Inhabitabant illam tum Thraces *Crusaei* vel *Crossaei*, fidissimi Troianorum socii. Haec Dionysius ex Hellanico docet lib. I, 47 et 49. conf. Herod. VII, 123 et ibi Not. (*Chrysaeos Thracas* scriptum videas apud Pompon. Sab. ad Aen. III pr., sed eius tota nota ex Dionysio est descripta, ex eoque emendanda; vti altera ad v. 17 ex Herodoto l. c.) Si mireris forte, cur inter Troianorum socios ab Homero illi Crusaei non memorati sint, tenendum, eos in Paeonum nomine latere videri ab Axio fl. euocatos Iliad. β, 848 sq. In Pallene Aeneae appulsum etiam collocat Lycophron 1236—1238. Nam, quam ille habitasse dicitur, *Rhaecelos* ad Cissum montem circa Aeniam sita esse debuit. v. Schol. ad e. l. et Not. ad Steph. h. v. et mox *Almopiam* pro Macedonia memorat. Hanc Aeniam *Aeneadas* quoque appellatas (Αἰνειάδας) ex Theone, vetere Lycophronis Scholiasta, notauit Steph. Byz. in Αἶνεια. Habuit haec Aenia Pallenes commune hoc cum altera, quae Aenos dicta, quod et Pallene priscis temporibus a Thracibus fuit habitata. Facile itaque vtriusque vrbis origo ad Aeneam nostrum referri potuit; etsi altera illa Thraciae Aenus iam ante Aeneam floruit; siquidem ex ea (Αἰνόθεν) Piros ad Troiam iam ante vrbis casum adfuisse memoratur Iliad. δ, 520, et accesserat ad eam Hercules a Troia redux a Poltye hospitio exceptus: Apollod. II, 5, 9, p. 131. cf. Not. p. 384. Sunt autem tales circa similis nominis vrbes errores satis frequentes; vt in hoc ipso exemplo re inuersa Conon Narr. 46 Pallenes Aeniam Aenum appellatam vult; et Tzetza ad Lycophr. l. c. vtramque confundit. Virgilio propter Episodium de Polydori vmbra multo op-

portunior erat altera de Aeno Thraciae narratio, eamque adeo sequutus est. Quippe fuit et ipsa vrbs olim non obscura, condita mox iterum ab Aeolibus, seu Cumis seu Mitylene oriundis. v. Steph. Byz. in Αἶνος, Scymnus Chius 695, et Harpocrat. in eodem voc. ex Ephoro. Seruius ad v. 19 h. l. alios vrbis nomen ab Aeno, Vlyssis socio, deduxisse, ex Euphorione et Callimacho commemorat. Ad eandem spectare videtur, quod apud Pausan. est VII, 4, p. 530, vbi Samii ab Androclo et Ephesiis insula eiecti partim Samothracen abiere, partim consedere περὶ Αἰνείαν τὴν ἐν τῇ ἠπείρῳ τῇ πέραν βαλλόμενοι τεῖχος: scr. Αἴνειαν.

In Thracia, hoc est, Pallene, Aeneam vitam finiisse, nonnulli olim tradiderant apud Dionys. Halic. I, 49, et inter eos Cephalo Gergethius (de quo v. Excurs. I ad lib. II p. 271) et Hegesippus περὶ Παλλήνης, a quo scriptore, cum id consilio suscepisset, accuratius haec tractata fuisse probabile sit; sed idem vrbi suae heroem quasi proprium consecrare hac morte voluisse videtur; quod toties factum in vetere historia notauit iam Dionys. Halic. egregio loco lib. I, 54 extr. (p. 43. 44). Patrem Anchisen, ibi sepultum, ex Theone memorat Steph. Byz. in Αἴνεια.

Conon, cuius operam potissimum in fabulis de populorum et vrbium originibus (τοῖς ἐθνικοῖς) colligendis positam fuisse apparet, Narrat. XLVI, Aeneam narrat traiecto Hellesponto primum in Sinum Thermum (Thermaicum Macedoniae) peruenire, vbi patrem Anchisen vita functum humat, oblatumque sibi ab incolis regnum recusat; *hinc*, inquit, *in terram Brusiadem profectus* (εἰς τὴν Βρασιάδα γῆν) omnibus, quibus vteretur, erat gratus et iucundus κατὰ χάριν τῆς Ἀφροδίτης. Mugiente ibi, quae ex Ida ipsum sequebatur, boue, moniti a Venere accepti memor imperium ab incolis in se delatum suscipit, bouemque Veneri mactata vrbem condit primum Aeniam (Αἴνειαν) appellatam, posthaec Aenum. *Brusiadem* illam terram facile aliquis mutandam putet εἰς τὴν Κρασιάδα ex Dionys. Halic. et Herodoto l. c. Sed Βρῆσις μοῖρα Μακεδονίας ἀπὸ

Βρέσα, Ἠμαθίε παιδός, vt Steph. Byz. ibid. Galeo laudatus, et inter Thracas *Bryſae* apud Plin. IV, 11 ſ. 18.

Diuerſam ab omnibus his rationem, quae tamen ad illa ipſa, quae memorata ſunt, reuocari poteſt, ingreſſus erat is auctor, quem Schol. Iliad. *ν*, 459 exſcripſit, *Troia*, inquit, *capta Aeneas ſumto ſecum patre Anchiſe fugit, naufragioque circa Atho facto in interiora terrae eſt profectus* (ita accipio, ναυαγίῳ δὲ περιπεσὼν περὶ τὸν Ἄθω, ἀνήει σὺν πατρί) *Anchiſes quidem ad Calaurum montem iuxta Anthemum fluuium moritur et ab Aenea Pyanae, vbi etiamnum Anchiſae dictum ſepulcrum eſt, humatur; quo facto Aeneas, Veneris monitu, vrbem condidit, Aeneadem* (Αἰνειάδα ab Αἰνειάς) *ab ipſo appellatam. Mortuo vero Aenea natus ex eo filius clam ad antiquam patris ſedem accedit* (cf. ſup. ad lib. II Excurſ. XVII, vbi de Aſcanio), *et vrbe euerſa* *), *aſſumtisque colonis in Italiam conceſſit.* Anthemuntem vrbem Macedoniae cum agro nouimus; potuit etiam fluuius cum monte Calauro eodem loco eſſe ſupra Pallenen. In *Pyana* dubito an *Pydna* lateat. Sane etiam Strabo XIII, p. 608, paullo latius *ad Olympum montem* habitaſſe Aeneam dicit. *Ciſſum* montem ſupra e Lycophrone vidimus, et *Atho* Tzetza ad eundem v. 1263 nominat.

Caeterum hanc in Pallene ſedem Aeneae reſpicit Liuius I, 1, *primo in Macedoniam veniſſe*, et XL, 4 ductis iam a Caſſandro Aeneatibus Theſſalonicam — *proficiſcuntur Theſſalonica Aeneam ad ſtatum ſacrificium, quod conditori Aeneae cum magna ceremonia quotannis faciunt. Portus* etiam *Aeneae* in Pallene memoratur ab eodem XLV, 30.

Ex Thracia in *Delum* inſulam Troiani ſunt delati, III, 69 ſqq. Hoc idem Dionyſ. Halic. I, 50 habet: *Cum e Pallene*, inquit, *ſoluiſſent, in inſulam Delum venerunt, cum Anius in ea regnaret; et in hac inſula, dum res*

*) τὴν πόλιν ἀνασήσας. *reſtituta*, an *euerſa?* hoc verius. Videtur Aſcanius eos, qui Troiam occupauerant, eieciſſe, adſcitisque colonis nouis diſceſſiſſe.

eius florerent et aedificia starent (misere autem deuastata est insula ab Archelao, Mithridatis duce. v. Viri docti Exerc. de Delo in Misc. Obss. Vol. VII, c. 9), *multa indicia visebantur, quae Aeneae et Troianorum in eam aduentum testabantur.*

Anius hic in veterum poetarum mythis fuit celebratissimus, etiam filiabus Oenotropis, vt docent, quae apud Diod. V, 62. Ouid. XIII Met. 640 sqq. Lycophronem Cass. 570 et Schol. ad e. l. et versus sqq. Eustath. p. 824, 17. qui Lycophronem fere sequitur, Seruium ad III Aen. 80. Dictyn lib. I fine legi possunt. Nam nos haec tantum attingimus. Est tamen haec ex antiquioribus fabulis, si quidem Pherecydem (Athenienſem puta) et Cypria Epe de iis laudat Tzetza l. c. Ad eundem Anium refer loca Suidae in Ταυροπόλου. Apollinis et Creusae filius proditur Anius apud Cononem Narrat. 41 eiusque filius Andrus, insulae ab ipso appellatae conditor. v. ibid. Ouid. l. l. v. 649. Diod. V, 79 et Wess.

Anii filiam ab Aenea in matrimonium ductam, secundum alios violatam, Anium partu edidisse, Seruius ad III, 80 narrat. Prius illud e graecis scriptoribus nonnullis etiam Dionys. Halic. I, 59 commemorat, nomen puellae, insuper addit, *Launam* (nisi *Lauiniam* ipse Dionysius scripserat) fuisse; nauigasse eam cum Troianis in Italiam, dante hoc Aeneae precibus Anio patre; erat enim fatidica et sapiens mulier; cumque inter nouam vrbem condendam morbo fuisset exstincta, et in eo ipso loco sepulta, Aeneam in vxoris memoriam nomen eius vrbi indidisse. Similia Q. Lutatius narrauerat; vnde exscripta in Orig. Gent. Rom. c. 9.

Delo digressos Troianos per medias Cyclades statim ad *Cretam* deducit Virgilius. Ad historiae veritatem comparatum est, quod vrbs *Pergamea* vel *Pergamum* ab iis in Creta conditur III, 132. 133. Relicti in ea nonnulli ex sociis ibid. v. 190. Alios auctores sequutus Velleius I, 1 pr. *ab Agamemnone tres vrbes in Creta*, et in his *Pergamum* conditum narrat. De vrbe hac cf. Seru. ad III

v. 133. et Meurs. in Creta lib. I, c. 13, aduersus quem Seruii locum tuetur Ruhnken. ad Vellei. p. 4. Inter *oppida Cretae insignia* Pergamum enumerat Plin. II, 12. 20. Quod in Creta pestilens annus superuenit, ingeniose poeta ex iis effinxit, quae Idomeneo a Troia reduci euenisse, quaeque Cretam de pristinis opibus deiecisse memorantur, v. Herodot. VII, 171. Eodem alludit Dictys VI, 11, cuius figmenta raro antiquioris alicuius fabulae vel auctoritatis fundo destituta deprehendas.

Sedis in Creta tentatae Dionys. I, 50 non meminit, sed, vbi de Delo memorauerat, *Deinde*, inquit, *in aliam insulam Cythera, quae ante Peloponnesum est sita, venerunt templumque Veneri condiderunt.* Hoc cum ad Aeneae pietatem tam adcommodatum esset, Venerisque omnino opera tam frequens in Aeneide sit, a Virgilio neglectum, mireris forte. Nec facile ignorare doctissimus poeta id potuit, sed derelictum ab ipso suspicor propterea, quoniam, cum similem fere religionem templi dedicandi mox ad Actium erat enarraturus, taedium effugere voluit.

Quod *Cytheris* nonnulli tribuerunt, id alii ad continentem transtulisse videntur. Nam ex aduerso insulae, ad littus Laconicae, in sinu Boeatico, vbi circa Maleam flexeris, fuerunt aliquando duae vrbes, mox in Boeas collectae, *Etia* vel *Etias*, et *Aphrodisias;* vtramque ab Aenea conditam fama ferebat, *cum ille in Italiam fugeret et in hunc sinum tempestate fuisset delatus.* Nomen alteri a Venere, Aeneae matre, *alteri ab Etide vel Etiade Aeneae* filia. v. Pausan. III, 22 extr.

Ad eadem loca referendum videtur, quod Dionys. I, 50 Troianos a Cytheris soluentes in Peloponnesi promontorio amisisse Cinaethum narrat, a quo illud appellatum *Cinaethium.* Videtur idem esse, quod Pausan. III, 22 in eodem sinu Boeatico post Promontorium, Asini maxillam, tradit *Cinadi monumentum:* Ἔστι δὲ καὶ μνῆμα Κινάδου, νεὼς τῆς Μενελάου καὶ ἔτος πυθερνήτης ἦν. Variauit et in hoc antiqua fama.

Alia fuit fabula de Aeneae ad *Arcadiam* acceſſu et Anchiſae in iis locis ſepultura. Fuiſſe ſcilicet aliquem ſuſpicor poetam, qui haec ita tractaſſet, aut famam, quae ita haec ferret, vt, cum Samothraciae, adeoque et Troianorum, origines priſca aliqua narratione ad Arcades referrentur (v. Dionyſ. I, 61, 68, 69, vbi de Penatibus agit, vnde etiam explicanda illa Arcadum et Troianorum συγγένεια c. 50 memorata, quam renouaſſe dicuntur tum Troiani), Aeneam cum Anchiſe in antiquas Arcadiae ſedes reduceret, cum ſors eſſet data, *vt antiquam matrem exquireret* (vt Aen. II, 96). Certe ex alio Pauſaniae loco lib. VIII, 12. ſ. diſcimus, *Anchiſium montem* (ἡ Ἀγχισία ὄρος) et *Anchiſae ſepulcrum* inter Mantineam et Orchomenum Arcadiae monſtratum fuiſſe. *Cum enim in ſinu Boeatico*, quem modo nominauimus, *eſcendiſſent, Anchiſes in ea loca quacunque de cauſſa profectus diem ſuum obiit ibique eſt ſepultus. — Adiacent Anchiſae ſepulcro templi, quod Veneri dicatum fuit, ruinae.* Conſentanea his occurrunt apud Dionyſ. Halic. I, 49; nam et ibi pars ſcriptorum Aeneam in Arcadiam adduxiſſe memoratur, vt *Orchomenum* et *Neſum* inhabitaret et *Caphyas* apud Mantineam conderet, a Capy Troiano dictas (hoc et Strabo habet lib. XIII, p. 608 A, at Stephanus Byz. in Καφύαι a Capy, Anchiſae patre), ſed alii eum ibi mortuum, alii in Italiam diſceſſiſſe tradiderant, inter illos quidem *Araethus* (ita enim legendum pro Ἀρίσθῳ, Ἀρκάθῳ γράψαντι τὰ Ἀρκαδικά, ex Schol. Apollonii Arg. II, 500, etiam apud Hygin. Aſtron. II, 1 *Arietlus Tegeates hiſtoriarum ſcriptor* leg. *Araethus*. v. ib. Muncker.), inter hos autem *Agathyllus Arcas*, cuius elegos apponit Dionyſ. l. c., in quibus Aeneas in vrbe Neſo duas filias collocaſſe iisque relictis in Italiam properaſſe, in qua Romulum genuerit, memoratur. Emendandus ex illo loco Pompon. Sab. ad III, 276.

Inſula *Zacynthus* eſt ex aduerſo Elidis. Etiam ad hanc Aeneam appuliſſe narrat Dionyſ. I, 50; et erant Zacynthii quoque cognationis iure iuncti Troianis. *Darda-*

num enim, Iouis et Electrae Atlantidis filium, duos ex Batea filios suscepisse tradunt, Zacynthum et Erichthonium; quorum alter ex Aeneae maioribus erat, Zacynthus vero insulae conditor. Omnia haec, etsi fabularum ambagibus inuoluta, eo tamen pertinere videntur, quod Troiani et insulae huius, vt caeterorum locorum, incolae haberent aliquam antiquitus cognationem; erant scilicet, nisi fallimur, omnes ex Pelasgorum stirpe oriundi. Sed de his alibi: *v. Noui Commentar. Soc. R. Sc. Gotting.* T. I, p. 90. De Erichthonio Dardani et Batiae f. Ili fratre v. Apollod. III, 12. 2. *Commorantur hic aliquod temporis spatium Troiani, et indigenarum humanitate inuitati et aduersa nauigatione impediti. Veneri in templo, quod ibi exstruxerant, sacrificium faciunt, quod ad hoc vsque tempus Zacynthii publice faciunt, et cum aliis tum etiam cursus certamina iunioribus proponunt. Victoriae praemium autem accipit is, qui templum primus ingreditur. Cursus autem hic Aeneae et Veneris appellatur; et adstant amborum statuae.*

Faciunt et haec ad poetae nostri artem agnoscendam. Zacynthum ille tantum nomine attigit lib. III, 270; narrationis moram vero fecit nullam nisi in Strophadibus adiacentibus, quippe quas videbat ornatum ex antiquis de Harpyiis fabulis admittere. Porro, quae historia de ludis in insula Zacyntho ab Aenea celebratis tradiderat, ea ad Actium magna cum laude poeta transtulit, vt Augustum, Actiacorum ludorum auctorem, hoc tamquam blandimento demereri videretur.

A Zacyntho *Troiani per altum nauigantes ad* Leucadem *appulerunt, quem locum Acarnanes adhuc tenebant. Atque hic quoque Veneri templum exstruxerunt, quod nunc est in parua insula inter fossam* (διορύκτα) *et vrbem* (cf. Strabo X, p. 451 D). *Vocatur Veneris Aeneadis templum.* Dionys. l. c. et apud Seru. ad III, 279: *Varro templum Veneri ab Aenea conditum, vbi nunc Leucate* (ita lego pro *Leucatem*), *dicit; quamuis Menander et Turpilius comici a Phaone Lesbio id tem-*

plum conditum dicant. Poeta tamen et hoc neglexit vti, Apollinem solum memorauit v. 274. 275, scilicet ne toties templa Veneri condita memorando taedium lectori faceret. *Aeniam* ad *Acheloum* (v. Strab. X, p. 450 C) a nemine vidi ad Aeneam vel ad Troianos referri.

At de *Actio* non neglexit poeta. *Cum ad Actium appulissent, ad sinus Ambracii promontorium stationem habuerunt Troiani. Inde in vrbem Ambraciam venerunt, in qua regnabat Ambrax, Dexameni* (cuius auus forte fuit is qui Olenum tenuit ap. Apollod. II, 5, 5.) *f. Herculis n.* (v. Hudf.) *et vtroque in loco huius adventus vestigia remanent; apud Actium quidem Veneris Aeneadis templum, et prope hoc alterum Magnorum Deorum; quae nunc etiam aetate mea extant,* ait Dionys. l. c. *Ambraciae vero eiusdem deae templum, et Aeneae sacellum, prope paruum theatrum, in quo etiam est parua operis antiqui statua, quae dicitur Aeneae, eamque sacrificiis colebant sacerdotes, quas ipsi amphipolos vocabant* (αἱ καλέμεναι παρ' αὐτοῖς ἀμφίπολοι). Ergo poetae inuento hoc loco debentur ludi ab Aenea instituti, et suspensus clipeus, in cuius tamen consecratione poeta aliquid habuisse videtur, quod sequutus est; Nam Seru. ad III, 287 *Sciendum tamen,* inquit, *hunc clipeum ab Aenea apud Samothraciam in templo consecratum, quod poeta per transitum tetigit.* Deduxere eum in donarii notionem ea, quae Dodonae monstrabantur Troianorum donaria, de quibus statim e Dionysio commemorabo.

Scilicet quod sequitur de appulsu ad *Epirum,* id a poeta diuerso plane ab aliis modo est tractatum ornatumque. Nam apud Dionys. Halic. I, 51 *ex Ambracia cum nauibus quidem Anchises oram legendo Buthrotum Epiri portum subit. At Aeneas et cum eo lectissimi quique totius exercitus, duorum dierum itinere per terram confecto, Dodonam perueniunt, deum consulturi. Atque hic in Troianos cum Heleno incidunt. Accepto deinde de colonia deducenda responso, deo*

dona Troiana dicarunt, cum alia tum etiam crateres aeneos, quorum nonnulli adhuc superſunt litteris antiquiſſimis inſcripti, quae donorum dicatorum auctores teſtantur; et quatuor ferme dierum itinere confecto ad claſſem apud Buthrotum redierunt. Vides hic, quae poeta ex priorum auctorum narratione in ſuum vſum conuerterit, et quibus ipſe ea variauerit. Heleni occurſum eiusque vaticinium v. 374 ſqq. a Dodona Buthrotum traduxit, omninoque hic ſuauiſſimum episodium de Andromache intexuit. Donaria templi dona discedentium tam ornate expoſita peperiſſe videntur v. 464 ſqq. Quominus autem Dodonaeo oraculo, quo quis non parum ſuauitatis et ornamenti carmini accedere potuiſſe exiſtimet, vteretur, ſimile de Delio oraculo iam ante accurate tractatum episodium reuocaſſe videtur poetam. *Troianos oraculum* (et quidem id, quod ab Harpyiis edi maluit Virgilius v. 255 lib. III de ambeſis menſis) *a Dodonaeo Ioue apud Epirum accepiſſe*, Varro quoque narrauerat Rer. Diuinar. II ap. Seru. ad III, 256. Adiungendus iis alius locus, qui ex eodem libro II petitus eſſe debet, apud Seru. ad III, 349: *Multi putant*, ait Seruius, *Aeneam* de ea veniſſe (f. non deueniſſe) *ad Epirum, et ibi haec loca per licentiam poeticam eſſe conficta. Varro Epiri ſe fuiſſe dicit, et omnia loca hisdem dici nominibus, quae poeta commemorat, ſe vidiſſe. Idem etiam Varro* Troiam Epiri *ab Aenea, ſiue a comitibus eius,* Biopatora *nuncupatam docet, vbi Troiana claſſis Aeneam* (Dodona reuertentem) *expectaſſe ſociosque* caſtra *in tumulis habuiſſe memoratur, quae ex illo tempore* Troiana *appellantur: vnde apparet, diuinum poetam aliud agentem verum ſemper attingere.* Egregia grammatici obſeruatio. Erat vtique apud Buthrotum collis, in quo Aeneas caſtra habuerat, *Troia* appellatus (vt Dionyſ. ap. Hudſon. ex Vatic. lectione reſtituendus p. 40. l. 32), et ad mare *portus Anchiſae* dictus (ibid.), vnde, cum templum Veneri eo quoque loco dedicaſſent, Ionium mare traiiciunt, habentes ſecum nauigationis comites ac

duces non paucos ex illis oris et cum his Patronem Thurium cum amicis, quorum Patron quidem ad Aluntium Siciliae consedit, reliqui, deductis in Italiam sociis, domum redierunt. Quae in memoriam beneficii huius Romani in Acarnanes contulerint, iam ad III, 500 notaui.

Fit tandem traiectus ad *Italiae* littus. Dicat aliquis, quorsum Aeneas tam longo errore per mare Ionium vsque ad sinus Adriatici oras, vnde mox Italiae littus ac tota Sicilia legenda classe fuit, siue a Virgilio siue ab antiquioribus poetis deductus est, cum a Creta breue ac rectum iter versus Italiam et Latium esset? Sed et tota antiquitas ita tradiderat, et quicunque illo tempore ex Graecia, multo magis ex Asia, soluentes Italiam adire dicti sunt, oram eius Orienti obuersam accesserunt, quippe quae tum Graecis sola erat nota et frequentata; cum remotiora versus Occidentem inter terras tantum non incognitas tum haberentur. Itaque poeta egregie fabulam suam antiquitatis fidei attemperasse videri debet, cum, audito per somnum a Penatibus Italiam esse petendam (v. III, 163 sqq.), ad inferioris Italiae partem exteriorem Aeneas cursum dirigit, nec nisi ab Heleno vate edoctus mente tandem assequitur, ad interiores Italiae oras se a satis duci. (v. III, 381 sqq.) cf. sup. Exc. XV ad lib. II.

Caeterum etiam in hac errorum Aeneae parte multa fabulosa a Graecis adspersa fuisse intelligitur, quippe quibus hoc erat propositum, vt fabulam multorum ingenio operaque tritam variarent et ornarent; nec argumentum ab eo consilio abhorrens. Et primum quidem narrationes fuerunt variae de occursu modo *Vlyssis* *) modo *Diomedis* **) in hoc Italiae littore; sed bre-

*) Ex M. Octauio Victor. Orig. G. R. c. 12. Lycophr. v. 1242 sq. et al. adde Ryck. de prim. Ital. inc. p. 449. f. Schottus ad Proclum p. 22 in calce Obss. hum. et al.

**) Solin. c. 2. Seru. ad Aen. III, 407 et al. Plutarch. Qu. Rom. T. II Opp. p. 266 C, vbi Aeneas cum sacra faceret, Diomedis occursu caput velauit, morique sollenni (de quo cf. Aen. II, 403. et Not.) causam et originem fecit. Super Palladio a Diomede

vitatis ſtudio loca tantum indicabimus. Ex antiquiſſimo autem ſcriptore, qui *ſacerdotum Argiuarum recenſum*, συναγωγὴν τῶν ἱερειῶν ἐν Ἄργει, ſcripſerat, Dionyſ. I, 72 memorat Aeneam ſtatim ex Moloſſis cum Vlyſſe in Italiam traieciſſe. Singulare plane eſt quod Dictys lib. V. extr. *Ita coactus*, inquit, *cum omni patrimonio a Troia nauigat Aeneas, deuenitque ad mare Adriaticum, multas interim gentes barbaricas praeteruectus: vbi cum his, qui ſecum nauigauerant, ciuitatem condit, appellatam Corcyram Melaenam.* Sed de inſula hac ſinus Adriatici accuratius diſpiciendum ad Apollon. Arg. IV, 566 ſq.

Traiectu ad Italiae littus circa promontorium Sallentinum vel Iapygium facto ſecundum Virgilium III, 530 ſqq., *Portum Veneris* ad Caſtrum Mineruae ſubeunt Troiani et Palladi Iunonique ſacra faciunt. Similia prorſus inuenies ap. Dionyſ. Hal. I, 51, qui et haec habet, in locis his Italiae, quae Aeneas praeternauigauerat, *aduentus ſui multa eum reliquiſſe veſtigia cum alia tum etiam phialam aeream in templo Iunonis litteris antiquis Aeneae nomen, qui deae donarat, declarantem.* Templum hoc *Iunonis Laciniae* eſt infra Crotonem. Fuit et in his locis *Siris* olim vrbs Troianorum colonia credita, mox Heracleenſium nauale, in qua Palladium Iliacum dedicatum indigenae monſtrabant. v. Strabo lib. VI, p. 264 A.

Tandem in *Siciliam* perueniunt Troiani et ad *Drepana* eſcenſum faciunt. Sed de his alio Excurſu agetur ad lib. V.

EXCVRSVS II

De Errorum Aeneae annis.

III, 8 *Vix prima inceperat aeſtas Et pater Anchiſes dare fatis vela iubebat.* Etſi in poeta temporum rationes ſubtiliter exigere velle importunum foret, multo magis,

Aeneae reddito multa ex antiquioribus fabulantur ſeriores Graeci: Malelas p. 207. Cedren. Comp. H. p. 135. cf. ſup. Excurſ. IX ad lib. II.

si tacite ea praetereat aut minus definite apponat ipse poeta: si tamen temporum momentis vel cardinibus expresse adiectis semel animum ad haec conuerterit, ne temere id feciſſe videatur, ipsi vtique curandum est diligentissime. Sed habet etiam ad multa Aeneidis loca inprimisque huius libri declaranda magnam vtilitatem, vt errores Aeneae in annos suos dispertiri possis, et doctrinae exquisitae Virgilii pars non exigua ea re continetur. Pendet autem tota fere annorum ratio ex illo versu hb. I, 755 *Nam te iam septima portat Omnibus errantem terris ac fluctibus aestas*, tum ex iis verbis, quae supra adscripsimus, III, 8, quo tempore Aeneas Antandro soluerit. Scilicet

a. C. N.		Errorum Aeneae
1184	Troia capta	a. 1

Est is e vulgari computandi ratione a. M. 2820. P. I. 3330. — ante primam Olymp. a. 408 ex Eratosth. Canon. (ap. Diodor. I, 5.) et annus 434 sec. Marmor Arundel. — tandem ante V. C. annus 431. Firmarunt annum viri docti adeo calculis astronomicis: quibus vir acutiss. *Gibert* adiecit nuper eclipsin XXVIII Augusti a. ante C. 1185 adeoque anno, qui excidium vrbis praecessit, factam: quam quaerebat in coelo post Sarpedonis mortem obscurato Iliad. π, 567. Troiae excidium paullo ante solstitium aestiuum incidisse, miro consensu (si Aeschylum exceperis Agam. 835. ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν, quae autumnum innuere videtur) tradit vetus Graecia, mense quidem Thargelione, etsi in die non satis sibi constant. v. inprimis nobilissimum locum ex vetere Euripidis Scholiaste seruatum ab Vrsino ad Aen. II, 255, et a Scalig. de Emend. temp. lib. V excitatum (v. sup. Excurs. I. ad lib. II. p. 366), add. Dionys. Halic. I, 63. (p. 51. Sylb.) Plutarch. in Camillo p. 138. B. a pluribus iam laudatos, inprimis Scaligero, Petauio, Dodwell. de Cyclis p. 805, adde Ryck. de prim. Ital. Colon. p. 431. Nos Marmor Arundelianum sequuti noctem inter XXIII et XXIV Thargelionis ponemus, h. e. inter XI et XII Iunii. Pomponius quidem Sab. ad Aen. II, 801

menſe Martio direptam vrbem narrat, neſcio quo auctore, ſed leui certe et indocto.

Luna circa mediam noctem oriente Achiuos ex inſidiis progreſſos iam Leſches in Iliade parua ediderat: Νὺξ μὲν ἔην μεσάτη, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη, quod Virgilius expreſſit: II, 250 *Vertitur interea coelum* etc., 255 *tacitae per amica ſilentia lunae* et 340. *oblati per lunam*. Hinc omnino ad plenilunium, quod tamen aliquot dies iam praecedere debuit, retulere Troiae excidium chronographi. v. Clemens Alex. Strom. I, p. 321 ſq. (139). Scaliger de Emend. temp. lib. V. p. 378. Dodwell de Cyclis Graec. p. 808, qui Tzetzae loco vſus erat e Poſithomericis Tzetzae, quem nunc habemus plenum in edit. Tzetzae per Fr. Iacobs curata: et poſt hos multi alii, etiam Burmann. cum Seru. Cerda aliisque ad Aen. II, 255. E Clemente ſua hauſit Euſeb. cf. Fragmenta Hellanici p. 151. cuius cum Duride praecipua huius cardinis chronici auctoritas ſuit; cf. *Tzetza Poſithom.* 778. 9. Tzetza minus accurate apponit plura, vt vſ. 764. annum ante Olymp. I, 418. (pro a. 408) tum Thargelionis diem XII, (vſ. 770) ſed ignorata veteris anni ratione eum cum Ianuario comparat.

Achiui quidem hac ipſa aeſtate littore Troiano ſolvunt, ſed inter varias contentiones exortas paullo ſerius quam factu opus erat, ne in ventos Aquilones ſtatos, eteſias vocant, qui hac anni parte in his plagis maris Aegaei ſtare ſolent, inciderent; itaque claſſis miſere tempeſtate eſt disiecta. Ita quidem mihi ea de re videtur ſtatui poſſe. Homerus, vt mirationem maiorem faciat, Odyſſ. γ et δ calamitatem hanc Palladis irae et Achiuorum diſſidiis moxque Neptuni odiis tribuit. His iisdem ventis, eodem anno, Vlyſſes (v. Od. I, 67 ſq. 80 ſq.), altero Aeneas, verſus Libyae littora ſunt delati; iisdem, ſed anno demum octauo poſt, Menelaus per XX dies in littore Aegypti ad Pharum tenebatur Odyſſ. δ, 351. 475. (cf. *Wood on the original Genius of Homer* p. 55. ed. pr. p. 227 ed. ſec.) Incipiunt autem conſtanter ſpirare circa XVII Kal. Aug.,

cum iam decem dies ante exorti sint: v. Plin. II, 47. Est hoc tempus ὀπωρινὸν antiquorum, ὀπώρα apud Homerum, quo boream flare ait Il. Φ, 346. Od. ε, 328. Iidem etesiae esse videntur, qui in fabula Aristaei commemorantur: de quibus v. Apollon. II, 516. 525 et ibi Schol. In hiemem igitur, nisi procellosum tempus intelligas, dilata Graecorum nauigatio dici nequit. Tradita haec accuratius fuerunt haud dubie a veteribus, vti ex Dictye colligo lib. V, 8, vbi in paciscendo cum Antenore Vlysses vrget, *tempus ad nauigandum idoneum praeteruolare*, et V, 16 *vrgente nauigii tempore*, et c. 17 pr. — *veriti, ne per moram, interuentu hiemis, quae ingruebat, a nauigando excluderentur.*

At Aeneas, qui capta Troia se in montem Idam cum suis receperat, ab australi parte versus Antandrum descendit, et in huius vrbis portu classem facit. In classe facienda et instruenda hiems consumitur, lib. II, 5, 6 *classemque sub ipsa Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae.* Secundum Dionysii Halic. I, 63 calculos, iam autumni *) huius anni initio Troiani Hellespontum traiiciunt et in Thracia hiemem exigunt, ad historiae veritatem haud dubie propius; sed hanc deserere recte potuit poeta. Ab omnium caeterorum fide recedit, quod ad Aen. III, 8 Seruius ex Palaephato (qui iunior ille, Τρωϊκῶν auctor esse videtur, v. ad lib. II. Exc. I p. 362) notat, *capto Ilio Aeneam post triennium nauigasse.*

Antenor interea et ipse discessum parat, et iter quidem, quod et Aeneas facere decreuerat, versus Italiam instituit. Si quaeras, quomodo in hoc consilium vterque deuenire potuerit, cogitandum est, illo tempore terras Europae occidentales Graecis Troianisque fuisse eodem loco, atque Europaeis ante haec duo saecula et quod excurrit, Americam. Tenebant autem Graeci tum omnia

*) Dionys. quidem τῷ ἕξῃς ἔτει, πρώτῳ δὲ μετὰ τὴν ἅλωσιν: sed vtitur ille anno Attico nouo, qui a nouilunio, quod a solstitio aestiuo proximum est, initium habet et cum annis adeo Olympicis, qui et ipsi inde ducebantur, conspirat.

maris Aegaei littora, vt adeo nisi in Ionio receptus esset Troianis nullus.

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1183	a. 1	a. 2

Aen. III, 8 *Vix prima inceperat aestas — Litora cum patriae lacrimans portusque relinquo, Et campos vbi Troia fuit. Feror exsul in altum.*

Primum quidem cursum in Thraciam tenuit: III, 13 sqq. — 68 *Terra procul vastis colitur Mauortia campis. Thraces arant.* condit hic in littorali plaga vrbem, *Aeneadas:* v. 16 — 18, quod de *Aeno* Thraciae ad Hebri ostia accipiendum esse, Excursu I ad h. l. vidimus.

Parabat Aeneas Veneri, Ioui, aliisque diis sacrum, quo cum ad aram velandam frondes ex proximo virgulto peteret, prodigio sanguinis ex ruptis ramis fluentis moxque vmbrae Polydori monitu, inferiis ei factis, terra excessit; quod non nisi vere sequente factum.

Hiemem in Thracia (h. e. Pallene) a Troianis exactam, etiam Dionys. ex communi ratione tradit I, 49 et 63, etsi superioris iam anni; nam huius anni hiemem in Sicilia ab iis consumtam ponit; vt adeo sequente anno secundo a Troia capta ad agrum Laurentem peruenerint. Et hanc rationem sequuti sunt alii: vt L. Cassius Hemina ap. Solin. c. 2.

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1182	a. 2	a. 3

Inde vbi prima fides pelago, placataque venti Dant maria etc. Aen. III, 69. Vere ineunte, ἔαρος ἀρχομένου, mari patefacto, versus Archipelagum nauigant, Delum perueniunt. Ab Anio Anchisae hospite benigne excepti Apollinem consulunt; a quo cum antiquam matrem exquirere, h. e. eam terram repetere, iussi essent, vnde maiores Troianorum progressi ad Troiae loca olim peruenerant, Anchises eam Cretam interpretatus, vnde Teucrum ad Troadem appulisse a maioribus acceperat, eam petere iubet. Ad hanc igitur insulam bona spe alacres cursum dirigunt, II, 73 — 131. Idomeneus iam tum Creta

erat a suis expulsus v. 121. Condunt hic vrbem *Pergameam*, instruunt domos, colunt agros, et terra se a satis monstrata nunc tandem potitos esse laetantur, v. 132—137.

Inter haec annus vnus et alter exire debuit; neque aliter numerus ille septenarius annorum confici possit, nisi ita statueris. Igitur

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1181	a. 3	a. 4

in noua colonia Cretae consumitur. Interea

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1180	a. 4	a. 5

siccitas agrorum, aeris grauitas, lues corporibus infesta. Cum iterum Phoebum in Delo consulere vellent, Aeneam per somnum docent Penates, non Cretam sed Italiam sedem a fatis destinari. Itaque paucis in colonia relictis iterum naues conscendunt, III, 137—191.

Euecti in altum graui tempestate opprimuntur, vt procellosum in his plagis mare esse solet (v. Not. ad III, 192). Quarto die ad Strophades, quae Ionii maris insulae occidentali Peloponnesi littori obuersae sunt, appulsi, cum ab Harpyiis vexarentur, accepto a Celaeno vaticinio, iterum hinc soluunt, III, 192—267 et alias huius maris insulas praeteruecti Actium in sinu Ambracio peruenium. Hic lustratio et Ludi habiti, III, 268—283. *Interea magnum Sol circumuoluitur annum, Et glacialis hiems aquilonibus asperat vndas* v. 284. 285.

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1179	a. 5	a. 6

Transacta apud Actium hieme Epiri littore lecto ad Buthrotum escendunt, vbi praeter omnem expectationem in Helenum cum Andromache incidunt. Aliquantum temporis cum ipsis commorati, accepto nouo ab Heleno vaticinio, iterum nauibus in altum deductis (III, 286—505) praeter montes Ceraunios prouehuntur, cumque per noctem littorum tuta subiissent, altero mane Italiam conspiciunt, 506—529.

Traiectu facto Portum Veneris paullo supra promontorium Sallentinum vel Iapygium dictum subeunt, et Palladi Iunonique sacra faciunt, 530—548.

Mox sinum Tarentinum, oram Bruttiorum, et Siciliae fretum praeteruecti in Cyclopum littore escensionem faciunt; sed recepto Achemenide, qui ab Vlysse relictus fuerat (Vlysses igitur paullo ante, et quidem, quod poetae praeter Homeri fidem ponere licuit, ante tres menses v. III, 645 in his littoribus errauerat), Polyphemi metu classem iterum expediunt, et littus Siciliae orientale et australe praeteruecti in occidentali littore supra Lilybaeum promontorium Drepani portum ad Erycem intrant. Hic dum a longis erroribus recreant se, sub aestatis exitum (cf. an. seq.), Anchises moritur, III, 549—714 *).

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1178	a. 6	a. 7

*) In temporibus, quae nunc succedunt, ordinandis magnam difficultatem iniecit ipse poeta, qui discessum e Sicilia et accessum ad Africam septimo errorum anno factum diserte memorat v. extr. libri I *nam te iam septima portat Omnibus errantem terris ac fluctibus aestas;* idem tamen reditum in Siciliam hoc eodem anno septimo factum narrat lib. V, 626 *Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas.* Ea tamen si eo, quo fecimus, modo conciliari possunt, concidit poetae reprehensio. Nolo in exponenda difficultate otium consumere, quam iam veteres versauere. v. Seruium ad lib. V, 626, cuius nota tandem in his verbis subsistit: „Ergo constat, quae„stionem hanc vnam esse de indissolubilibus; quas non dubium „est emendaturum fuisse Virgilium.“ Si quis itaque poetam in tempore Aeneidi suae constituendo sui parum memorem fuisse dicat, non multum habeo quod reponam. Illud tamen male haberet, quod poeta temporis notas disertis verbis apposuit, quas, si abfuissent, nemo desideraturus aut in hanc quaestionem descensurus fuisset. Etsi vero expediri illa nequit, ita vt nihil forte reponere possis, alterutrum tamen sumendum est, aut sub finem anni autumno exeunte Aeneam ad Africam accessisse, et altero anno primo vere discessu facto in Siciliam reuersum esse; aut vere demum sequentis anni soluisse Aeneam ex Sicilia, Carthaginem appulisse et eadem aestate in Siciliam rediisse. Hoc si sequare, saltem versuum istorum ratio ac sententia constat. Igitur, dum meliorem rationem aliquis docue-

Vere, vt e sequentibus probabile sit, quando nauigandi tempus aderat, classis Aeneae e Sicilia soluit versus Tyrrheniam et Latium. Ab hoc demum tempore res Aeneide comprehensae exordium habent: v. lib. I, 34 sqq. Vix illa altum tenet, cum subito grauissima tempestas orta, quam poeta ab Aeolo Iunonis rogatu immissam prodit, versus Africam naues reiicit; sex circa Aegimuri Aras, ex aduerso Carthaginis, partim scopulis partim arenarum vadis illisae, vna a mari hausta, omnes a ventis fluctibusque admodum vexatae, subsidente tandem tempestate vix in Africae littus sed diuersis partibus eiiciuntur (I, 34—158). Aeneas quidem cum septem nauibus (I, 170 et 383) inter Apollinis et Mercurii promontoria, qui nunc Tunitanus sinus est, portum subit, ad Aquilariam, obiectu insulae, quae altera ex Aegimuri Aris esse videtur, a ventis tutum (v. Excurs. ad I, 159 sq.). Altero die ad exploranda loca digressus et a matre Venere, sub Nymphae specie obuia facta, confirmatus animo, nouam vrbem Carthaginem de colle vrbi imminente prospicit. Degressus inde dum in nouo Iunonis templo opera singula contemplatur, Dido regina eo procedit, a qua benigne Aeneas excipitur moxque socios cum parte classis, quam desiderauerat, recuperat (I, 159 — ad s. libri); casus suos inter epulas factas narratione exponit (lib. II—et III).

Gesta haec anni huius vere; quod constat, si cum lib. V, 626 sq. compares illa: *Nam te iam* septima *portat Omnibus errantem terris ac fluctibus* aestas, I, 755. 756. Itaque I, 31 — multosque per annos *Errabant acti fatis maria omnia circum.*

Desidet aliquot mensis apud Didonem Aeneas, tandem deorum monitu hac ipsa aestate ex Africae littore solvit, ingruente tamen illo tempore, quo turbari ventis mare

rit, teneamus hoc. Certe Catroeum, quem ad lib. V pr. de his disputasse videmus, omnia ad lubitum fingentem audire piget. Nec *Wood*, qui Iliadis et Aeneidis tempora constituenda alio opere sibi proposuerat (p. 229 sq. et p. 254. vers. germ.) satis probabilia amplexus esse videtur.

solet. Versus sunt hi: IV, 52 *caussasque innecte morandi, Dum pelago desaeuit hiems, et aquosus Orion, Quassataeque rates, dum non tractabile coelum.* Mox 193 *Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fouere* etc., tandem v. 309 *Quin etiam hiberno moliris sidere classem, Et mediis properas aquilonibus ire per altum.* Facile ex his colligat aliquis, hiemem apud Didonem fuisse exactam, nec nisi sequente vere hinc discessisse Troianos. In adstruenda hac re multus est Bargaeus. v. Io. Mich. Bruti Epp. Cl. Viror. p. 75 sqq. Possis etiam, quod alii, v. c. Catroeus, faciunt, ita statuere, sub anni superioris exitum Aeneam ad Carthaginem accessisse ibique hiemem exegisse. Sed neutra harum opinionum difficultatibus caret. Nam sic poeta sibi ipsi aduersaretur, qui *septima aestate* Africam adiisse, et *septima aestate* item Siciliam repetiisse diceret eos, qui diuersis tamen annis hoc et illud feciissent. Nec loca, quibus *hiems* memoratur, necessario ad brumale tempus ducunt. Sed primo loco de tempestate agitur, qua Aeneas ad Carthaginem fuerat appulsus; est enim dies ab aduentu secundus; neque altero loco hiems aliter accipienda, quam de tempore procelloso, quod, quale fuerit, tertio loco apparet, *hiberno sidere* et *aquilonibus;* qui esse possunt illi ipsi stati venti, etesiae dicti, quos paullo ante ad a. 1 medio Iulio et Augusto flare diximus. cf. Not. ad I, 535. Etiam lib. IV, 429, 430 *extremum hoc miserae det munus amanti, Exspectet facilemque fugam ventosque ferentes.* Nec *Orion* lib. I, 535. IV, 52 aliam quam tempestatis ortae significationem habet. cf. Serv. ad V, 626, et Cerdam ad e. l.

Soluit igitur Aeneas Carthagine; vento tamen aduersante cursum versus Italiam non tenet, sed ad Siciliae littora delatus apud Erycem iterum in terram escendit, lib. V, 1—34. Hic anniuersarias patris Anchisae Manibus inferias facit et ludos funebres instituit V, 35—603. Tempora ex his colligas v. 46 *Annuus exactis completur mensibus orbis,* et 626 *Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas* etc. Interea Troianae mulieres longi

erroris taedio victae, vt tandem in Sicilia confidendum esset, classem incendunt; quatuor naues combustae, reliquae reparatae. Tum Aeneas, relicta apud Acestem comitum parte, qui Aegestam seu Segestam incolant, cum meliore parte naues soluit versus Italiam et hac ipsa aestate Tiberina ostia subuectus in agrum Laurentem escendit. Sed de his alio loco videbimus. Ad hunc autem annum sub aestatis exitum haec esse referenda, ex his patet: Ludis apud Erycem altero ab escensione die (V, 42) indictis inferias (V, 42—103) dieque nono ludos faciunt (104 sqq.): hoc eodem die classis cremata. Ad eam reficiendam et nouam vrbem designandam nouem dies dati v. 762. Proximo die discedunt v. 763 sqq.

Quae poetam impellerent, vt in plures annos dispesceret Aeneae errores, qui secundum historiae fidem altero vel tertio anno absoluti fuerunt, meo qualicunque iudicio videntur fuisse plura. Primum quidem, quod maiorem facit admirationem et ipsum hoc, quod non vno alteroue anno sed per septem annos continuos heros Aeneas fatis aduersis fuit iactatus; aemulatus porro est poeta errores Vlyssis; et poterat omnino maiorem rerum casuumque varietatem intra tale tempus congerere et includere; multa ex historia τῶν Νόστων, de casibus Achiuorum, seriore nonnullorum in patriam reditu, infelici Agamemnonis fato, Pyrrhi caede et Heleni regno Epirotico (III, 295 sqq.), de coloniis Achiuorum in Italiae littore, memorare non potuisset, nisi Aeneae errores in aliquot annos dispertitus esset. Tandem hoc ipso inuento cauit poeta, ne rem parum probabilem narrare videretur, qui factum esset, quo minus Troiani in Achiuos domum reduces inciderent, qui tamen et ipsi a Troia soluentes Thraciam petierant, aut, ne Vlyssis nauibus occurrerent, quae tamen eodem mari, iisdem erroribus, ad eadem fere littora ferebantur.

EXCVRSVS III

Polydorus.

III, 49. De *Polydoro* narratio ab aliquo Νόστων ſcriptore inuenta, a Tragicis ſuit ornata, variis quidem modis, vt vel ex Seruio ad h. l. et Hygino fab. 109 intelligitur: namque ad Ilionen ſororem Polymneſtori nuptam miſſum eum educandum illi narrant; porro a rege ignaro filium ex Ilione ſuſceptum fuiſſe necatum pro Polydoro. v. Excurſ. XXIV ad lib. I. Homerus vtique aliter, apud quem Polydorus ab Achille occiditur Iliad. υ, 407 ſqq. Virgilius ante oculos habuit Hecubam Euripideam, in ipſis adeo verbis, ſtatim a principio. cf. Not. ad v. 22 ſq.

EXCVRSVS IV

III, 73—77. De *Delo. gratiſſima tellus Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.* Appellatur ita non ſimpliciter, quatenus inſula; ita enim locus langueret; ſed reſpectu ad antiquiorem fabulam, quae nunc quidem ſatis expediri non poteſt. Seruius tamen: *Poſtea*, inquit, *ſupplicante Ioui Latona, leuata ſuperferri aquis coepit. Haec primo Neptuno et Doridi fuit conſecrata, poſtea — Latona — littoribus ſuſcepta eſt.* Similiter Strabo VIII, p. 574 A, Delum primo Neptuno ſacram, mox Latonae pro Calauria ceſſam, ex antiquis poetis narrat. Quem locum cum aliis coniecturis iam occupatum video a Viro doctiſſ. in Exerc. de Delo Miſc. Obſſ. Vol. VII, p. 79. Omnino mihi videor Graeci poetae veſtigia et ipſa verba in hoc verſu 74 animaduertere: Νηρῆός τε θάμαρτι Ποσειδάωνί τ' ἄνακτι, vel Ποσειδάων' Αἰγαίῳ, in hunc vel ſimilem modum; aut propius ad verba noſtri: Νηρεΐδων μητρός τε Ποσειδῶνός τ' Αἰγαίου. Multorum autem carminum argumentum olim fuit Delus. v. laud. Exercit. p. 3, et noſter ſupra Georg. III, 6 *Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos?*

In iisdem verſibus Apollo Delon — *Errantem Gyaro celſa Myconoque reuinxit*, ſi elegantiam poetarum ſequaris,

celsa Mycono, epitheto posteriori voci adiecto, iungenda videntur. Sane Ouidio quidem Met. VII, 463 *humilis Myconos* dicta. Scilicet insula omnis *alta*, quatenus mari eminet, et *humilis* aliarum insularum respectu; etsi interdum ista ipsa epitheta modo ad littorum alta promontoria et scopulos montesque, vel laeue et leniter accliue littus, modo ad interiora (v. c. χθαμαλὴ Odyss. κ, 196) spectant, modo, quatenus e longinquo vel e propinquo spectatur terra nauigantibus. Sic inf. III, 522 *cum procul obscuros colles* humilemque *videmus Italiam*. — *Gyaro celsa* iunxit auctor Epigrammatis, inter Petronii fragmenta, repetiti nuper in Anthol. Lat. p. 460, quod totum ex h. l. expressum, quem cum eo docte comparauit Editor. Sed forte is antiquum verborum ordinem in suo libro habuerat: *Mycono celsa Gyaroque*, v. Var. Lect. Aliam loci imitationem dabit Statius Theb. III, 438. Delum caeteris insulis *humiliorem* esse, Wheelerus docuit *Journey into Greece* p. 58.



EXCVRSVS V

Teucri et Teucrorum e Creta origines.

III, 102 ſqq. *Creta Iouis magni medio iacet inſula Ponto; Mons Idaeus vbi — Maximus vnde pater — Teucrus Rhoeteas primum eſt aduectus ad oras.* Locus inter claſſicos de Cretae et de Troadis originibus. Vt Apollinis oraculum ad Italiam ſpectans de Creta interpretaretur, facile induci poterat ſenex Anchiſes. Nam et omnino inter Cretam et Phrygiam origines fuerunt communes, et Phrygiae minoris, ſeu Troadis, conditores, Teucri (ſecundum alios etiam Dardanii) e Creta ortum habuere; accedit, quod aut in Cretam ſacra et religiones Dactyli Idaei transtulerunt ex Phrygia, aut Phryges accepere religiones a Curetibus ſeu Corybantibus ex Creta. Nam vtrumque traditur. Locus claſſicus apud Strabon. lib. X, p. 466 ſqq. Diodor. V, c. 64 ſqq. A noſtro proditum: e Creta cum

Teucro sacra Cybeles, et quidem mystica, esse traducta; *Hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris Et iuncti currum dominae subiere leones.* Repetiti autem communi opinione Teucri natales ex Creta; etsi Attici scriptores, Phanodemum Dionys. Halic. I, 61 excitat, Atticae eos vindicabant. Multo sapientius illi, qui, Scamandri fluuii et Nymphae Idaeae filium eum prodentes (v. Apollodor. III, 12, 1), indigetem et ignotae originis significare voluerunt, a quo exceptus Dardanus filiam Batiam (Βάτειαν) et regnum, h. e. agrum, quem ipse tenebat, obtinuit.

EXCVRSVS VI

De Dardani originibus ex Arcadia vel ex Tyrrhenia et vrbe Corytho.

III, 167—171. — *hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum — Corythum terrasque requiras Ausonias.* Traduntur de Dardano tam diuersa, vt, in quo adquiescendum sit, non facile inuenias. Inuestigemus paullisper fabulae vestigia, ac diuersitatem ad causas et genera certa reuocemus.

Homerus Iliad. *v*, 215 simpliciter *Dardanum, Iouis filium, Dardaniam ante Ilium condidisse* tradiderat.

Electram matrem addidere alii, Atlantis filiam, vt Lycophron (v. 1302 sqq.) apud Schol. ad e. l. et Apollod. III, 12, 1. Vterque rem ita exponit, vt Dardanum, cum in Samothrace vixisset, in obiectam continentem, Troadem, traiecisse, et a Teucro hospitio, filiaeque Batiae (Arisben Lycophron appellat l. c. cum aliis v. Steph. Byz. h. v.) matrimonio exceptum, Dardaniam vel Dardanum (de nomine v. Munck. ad Hygin. f. 275) condidisse dicat: cf. Not. ad Apollod. III, 12, 1. Traiectum ratibus, σχεδίᾳ, factum, caussamque modo fratris Iasionis, nam sic alii scribunt pro Iasio, mortem, modo diluuium memorant cum iidem tum alii; v. Conon Narrat. 21. cf. Schol. Lycophr. v. 73.

Euſtath. ad Iliad. *v*, p. 1204, 1252, qui ſua ex iſto petiit, et p. 351 cum Schol. ad *v*, 215, Nonnus Dionyſ. III, 215—219, de quo loco v. Salmaſ. de L. Helleniſt. P. II, c. 1, p. 333.

Quae adhuc perſtrinximus magis quam expoſuimus, *Samothracum* fuere *fabulae*; hoc intelliges ex Diodor. V, 48. 49, et IV, 75. Strab. VII, p. 331. Dionyſ. I, 68. 69.

Quandoquidem Dardanus ex Electra, Atlantis f. fuit ſuſceptus, cuius natales ad Cyllenen, Arcadiae montem, referuntur, cuiusque omnis fabula Arcadiam tamquam ſedem habet (v. Apollod. III, 10); accidit, vt etiam Dardani origo ad Arcadiam referretur. *Graeci et Varro Humanarum Rerum Dardanum — de Arcadiae vrbe Pheneo oriundum dicunt*, ait Seru. ad III, 167, et *ſecundum Arcades* totam fabulam exponit diſertiſſime Dionyſ. Halic. I, 61. Fuit quoque eius memoria in Elide Triphylia, v. Strab. VIII, p. 332 C.

Ex Arcadia Pelasgos Italiam incoluiſſe nota eſt narratio; translatus cum iisdem mythus Arcadum et origo Dardani *in Italiam*. Nunc Corythus aliquis excitatur; cuius veſtigium in Arcadia non reperi, niſi in Tegeatarum demo Corythenſium apud Pauſan. VIII, 45. Atque hac in eum modum exornata fabula Virgilius egregie eſt vſus ad argumentum ſuum ſummae vetuſtatis auctoritate ornandum. *Dardanus* ſcilicet et *Iaſius* frater *ex Tyrrhenia*, et quidem *Corytho*, vel Corythi ſede, oriundi. Dardanus quidem Samothraciam et mox Phrygiam adiit, Dardaniamque condidit. Hactenus Virgilius III, 167 ſqq. VII, 207 ſqq. VIII, 134. Copioſius fabulam exponit Seru. ad e. l. et Pompon. Sab., qui Diodorum exſcripſit. De Iaſio v. Muncker. ad Hygin. f. 270, et Aſtronom. II, 4.

Corythum, Etruriae quae vrbs ſit, in controuerſiam venit, ſed ſatis iam Cluuer. Ital. ant. p. 590 ſqq., et nuper Gorius a Burmanno iam laudatus Inſcr. Etrur. Tom. II, p. 364, qui tamen Cluuerium fere ſequitur, argumentis

idoneis euicerunt, esse eam *Cortonam*. Quae cum varie olim scriberetur, habereturque vrbs Etruscorum antiquissima: vid. Dionys. I, 20. 26 (at in Herodoto I, 57 Cortonae nullus locus esse potest, et mera somnia continet Ridolf. *Venuti* libellus de antiqua Cortona in *Diss. dell' Accad. di Cortona* T. IV, N. 1); nominis similitudo facile ad Corythum, Dardani patrem, ducere potuit, quasi is vrbem condidisset eique imperasset. Hinc inter reges et conditores Tyrrhenorum censeri coepit Corythus; vnde poeta *Corythi vrbes* pro Tyrrhenia lib. IX, 10. X, 719, et eo, quem supra posuimus, loco: *Corythum terrasque requirat Ausonias*.

In recentioribus passim interpp., v. c. ad III, 167, multa perperam traduntur, quae ex Anianis fabulis petita deprehendi. Ad Graeculorum commenta pertinet, quod de galea Dardani (κόρυς) perstrepunt, et quod Corythum Tyrrheniae ad Paridis ex Oenone filium referunt, quodque Dardanum ex Creta, vnde Teucer profectus erat, repetunt, vel ad Idam et circa Scamandrum natum affirmant, et plura alia. Quam vellem, multas fabulas in hunc modum detexi liceret.

Vt autem iis adolescentibus, quibus libri, vnde haec peti possunt, non ad manus sunt, ad intelligendum haec omnia satis sint obuia, progeniem Dardani et hic secundum Homer. Iliad. *v*, 214 sqq. Dionys. Halic. I, 62 et Apollodor. III, 12 repetere non pigebit. cf. Diodor. IV, 75. In iis tamen, quae ab aliis diuerse traduntur, v. c. a Dicty lib. I, c. 9, hic non morabimur.

Dardanus ex Batia, Teucri f., *Ilum* et *Erichthonium* suscipit. Ilus sine prole moritur.

Erichthonius ex Callirrhoe Scamandri, vt Dionys., vel ex Astyoche Simoentis f. creat *Troem*; a quo *Troes* dicti.

Tros ex Callirrhoe Scamandri, vt Apollod. (ex Acallaride, Eumedis f. vt Dionys.) *Ilum*, *Assaracum*, *Ganymedem*, cum *Cleopatra* generat. Iam:


Assaracus Hieromneme Simoentis f. vel Clytodora Laomedontis f.

Capys Themis Ili f. vel Nais nympha

Anchises — Venus

Aeneas

Ili autem, a quo *Ilium* conditum, progenies *Laomedon*; *Laomedontis Priamus*, cum *Tithono*, *Hesione* et aliis; *Priami Helenus*, *Deiphobus*, *Paris*, *Hector*, *Troilus*, *Polites* etc. *Ilione*, *Creusa*, *Laodice*, *Cassandra*, *Polyxena* etc. cf. Not. ad Apollod. III, 12.



EXCVRSVS VII

De Harpyiis.

III, 209 sqq. *De Harpyiis* fabula antiquissima, quippe iam Hesiodo Theogon. 267 memorata, qua *meteori* vel *procellosi venti* genus aliquod dearum specie induisse videntur primi homines: vnde cum Iride e Thaumante et Electra natae ferebantur: ibid. et Apollod. I, 2, 6. Data hinc *Harpyia Podarge* in coniugium Zephyro ap. Homer. Iliad. π, 150, vbi ea βοσκομένη λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο (adeoque monstri similis, dicta tamen dea, vt Echidna, Typhon et al.) peperit Zephyro Xanthum Baliumque, Achillis equos: suaui commento, ad celeritatem equorum horum declarandam. Allusum autem ad eandem fabulam in illa narratione, qua equi in Lusitania ex Fauonio concipere narrantur: sup. ad Ge. III, 273. Ad priscam illam Harpyiarum, tamquam ventorum, ac procellarum, notionem spectat antiqua loquendi ratio, qua ii, qui euanue-

rant, *ventis rapti* dicuntur; tandem forma poetica etiam *res, vota, preces* a ventis feruntur. Vlyſſem mari iactatum ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο Odyſſ. α, 241, vt alias ἀναρπάξασα θύελλα Ἄιστο φέρειν. Multo magis manifeſta res ex Odyſſ. υ, 77 comparato v. 63. 66 (cf. Euſtath. ad illa loca), vbi Pandarei filias (de quibus v. ad Apollod. p. 843) euanuiſſe ex hominum conſpectu declarare volebat poeta: Τόφρα δὲ τὰς κούρας Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο. v. Pauſ. X, 30 pr. Sequutus hoc eſt Sophocles Philoct. 1120—1122. (1092—4.) Latonam ap. Hygin. f. 140. *Iouis iuſſu ventus aquilo ſublatam ad Neptunum pertulit.* In ſequioribus poetis mira fabulae varietas; hoc eſt, ſaepe et a multis fabula tractata et pro cuiusque ingenio vel argumento ornata et variata. Primum Argonauticorum ſcriptores, quorum magnus fuit numerus, de Harpyiis narrationem (Orphicorum tamen auctor eam omiſit) intexuerunt, et quidem in Phinei hiſtoria. Itaque adhuc in Apollon. II, 178 ſqq. 232 ſq. copioſe tractatam videas; nec non in Valer. Fl. IV, 425 ſqq. adde Apollod. I, 9, 21 ſqq., vbi cf. Not. p. 190 ſq. et h. l. Seru. cum Pompon. Sab. Hinc alii poetae aliis argumentis, vt h. l. Virgilius Aeneidi, eam fabulam inſeruere, et ex iis quidam ita, vt iniuſte factorum vltrices, tamquam Diras ac Furias, exhiberent, vt h. l. 255—7. et apud Apollon. Arg. II, Phineum vlciſcuntur; vbi v. 289 ſunt Διὸς κύνες, vt Κῆρες ſunt Ἄιδαο κύνες IV, 1665. quo factum, vt confuſas paſſim cum his ipſis videas: etſi Homerus diſerte eas diſtinxerat: Odyſſ. υ, 77. 78. Hoc vnum recte traditum in extrema parte notae Seruianae et in nota Cerdana. Acceſſit in poeta et hoc, quod mala denuntiant et praedicunt. Nam ſic Celaeno: *Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.* Tandem etiam Parcarum et Fatorum loco habitae ſunt. Sic Herodes Atticus in Inſcript. in Regillam: vſ. 14. οὕνεκα οἱ παῖδας μὲν ἀμύμονας ἐκ μεγάροιο Ἅρπυιαι Κλωθῶες ἀνηρείψαντο — ſunt Μοῖραι. Cf. inf. ad XII, 845. Iecimus fundamenta fabulae a viris doctis, qui veriora exquirere volent,

accuratius dispeſcendae et dilucidandae. Vanis etymologiis implicitam rem nuper vidimus a Martorello ſuper Colon. Euboic. Neapolim deducta p. 49 ſqq. Caeterum mireris forte, tam caſto, h. e. tam exquiſiti circa τὸ καλὸν καὶ πρέπον ſenſus et ſubtilis iudicii poetae, fabulam tam parum iucundam potuiſſe probari. Cui enim non moueat nauſeam *foediſſima ventris proluuies* et *contactuque omnia foedant Immundo* et *teter odor?* Enimuero talium rerum iudicia diuerſis in populis, diuerſo aeuo, admodum diuerſa eſſe ſolent; quod Homius meminiſſe debebat, et a Leſſingio olim monitum eſt. Tum, quod maius eſt, ea, quae vetuſtatis auctoritatem habent, in talem cenſuram vix veniunt. Et habuit Virgilius, quem ſequeretur, Apollonium II, 187 ſqq. cf. Exc. XVI ad v. 623 ſqq.

Supereſt, vt *de forma Harpyiarum* diſpiciamus, paullo ſubtilius quam a Montfauc. et aliis factum vidimus. In Homero ſunt *Venti* θύελλαι, a quibus in altum raptae ſunt Pandarei filiae; nihil de forma additur. At vbi equos Harpyia Podarge Zephyro peperit βοσκομένη λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο, manifeſtum eſt, quod et Apollonius in Lexico Homer. ſtatuit, *formam equinam* ei eſſe tributam: Iliad. π, 149. ad quem locum plura videbimus. *Alas* addidit Heſiodus Theog. 267. „Electra Thaumanti peperit ἠϋκόμους Ἀρπυίας Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε, Αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται Ὠκείῃς πτερύγεσσι. μεταχθόνιαι γὰρ ἴαλλον.“ Si ἠΰκομοι ſunt, *pulcris comis*, putes *puellas* fuiſſe; poſſunt tamen quoque *pulcris iubis* inſignes eſſe *equae*. Apud Apollon. in Argon. l. l. II, 188. appoſitos Argonautis cibos raptant γαμφηλῇσι, quod apud Homerum de *maxillis*, σιαγόσι, γένυσι, dictum, de roſtris vulgo accipitur; aduolant quoque illae et edunt clangorem, κλαγγήν, vſ. 269. tamquam alites rapaces; vt apud Apollodor. I, 9, 21. vbi Argonautica exponit, πτερωταὶ ſunt et σὺν βοῇ καθιπτάμεναι. Omnino in Argonauticis fabula de Phineo et Harpyis diſertius expoſita fuiſſe videtur. Hactenus Harpyias *animantia alata monſtroſa* fuiſſe exiſtimes. Virgilius addidit plura; ſunt ipſi *Harpyiae volucres, virgineo*

ore, manus vnguibus curuis inſtructas habent, pedes vncos, vocem diram, pallorem ex fame, corpus inuulnerabile. (216. *Virginei volucrum vultus — vncaeque manus* — 226. *magnis quatiunt clangoribus alas* — tum *vox dira* — 233. *pedibus vncis.*). Ad huius poetae ductum cogitandum erit de *alitibus* virgineo ore inſignibus. Conuenit Schol. Lycophr. 653. σώματα γυπῶν, πρόσωπα κορῶν ἔχουσαι, ſed idem miro modo addit, ὦτα ἄρκτων, *aures vrſinas* eas habere.

Iam expreſſas videmus in numis ac gemmis formas *volucrum capite virgineo inſtructarum:* quas variis modis interpretari ſolent viri docti, modo Sirenes, modo Stymphalides, modo Harpyias. Poſterius hoc cum aliqua probabilitate ſtatui poſſe videtur: conueniunt enim formae cum exemplo Virgiliano, niſi quod *vncae manus* abſunt, et quod plerumque galea appoſita eſt capiti: vide ſaltem Montfauc. Tom. I. pl. 222. vel Beger. Theſ. Brand. T. III. p. 371. Propius ad Virgilium expreſſa eſt facies in Cod. Vatic. ad Aen. VI, 289 vbi in locis inferis memorantur Harpyiae; eſt virgo ibi alata in auem deſinens cum manibus vncis. Verum in monumentis hae abſunt. Addita igitur eſt galea, neſcio qua de cauſſa; aut dicendum eſt, merum phantaſma artificum, ſymbolicum forte, eam ſpeciem eſſe. Poſſunt quoque omnia haec pariter eſſe vera, ſi recte ea conſtitueris.

Scilicet ſunt haud pauca Graecorum, inprimis in Odyſſea, monſtra, quae ab antiqua aliqua forma ſymbolica ducta ſunt; nonnulla quoque conueniunt cum Aegyptiis hieroglyphis, ſeu caſu, ſeu quod inde ducta erant, aliis tamen modis tractata et ornata. Ita Harpyias Aegyptiis figuris alitibus cum capite virgineo (quales apud Montfauc. ſunt) ſimiles eſſe haud negem; potuere quoque ex Aegypto ductae eſſe. Eadem forma ſerius ſuperſtitionibus amuletorum inſeruiit, varieque ea occurrit ornata in gemmis. v. Gorii Gemmas aſtrif. tab. 135. 6. 7. Extat numus Gabalenſium apud Patinum in Numiſmat. Impp. p. 243. in quo Harpyia cum Sphinge efficta ſymbolicam ſpeciem habet.

Cum ea forma semel instructa esset galea, adiecta fuere alia, vt clipeus, hasta, ita vt tandem Palladis symbola ea referre videretur. Tale signum in denario gentis Valeriae occurrit, quod, ductu duarum gemmarum (quas tamen pro amuletis, non pro vere graecis habere malim) apud Montfauc. tab. CXXII, 8. 9. ad Palladem reuocabat Eckhel Doctrina numor. Tom. V. p. 331. Nec tamen vltra opinationem progredi in his licet.

Sirenum species tam diuersa est, vt eam cum Harpyiis confundi mireris. Sunt eae virgines alatae, inde a femoribus in volucres desinentes; πτερωτας, τὰ κάτω ὀρνίθων ἔχουσας vt Schol. Lycophr. 653. et Apollon. IV, 898 ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν, Ἄλλο δὲ παρθενικῇς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι. Tubam fere vel citharam tenent, vt vel apud Montfauc. videas. Exempla extant plurima in numis, in gemmis (v. c. ap. Tassie) et sarcophagis. Nobilis est denarius gentis Petroniae (v. c. Thesaur. Morell. tab. I, 1. et al. add. Spanhem. Tom. I. p. 251). Inprimis numi Neapolis Parthenopen exhibent. Inter gemmas est Sarda, in qua Vlysses alligatus est malo, adstantibus trinis Sirenibus, obuia apud Paciaudum Monim. Pelop. Tom. I. p. 139. Idem argumentum est anaglyphi, quod primus edidit Fabrett. Addend. ad Tabulam Iliacam, pag. extr. Add. Musam Sirenis alis pennas euellentem ap. Winckelmann. Mon. ined. tab. 46.

Tandem *Stymphalides* nequidem in censum hunc referri debebant; sunt enim aues paluſtres longis rostris, nulla alia re notabiles. v. Apollodor. II, 5, 6. at Pausan. VIII, 22 nugatur dum ex Arabia eas arcessit. Occurrunt illae in pluribus anaglyphis Herculis et in numo Perinthiorum Gordiani III. in Numism. Albani Tom. II, tab. 70. Add. Pictur. Herculan. Vol. VII, p. 709 Winckelmann. Mon. ined. tab. 65. *Gravures de Vases par Tischbein* Vol. II, tab. 18.

EXCVRSVS VIII

Vaticinium de mensis ambesis.

III, 255—258 *Sed non ante datam cingetis moenibus vrbem, Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis Ambesas subigat malis absumere mensas.* Vaticinium hoc fuit inter veteres Graecos et Romanos celebratissimum, quod iam in Disquis. *de inuentis a poeta rebus* s. V. attigimus; etsi diuersum apud alios auctorem habet. Nam Anchisae iam olim a Venere datum esse, e L. Iulio Caesare et Q. Lutatio tradit Victor O. G. R. 11, vnde etiam παλαιὸν θέσπισμα vocat Lycophr. 1250 — 1252. Aeneae autem siue a Ioue Dodonaeo (Varro Rer. Diu. lib. II ap. Seru. ad III, 256 et alii ap. Dionys. Halic. I, 55) siue a Sibylla Erythraea (v. Dionys. ibid.) praedictam rem, narrauerant alii. Poetae inuentum esse videtur, quod Harpyiarum vni oraculum illud tribuit. Exitum sortis datae v. lib. VII, 107 sqq., vbi v. Excurs. II.

Caeterum summa ista vaticinii celebritas mouisse videtur poetam, vt fabulam amplecteretur, per se ineptam et epici carminis maiestate indignam, quippe quae ex vocabulorum lusu pendet; saltem illud ad poetam excusandum valere debet. Nam, vt narrationem suam faciat probabilem ac verisimilem, quoniam in rebus absurdis delectationis fructus intercipitur, poetae epici prima cura est. Itaque in laude ipsi ducendum, si fabulas priscas popularium suorum vel veterum poetarum tam commode argumento suo intexere et ita accommodare nouerit, vt, dum eodem quasi stamine tota tela detexta est, videantur parem fidem habere et illa, quae ipse noua erat commentus. Cum autem in illarum fabularum natura ac ratione nihil mutare possit, nisi sibi ipsi fidem velit detrahere, ferendum est id, quod minus incommodum est, vt interdum in tali fabula insit aliquid, quod iudicii subtilitatem non ferat; inprimis cum multa alia plerumque adsint, quae hoc fabularum vitium eleuent. Nam vetustatis sanctitate consecrata quodammodo earum est auctoritas, inprimis si cum reli-

gione aliqua coniunctae sunt, multo magis in oraculis ac vaticiniis, vt de leuitate earum vel monstrosa natura cogitare ne audeamus quidem. Cum porro etiam doctiores multa lectione a prima aetate istis fabulis adsueuerint, narrationis suauitate ducti ac deliniti non facile in animum inducunt, vt subtili iudicio vti velint. Haec et talia obversata videntur poetae animo, cum similes fabulas in suam Aeneidem reciperet, etiam inf. IX, 79 sqq. de nauibus in Nymphas conuersis. Saltem ea iudicium nostrum a temeritate reuocare debent, etsi id interdum recte se habere potest, si ad nostra tempora nostrosque sensus rem referimus, aut si illas fabulas, quod verum tamen non est, a poeta inuentas et excogitatas ponimus. A fabularum antiquarum auctoritate excusationem poetae iam Voltarius petiit *de Poesi epica* aduersus eos, qui poetam reprehenderant.

EXCVRSVS IX

De clipeo Abantis.

III, 286 *clipeum, magni gestamen Abantis.* Quis Abas ille fit, cuius gestamen, Φόρημα, clipeus erat, inter interpretes non constat, et per se parum refert scire, nisi de inuento ac doctrina poetae etiam in hoc quaeras; quae vtique honesta est quaestio. Seruiana commenta parum se probant. Abas ille, qui vnus e sociis fuit (sup. I, 121), huc vocari nequit; nam de spoliis, quae *vni ex Achiuis caesis detraxerat* Aeneas, nunc agitur. Apud Homerum tamen nullus hoc nomine inter Achiuos occurrit. Itaque e poetis cyclicis duxisse videri potest poeta. Equidem olim sic statuebam: quandoquidem ab Homero Abantum ex Euboea virtus celebratur, Iliad. β, 536 sqq., quorum Abas, Neptuni filius, conditor fuit, reconditam aliquam narrationem in animo habuisse videri Virgilium. Nam illi ipsi Abantes a Troia reduces ad Epiri littora tempestate delati circa Ceraunios montes confederant. vid. Pausan. V, 22, vnde Apollon. IV, 1214 Κεραύνια Ἀβάντων Οὔρεα.

Satis itaque animose sub illorum quasi oculis tropaeum de Abantibus statuit, fixo clipeo, forte Abantis, in pugna alicui ex Abantum ducibus caesis inter reliqua spolia erepto. Apud Valer. Fl. 453 inter Argonautas Canthus ex Euboea Abantis aui sui clipeum gestat. Suppetit alia, nescio an probabilior, ratio: Abas fuit ex antiquis Argiuorum regibus, Lyncei f. ipse pater Acrisii et Proeti, qui armis inter se certantes clipeum, Argolicum saltem, inuenerunt: v. Apollod. II, 2, 1, et ibi Not. p. 276. 277. Iam poeta aut acceperat hoc traditum, aut fingere tacite potuit, fuisse vnum ex Argiuis principibus, qui ab Abante ad se hereditate transmissum clipeum gestaret: quem a se caesum Aeneas spoliauerit. Abantis autem clipeus aliam habebat famam ex eo, quod ille a Lynceo Abanti donatus occasionem dederat ludis in vrbe Argorum instituendis (in Iunonis quidem honorem, τὰ Ἡραῖα, in quibus victor eo honore afficiebatur, vt clipeum in Iunonis templo affixum tolleret et in pompa duceret, mox prisco loco reponendum. Vnde nota ap. Zenob. et al. ἡ ἐν Ἄργει ἀσπίς. v. inpr. Spanh. ad Callim. in P. L. 35). Fabulam narrat Hygin. f. 170, vbi v. Muncker., vnde etiam Seruiana lucem foenerantur. Alludit Ouid. Met. XV, 164. vbi Pythagoras agnouit clipeum Euphorbi *Abanteis templo Iunonis in Argis*. In clipei autem dedicatione Holdsworthus dedicatas ab Augusto post pugnam Actiacam X naues a poeta respici putabat. Veriorem rationem dedisse mihi videor supra Excurs. I ad h. lib. p. 422.



EXCVRSVS X

Heleni et Andromachae occurſus in Epiro.

III, 294 ſqq. *Hic incredibilis rerum fama occupat auris* etc. Commentatur in h. l. auctor de Auguſtii progenie c. 12. Poetae artem ex hoc aeſtima. Antiqua erat fabula *de Aeneae ad Epiri littora appulſu.* v. Excurſ. de Aeneae Error., qui primus eſt ad h. lib. Erat porro narratio in Νόστοις, et multo magis in tragoediis, etiam in lyrico, Pind. Nem. 4, 82. 7, 50, vbi v. Schol., celebrata (relicto Homero, ſecundum quem Pyrrhus inter eos erat, qui incolumes in patriam redierant, Odyſſ. γ, 188. 189) de *Pyrrhi, Achillis f., regno in Epiro* conſtituto, quam ipſi hiſtorici frequentarunt, v. Pauſ. I, 11. II, 23. Iuſtin. XVII, 3. cf. *de Nicolay diſſ. in Mem. de l'Acad. des Inſcr.* Tom. XVIII, p. 529 ſqq., etſi Moloſſi Epiri ad ſe traduxiſſe viden-

tur, quae Molossis Thessaliae debebantur. cf. Dictys VI, 7—9, quem locum ex veteri poeta descriptum esse appareret; adde c. 12 ex Euripidis Andromacha excerptum. v. Excurs. XII. Alia erat narratio *de Andromacha Pyrrho ducta*, et de superinducta Hermione, Pyrrhoque ab Oreste caeso; de quibus inprimis v. Euripidis Andromache. Ouid. Epist. VIII. Tandem *de Heleni in Epirum aduentu*, siue in captiuitatem a Pyrrho abducti (quod poeta sequitur inf. 329 *famulo — Heleno;* adde Polygnoti tabulam ap. Pausan. X, 25, p. 860, et Tabulam Iliacam et Fabrett. p. 378), siue classe aduecti (cf. Steph. Byzant. et Etymol. M. in Βαθρωτὸς), alia passim in poetis erant memorata: Pausan. I, 11. II, 23. De Heleno enim fabulam varie condiderunt poetae. cf. inter alia Sophocl. Philoct. 613 sqq. 1375 sqq. Conon 34. Ouid. Met. VIII, 99, et 335. 336. Adde Quint. Cal. X, 346 sqq. Dictyn IV, 18. V, 9. Multa ex his transscribi possent, nisi breuitatis studium me reuocaret. Omnium fundus fuit Leschei Ilias parua, quantum ex Procli fragm. intelligo. Ibi sub extrema belli tempora Helenus ab Achiuis captus vaticinatur Troiam capi non posse nisi arcessitis Herculis sagittis, quas Philoctetes seruabat. In Carmine autem Cyprio ap. Proclum Helenus susceptа a Paride nauigatione περὶ τῶν μελλόντων προθεσπίζει. In eo omnes conueniunt, vt Helenus prudentia et vaticinandi arte clarum nomen habeat: οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος Iliad. ζ, 76. cf. hoc libro 359 sq. 433 s. Vide laudd. ap. Io. Schrader. Emendatt. praef. p. XI sq., vbi in Orphicis de Lapid. XI, 50 eum in Palamedis locum, iam ante Tyrwhittum, sagaciter restituit. Virgilius his commode (etsi aduersus temporis rationem, nam anno demum nono a Troia euersa Hermione nubit Pyrrho Odyss. δ pr., sed v. inf. ad 613 sqq.) vsus est ad episodium suauissimum, cui

inprimis, neſcio quid ad affectum faciens, eo conciliat quod in ipſo eſcenſu Aeneae *Andromachen Hectori inferias facientem* inducit. 302—305. *Ante vrbem in luco falſi Simoentis ad vndam Libabat cineri Andromache manesque vocabat Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem, Et geminas cauſſam lacrimis ſacrauerat aras.* Monendum adhuc eſt de Hectoris tumulo ab Andromache adumbrato: *Hectoreum ad tumulum.* Cenotaphium fuit. Verus Hectoris tumulus Troiae fuerat: ῥίμφα δὲ σῆμ' ἔχεαν, Iliad. ω, 799. Extra vrbem fuiſſe, ex imitatione Andromachae apud Virgilium intelligitur; idque declaratum diſertius a Dicty IV, 1. *Interea ſepeliuere eum haud longe a tumulo Ili regis quondam:* quem ante vrbem ad viam verſus littus fuiſſe ſatis conſtat, etſi locus verus nondum eſt repertus. Tzetza Homeric. 486. Ἐκτὸς τείχους καὶ πόλιος μέγα σῶμα κήαντες Ἐς κάπετον κατέθεντο πελώριον Ἕκτορα δῖον. In Tabula Iliaca monumentum eſt Hectoris effictum, ſed lapidibus exſtructum, neque extemporaneo ſimile. Mireris in eo ſignum leonis impoſitum, tamquam virtutis ſymbolum, quod etiam in gemma Muſei Flor. (Vol. II, tab. 32) occurrere memini, pugna Achillis cum Pentheſilea ad monumentum, ſorte Ili, facta. Videtur ipſe Tzetza innuere 489. Καλὰ δὲ λαίνεα ποτὶ τύμβον ἀγάλματα θῆκαν. Saxeum opus ipſe Homerus prodit ω, 798. vbi cinerem et oſſa Hectoris condunt in vrna; hanc in humum demittunt: ἐς κοίλην κάπετον θέσαν, αὐτὰρ ὕπερθε Πυκνοῖσι λάεσσι κατεστόρεσαν μεγάλοισι, Ῥίμφα δὲ σῆμ' ἔχεαν — χεύαντες δὲ τὸ σῆμα πάλιν κίον. Caeterum in Epiri littore talem locorum ſpeciem, qualis ad Ilium erat, animaduertere ſibi viſus erat *Lecheualerius* p. 184 de Troade. Notum eſt, quemadmodum in tragoedia ſimili modo Choephorae fuerint exhi-

bitae cum ab Aeſchylo, tum Chryſothemis Electrae ſoror a Sophocle. Etiam Andromachae mirus in Aſcanium affectus, ex Aſtyanactis ſcilicet recordatione, porro adumbrata in noua colonia vetus Troia, Heleni tandem vatis reſponſa, haec omnia magnam vim ad animum habent ſuauiter afficiendum. Caeterum ad noſtrorum hominum ſenſus et mores fabulam hanc traductam eſſe a Racinio, cuius Andromacha extat, vix monere neceſſe eſt.





EXCVRSVS XI

Polyxenae immolatio.

III, 321 — 324 *O felix vna ante alias Priameia virgo, Hoſtilem ad tumulum Troiae ſub moenibus altis Iuſſa mori, quae ſortitus non pertulit vllos, Nec victoris heri tetigit captiua cubile!* Fundus ſententiae in Eurip. Troad. 626 ſqq. Felix vtique poeta in eius exornatione. Saepe eam tragici cum grauitate et miſeratione adhibuere, nimis luxurianter Seneca in Troad. 143 — 163 *Non eſt Priami miſeranda mei mors, Iliades* etc., vbi ad v. 148 etiam ex oratoribus exempla laudat Gronou. Caeterum varietas et in huius fabulae tractatione eſt. Achilles Polyxenae amore captus in inſidias inciderat: vmbra eius amatam puellam ſibi poſtulat debitam praedae partem. At Polyxena Achillis amore flagrans ad eius tumulum manus ſibi infert apud Tzetz. Poſthom. 498 ſq. vbi cf. Iacobs. Laudat Tzetza auctorem *Flauium* 503. Eſt is Flauius Philoſtratus, vana commenta pro fabulis antiquis apponere ſolitus.


Mactata est Polyxena ante Ilium ad Achillis tumulum in Sigeo: quod Virgilius quoque sequitur. Contra, cum Euripide in Hecuba, alii in Thracia demum Polyxenam immolari faciunt, quos sequitur Ouidius Met. XIII, 442 sqq. De sortitione, κληρώσει, hac captiuarum ducibus Graecis in praedae parte assignandarum loc. class. Eurip. Troad. 235 sqq. cf. Quint. Cal. XIV, 382 sqq. et Tabula Iliaca n. 111 sqq. et Fabrett. p. 378, add. Polygnoti tabulam in Pausan. X, 25. 26. cf. sup. ad II, 766.

EXCVRSVS XII

Neoptolemi caedes.

III, 327 sqq. *Nos, patria incensa, diuersa per aequora vectae — Ast illum — Oresten Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.* Primum de hoc monebo: Andromache sequuta erat tamquam captiua Neoptolemum seu Pyrrhum: cuius errores varie traditi sunt, a plerisque ita, vt maritimi essent; ab aliis terrestri itinere: hoc alterum sequutus erat auctor Νόστων secundum Proclum: Νεοπτόλεμος δὲ, Θέτιδος ὑποθεμένης, πεζῇ ποιεῖται τὴν πορείαν, καὶ παραγενόμενος εἰς Θρᾴκην Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν τῇ Μαρωνείᾳ, καὶ τὸ λοιπὸν ἀνύει τῆς ὁδοῦ, καὶ τελευτήσαντα Φοίνικα θάπτει· αὐτὸς δὲ εἰς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ. Noster poeta Tragicos cum Pindaro N. 7, 53 sq. sequutus mari rediisse Pyrrhum significat. Porro: *qui deinde sequutus Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos Me famulam famulo Heleno transmisit habendam:* cf. Excurs. antec. X. *Ast illum, ereptae magno inflammatus amore Coniugis et scelerum Furiis agitatus, Orestes Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.* Poeta rem ita tradit, vt Pyrrhus Hermiones amore captus fastiditam Andromachen Heleno nuptum dederit, vtque postea Pyrrhum Orestes, cui eadem Hermione, Helenae *Lacaenae* filia *Ledaeque* adeo *neptis*, iam olim promissa fuerat (nota res vel ex Ouidii Epist. VIII), interemerit; quo facto pars Epiri, Chaonia, Heleno

regnanda fuit tradita. v. Eurip. in Andromache et in Oreſte. Alii aliter; nam varie res a poetis tractata. v. Pind. Nem. 7, 50 et ibi Schol. cf. Seru. ſup. ad v. 297. De Hermiones et Pyrrhi nuptiis fundus eſt ap. Homer. Odyſſ. δ, 5 ſqq. Sed occiditur Pyrrhus *patrias ad aras*. Varie iam olim interpretes acceperunt; v. Seru. et Pompon. Sab. Si ex vſu loquendi res diiudicanda; ſimpliciſſima ratio eſt, vt reuerſum in patriam Pyrrhum, rem ſacram facientem, ante aram Oreſtes occiderit. Phthiae igitur factum id poeta ponit, in quo hactenus Euripidem Androm. 1243 ſqq. ſequitur, vt poſt caedem Pyrrhi Andromache cum Heleno in Epirum dimiſſa fuerit. Eo etiam ducere videntur v. v. 333. 334 *Morte Neoptolemi* —. Vulgaris tamen narratio Delphis occiſum Pyrrhum tradit; hanc ſi adoptare neceſſe ſit, ſequar illam rationem, quae inter alias in Seruianis allatas occurrit, vt Delphis aram patri conſtituerit Pyrrhus, ad quam ſacra faceret: Neque id ſine exemplo factum, ex Pauſania, vbi de Delphis agit, declarari facile poſſit; vti poſtea Pyrrhus ipſe fuit inter heroes Delphis ſacello celebratos, quod e Pindaro conſtat. Nam, *aras patrias* pro ara Apollinis πατρῴας dici, durum eſſet. Sed forte poeta in toto hoc loco poetam aliquem antiquum ante oculos habuit, qui nunc interciderit; et varie hoc argumentum fuiſſe tractatum, ex Euripidis *Oreſte* et *Andromacha*, quam Ennius in *Andromacha* latine verterat, alia fuit *Andromache in Molοſſis*, porro ex Pindari, Strabonis, Pauſaniae aliorumque locis apparet. Polygnoti tabulae in Leſche Delphica ap. Pauſan. X, 25. 26. an ad Neoptolemi memoriam recolendam ſpectarint, ex ipſo earum argumento aſſequi difficile eſt. Quod autem *ad aram* occiſus eſt Neoptolemus, in religionem verſum eſt, vt euenisse id videretur ad vlciſcendam Priami caedem a Neoptolemo ante aram Iouis Hercei factam. cf. Tryphiod. 638 ſq.



EXCVRSVS XIII

De cognatione inter Epirotas et Romanos.

III, 500 — 505. Aeneas, vbi in Italia ſedes certas nactus fuerit: *Cognatas*, inquit, *vrbes olim populosque propinquos Heſperia Epiro (quibus idem Dardanus auctor Atque idem caſus) vnam faciemus vtramque.* Ingenioſe haec poeta e ſuis temporibus intulit. Nam ad *Nicopolin* ab Auguſto conditam reſpici, dubitari nequit. Seruius: Cognatas *vero* vrbes *quidam in honorem Auguſti dictum accipiunt; is enim cum in Epiro Nicopolin conderet, cauit in foedere ciuitatis ipſius, vt cognati obſeruarentur a Romanis.* Certe *liberam ciuitatem* eſſe iuſſit, v. Plin. IV, 3, plerasque Acarnaniae vrbes in eam contraxit aut ei accenſuit. v. Strab. X, p. 450 C. VII, p. 325 D. Pauſ. V, 23. VII, 18, p. 569. Dio Caſſ. LI pr. Omnino in his oris multi ciues Romani videntur conſediſſe, nauigationis et negotiorum cauſſa. Buthrotum ipſum Romanorum

colonia facta est, v. Plin. IV, 1. Atque intra haec subsistendum. Nam aliis temporibus Romani summam in Epirotas crudelitatem exercuerunt; vt notum vel ex Liuio XLV, 34. Alii, quibus Nannius VII Miscell. c. 12 praeiuit, locum Dionysii Halic. huc trahunt ex lib. I, 51 (41), vbi Troianis ab Epiro soluentibus comites se ac viae duces adiunxisse narrat nonnullos ex incolis; *Romani*, inquit, *cognationis et beneficii memores Acarnanibus* (qui saltem Epirotis vicini sunt) *Leucadem et Anactorium Corinthiis ademtum addixerunt, atque Oeniadas in pristinam sedem reducere permiserunt, ex Echinadibus autem insulis vectigalia cum Aetolis communia habere iusserunt.* Haec Dionysius. Grauiores causas alias huius liberalitatis Romanis fuisse, facile intelligitur. Facta scilicet illa, quae enarrat, partim bello cum Aetolis confecto, partim bello Achaico profligato, partim etiam ducta ab Augusto Actium colonia et Nicopoli condita. *Leucas* quidem Aetolis ademta a Romanis, hinc Acarnanibus restituta, paullo post Acarnanum concilio eximitur ap. Liu. XLV, 31. *Anactorium* vero colonia fuit Corinthiorum (v. Steph. Byz. h. v. et Strabo X, p. 452); iis itaque ademtum a Romanis, Dionysius narrat. Iidem Corinthii Leucadem tenuerant (v. Strabo p. ead. B.) cum toto hoc Acarnaniae tractu littorali, etiam Ambraciam, de qua vide mythum antiquioris aeui ap. Antonin. Liber. c. 4. Schol. Apollon. IV, 1212 et 1216. Oeniadae tandem Acarnanum, captae a Laeuino et Aetolis contributae, (v. Liu. XXVI, 24) mox pace cum Aetolis victis facta Acarnanibus sunt restitutae. v. Liu. XXXVIII, 11; quo facto forte iterum veteres incolae fuere reducti. Inter haec tamen omnia ad ea, quae Augustus fecit, maxime respexisse videri debet poeta.



EXCVRSVS XIV

De Herculeo Tarento.

III, 551 *Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti Cernitur.* Quae de Tarante heroe et Phalantho, Partheniarum ductore (v. Strab. VI, p. 278 ſqq. cf. ſup. ad IV Georg. 125), Seruius et alii hic memorant, aliena ſunt. Nam Taras, Tarenti conditor, notiſſimus ille vel e Tarentinorum numis (v. Eckhel poſt Golzium, Magnan, Pellerinum *Suppl. IV au Recueil des Medailles ad pl.* II, 10), Neptuni fuit filius, nihilque habet commune cum Hercule. Phalanthus autem, quem Seruius octauum ab Hercule facit, vltra trecentos annos poſt Troiana tempora vixit. vide vel Simſon. Chronic. Neque per prolepſin loqui poetam admodum velim, quod Mazochius amplexus eſt de *Tabb. Heracleenſ. Prodr.* c. 4,

vbi multis de Tarento vetere agit. Nam *Io. Iuuenis*, qui de *Antiqu. et var. fortuna Tarent.* scripsit, nihil de suo attulit. Caeteris Grammaticorum apud Seruium nugis praeferendum hoc, quod Pompon. Sab. habet: *Tarentum sub Herculis tutela fuit; in ea seruabatur Herculis aenea imago a Lysippo facta, quam Fabius Max. secundo bello Punico victor in Capitolium transtulit* (v. Plin. XXXIV, 7, s. 18). Sed Pomponius e Strabone sumsit lib. VI, p. 378 B, vnde tamen posterius tantum firmatur: at prius illud, quod Tarentum sub Herculis tutela fuit, etsi id ex eo probabile facere possis, quod ducta postmodum eo ex Lacedaemone colonia Herculem, vtpote Heraclidarum suorum auctorem, inprimis religiose colere debuit; et reperiuntur numi Tarentinorum cum Herculis capite, et cum Hercule clauigero leonem suffocante; (v. nunc Eckhel. Doctrina Numor. vet. Tom. I. P. I. p. 147.) tamen de eo poeta cogitare non potuit, quoniam addit: *si vera est fama.* De fabula vetere agi itaque necesse est. Erythraeus in Indice Virg., Iunius I Animaduerss. 9, et, qui iis praeiuit, Parrhasius in docto Comment. ad Claudian. ex Aristotele de mirab. Auscult. locum afferunt, quo probent, ab Hercule aliquando captum vel infestum Tarentum; quin poetam verba: *si fama est vera*, hoc propter ipsum adiecisse, vt Aristotelis fide non plane se stare ostenderet; id quod plane insolens videtur. Neque in Aristoteleo loco (v. T. II ed. du Val. p. 729) vllum eorum, quae inde ducunt, est vestigium. Male etiam locum interpretantur, de quo docte egit Mazoch. *ad Tabb. Heracl.* p. 72 sqq. Ex Pausan. X, 10, qui, quae alii de Myscelo tradiderant, ad Phalanthum transfert, apparet, narrationes de Tarenti et Crotonis originibus fuisse inter se permutatas a nonnullis. Fac Virgilium in talem scriptorem incidisse; ita Herculi debita origo Crotonis traducta ad Tarentum. Sane tota haec Italiae ora, vt passim aliae Italiae partes, fabulosa Herculis monumenta ostendebat. vid., praeter Serv. ad v. 552, Diodorum IV, 20. 21 sqq. Strab. VI, p. 281 C. Ouid. Met. XV, 9 sqq. cf. Dionys. Halic. I, 39—44.

Et erat in extrema Italia Herculis Portus, promontorium Herculeum; erat etiam Heraclea vrbs, de qua Mazochius copiose egit, quamquam ea ab initio Ἡρακλεῖον dicta (Schol. Lycophr. ad v. 978) templo potius Herculis, quod ibi fuit, nomen debuisse videtur. Igitur manet hoc, antiquam aliquam fabulam, quae nunc nota non est, de Tarenti originibus Herculi adscriptis poetae h. l. in animo fuisse.

EXCVRSVS XV

De Aetna.

III, 571—577 *Sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis* etc. In hunc de Aetna locum comparatum cum loco Pindarico (Pyth. I, in pr. Epodo) iam apud Gell. XVII, 10 grauem censuram exercuit Fauorinus philosophus, sed vt philosophum magis quam criticum poetica elegantia imbutum agnoscas. Nam neque Pindarum exprimere, multo minus ad verbum transferre, voluit aut debuit Virgilius, neque lyrico et epico poetae idem rerum verborumque dilectus esse potest. Refutarunt Gellium a Macrobio exscriptum V Sat. 17 multi (v. ad Gell. et ad h. l. Virgilii), inter quos Ios. Scaliger Poet. V, 4 inprimis et Cerda, quos vide; sed cupide magis, saepe inaniter et frigide, quam ad epicae poeseos naturam et poetae consilium, qui congerere in vnum voluit omnia, quae nobis de Troianis rei locique ignaris in Aetnae vicinia noctem exigentibus sollicitudinem facere possint. Etsi illud mihi quidem satis apparere videtur, poetam plus in verborum ornatu laborasse quam in physica subtilitate. Ita miscet plura, ad diuersa rerum momenta et vices spectantia vss. 572. 3. 4. Saltem vltimum versum redundare sentio. Quamobrem mireris forte, Senecae visum esse Virgilium *argumentum hoc impleuisse* Epist. LXXIX. Caeterum Virgilius historiae fidem insuper habuit; recte tamen vt poeta; nam belli Troiani et ipsius Homeri tempore Aetna nondum intestinis incendiis saeuiisse videtur; saltem ille a satis multo tempore cessasse videri debet; (erant forte *antra Cyclopum* anti-

quioris incendii argumenta: de quibus cf. D' Orville Sicilia T. I, p. 247); alioqui Homerus hoc naturae portento, ad poeticum ornatum tam accommodato, haud dubie esset vsus; id quod primo loco Pindarus fecit Pyth. I, cuius aetate Ol. LXXV, 4 (paucis annis ante victoriam Hieronis Pythicam) alterum Aetnae incendium contigerat; tertium L annis post, Ol. LXXXVIII, 2. v. Thucyd. III, 5. At primum incendium (ab eo sc. tempore, quo Graeci in insulam immigrauerant) temporis nota destituitur. Cf. de his docte disputantem Wernsdorf. Tom. IV, P. M. p. 378. In Argonauticis expectabam Aetnae mentionem. Planctae ad Vulcanias insulas alludere forte possunt. In vno auctore Orphicorum Argonautic. v. 1249 memoratur flamma Aetnaea Enceladi; In caeteris sane auctor ille diligenter seruauit locorum naturas et notationes e prisci aeui ignoratione et errore. Proximum ad Virgilii aetatem incendium Aetnaeum fuit V. C. 718 apud Appian. B. C. V, c. 117.

EXCVRSVS XVI

Foeda ad sensum a poeta narrata.

III, 623 sqq. *Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro — Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent Limina; vidi atro cum membra fluentia tabo Manderet et tepidi tremerent sub dentibus artus.* Haec et quae inf. 632 leguntur, *iacuitque per antrum Immensus, saniem eructans ac frusta cruento Per somnum commixta mero:* post alios Homio, Viro Ill., sunt reprehensione digna visa, quod non modo horrorem sed et nauseam foeditate sua et auersationem facerent. Faciunt vtique nostro sensu; nec essent ea, si nostro aeuo scriberentur, sano iudicio probanda; sed faciunt simul horrorem; et hominum belli caedibus rapinisque adsuetorum sensus potuit esse obtusior, stomachusque minus fastidiens. Nam, quod haec inter conuiuium, coram femina regina, narrantur, id poeta nos ab initio statim animo retinere noluit, et totam narrationem ad sui carminis lectores magis quam

ad Didonis et Poenorum auditionem attemperauit. Sed omnino in fabulis antiquis tam laute ac superbe poetae nec versantur nec versari iis necesse est, nec nobis legentibus magis licet philosophica aliqua subtilitate vti; alioqui frigeret tota de Polyphemo et quot non Homericae Virgilianaeque fabulae! In Polyphemi forma ac robore, verbi caussa, sunt multa, quae sibi repugnant, multa absurda, si subtilius iudicium adhibeas; sed phantasiae sensusque voluptati ista scripta, non philosophico acumini. cf. sup. ad v. 250 — 252. Homerus multo atrocius spectaculum, et carnificinam verius, exhibuerat; sed alios homines, aliud seculum, quod respiceret, habebat. Ouidius ab omni atrocitate alienissimus non tamen horrendum hoc Polyphemi spectaculum Metamorphoseon lib. XIV iterum exhibere dubitauit. Euripides autem in Cyclope Satyrici dramatis natura tueri se potest. Vide v. 380 sqq. Sane Theocriteus Cyclops paullo humaniore cultu exhibetur Idyll. XI.

EXCVRSVS XVII

Anchisae obitus.

III, 710 *Hic — genitorem omnis curae casusque leuamen Amitto Anchisen.* Anchisae obitum non ad historiae magis fidem quam, quod commodum esset, ante Aeneae ad Didonem aduentum commemorat. Quas enim Anchisae partes satis decore inter Aeneam et Didonem tribuere potuisset? Anchisae sepulcrale monumentum etiamnum iuxta Drepanum ostenditur, sed v. Doruill. p. 49 et inf. lib. V, 75 sqq. Mortem eius veteres scriptores tam diverse tradiderant, vt nihil magis. Tumulum eius in Ida pastores et agrestes quotannis coronasse traditum narrat Eustath. ad Iliad. μ, p. 894, 33. In Pallene Theon, in Sinu Thermaico Conon (v. sup. Excurs. I ad pr. v.), in Arcadia Arcades (ibid.) sepultum esse contendebant. Pausanias VIII, 12 Arcadum narrationi subiungit, constare saltem hoc, *quod Aeolenses, qui tum Ilium incolebant, nullum Anchisae tumulum ostendebant*; vt adeo, extra

patriam certe eum obiisse, inde probabile fieret. Verum omnino veteres scriptores monumentis his, fanis, tumulis ac sepulcris, fidem historicam tribuerunt incautius: cum, vbicunque herois σῆμα aliquod extaret, ibidem, vulgarem famam sequuti, eum sepultum esse contenderent; enimvero, nisi aliunde ea de re constaret, in memoriam herois vel viri clari factum esse illud potuit, nec tamen corpus eius conditum tegere. In Italiam Anchisen adduxerant alii, et ipse Cato, vt Seru. ad Aen. I, 570 et alibi. Victor de Orig. G. R. c. 10 et ibi Arntzen. cum Muncker. ad Hygin. f. 260. Meziriac. ad Ouid. Heroid. Tom. II, p. 221, qui plura dabunt. Nos, vt saepe diximus, non, vt vanam eruditionem ostentemus, nec vt, quid veri insit, nunc disquiramus, sed ea de caussa haec commemoramus, vt, quam felicem, facilem, ac copiosam materiam poeta tractandam sibi sumserit, appareat.





Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis! Aen. IV, 412.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER QVARTVS

ARGVMENTVM

Dido amore Aeneae insaniens, animi sui morbum sorori aperit: eiusque consilium secuta, ad nuptias animum adiicit 1—89. *Iuno quoque, vt Aeneam facilius ab Italia auerteret, agit cum Venere, vt eius bona cum venia liceat Aeneae Elisam vxorem ducere: quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam ostendit* — 128. *Postridie Aeneas et Dido venatum proficiscuntur. Ibi omnibus iam praedae intentis Iuno subitam immittit tempestatem; comites alius alio diffu-*

giunt; Aeneas et Dido in idem antrum conueniunt, ibique infaustis ominibus coniunguntur — 172. Interim Iupiter, Iarbae Gaetulorum regis, qui aduenam sibi praeferri iniquo animo ferebat, precibus fatigatus, Mercurium mittit ad Aeneam, mandatque, vt, relicta Africa, in Italiam nauiget — 278. Ille Iouis imperio morem gerens, quaecunque ad nauigationem erant necessaria, clam per socios parari iubet — 295. Caeterum Dido, vbi classem instaurari sensit, suspicata id quod res erat, grauiter cum ipso expostulat, precibusque et lacrimis tum per se ipsam, — 392 tum per sororem, — 449 eum ab incepto reuocare conatur. Aeneas, naue iam conscensa, iterum in somnis a Mercurio admonitus, intempesta nocte ancoras soluit 554— 583. Illa doloris impatiens, mori decreuerat, 450 — 473 et celans sororem quod meditabatur, exstructa in editiore aedium parte ingenti pyra, sacrum magicum, quo ab amore se solueret, parauerat, 474 — 521. vbi, recrudescente per noctem dolore furens, 522 — 553 Troianos discessisse vidit, diris Aeneam deuouet, 584— 629 ablegataque Barce, Sichaei nutrice, ne quid destinatae morti impedimenti adferret, necem sibi conscisit.

Libri huius artificium quis non sensit? quis non laudibus praedicauit? Est enim ad communem hominum affectum comparata res, amor infaustus et successu carens. Si de iis partibus carminis quaeritur, quae Virgilio propriae sunt, et ex quibus eius ingenium et ars inprimis spectari simulque illud intelligi possit, quantum ad cuiusque poetae indolem aetas et temporum, in quae incidit eius vita, genius faciat: librum hunc primo loco excitandum esse arbitror. Nihil enim, in Homero certe, habuit, quod sequeretur; nam alienissima res ab Homeri saeculo et moribus, delicias in amore facere, aut exquisitiorem aliquem affectum suscipere. Euripidis Alcesten in nonnullis ante oculos habere potuit. Etiam ex

Naeuii bello Punico eum nonnulla retinuisse suspicor; v. Macrob. VI, 2 extr. et Seru. ad IV, 9. Sed communi opinione Apollonium Rhod. sequutus esse fertur iam in Seruianis ad lib. IV pr. et Macrob. V, 17. Scilicet Medeae amorem ad Didonem transtulit. Quae tamen alia inde tollere potuerit, praeter pauca, quae ad primos libri versus et passim alibi notauimus, vix quicquam occurrit; et Medeae amor admodum diuersus ab amore Didonis; in qua secundarum nuptiarum pudor, et regia dignitas, imperiumque in nouo regno, inprimis vero animum superbia et ira exstimulant. Caeterum hunc Didonis amorem a tot aliis mulierciularum amoribus, et a recentiorum studiis, quae toties in tali argumento occupata fuere, admodum diuersum esse facile intelligas. Quod qua potissimum ratione a poeta effectum sit, si forte quaeras, quaeri autem hoc potest, caussae rei mihi ex eo potissimum ducendae esse videntur, quod amor a Didone et Aenea non leuiter, sed post multas magnasque molitiones ad amorem extinguendum frustra a Didone factas, et consociata Iunonis ac Veneris ad eam impellendam opera, suscipitur; porro, quod partim nouae vrbis incrementum, partim aerumnosae nauigationis finis ex eo captatur; quod is amoris affectus cum aliis, iisque grauissimis, affectibus coniunctus est; quod Didonis non modo decus ac fama, sed salus ac vita in eo agitur; quodque miserationi terror ipse est admixtus. Aeneas quidem nostris moribus idonei amatoris personam male sustinere videri potest; nec potest negari, vix te ad libri quarti finem legendo peruenire, quin Aeneae feritatem et immanitatem exsecreris. Subsidit tamen ira, si fatorum necessitatem, vaticiniis et oraculis Aeneae satis declaratam, cogitas. Sed omnino res nostris moribus ac sensibus non est iudicanda; et ex veteribus vitae institutis multas excusationes res habebat, si amicam desereres. Quid? quod maiorem ex ipsa Aeneae truculentia et asperitate dignitatem carmen duxit; et deorum voluntate, fatorum ordine, ipsa in Di-

At regina graui iam dudum saucia cura
Volnus alit venis, et caeco carpitur igni.

1 *Ad* multi, vt fere alias variatur. v. Pier. h. l. et Burm. *tamdudum* Medic.

done amoris impotentia, et facta in eum finem Aeneae oratione v. 332 sqq. culpa eius eleuatur. Dignitati heroïs sui poeta prouidit etiam in hoc, quod, quo amoris aestu ille arserit, nusquam memorat, etsi is tantus esse debuit, vt Aeneas omnem de monstrata a fatis in Italia sede cogitationem animo dimitteret. Dolorem vero ac sollicitudinem super discessu suo ac discidio paullo liberius manifestat. Vide v. 279 sqq. 393 sqq. 448 sqq. Et ipse discessus non nimis acceleratus, nec nisi nouo Mercurii monitu factus v. 554 sqq., tacitam reluctantis affectus habet significationem. In quo vero summam artem declarauit poeta, est, quod episodium hoc, per se alienum a re, vt multi adeo conquesti sint, illud ad animum ab Aeneae persona ac rebus gerendis auocandum valere, cum consilio suo et cum ipso argumento tam arcte coagmentauit, vt Iunonis fraudes ac consilia actionis epicae, quod aiunt, nouum nodum faciant, vtque, ne interruptus et omnino interceptus Aeneae in Italiam aduentus sit, iam metuere incipias. Mox vero, sublato eo quidem metu, Didonis dirae, quae vaticinii speciem habent super odiis perpetuis, quae inter Romanos et Carthaginienses intercessura erant, nouam et inexspectatam suauitatem habent.

1—5. Splendida libri frons, et eximia grauissimi amoris declaratio: *At* respicit vlt. vers. sup. libri: Aeneas finem dicendi hic fecit (nam *quieuit*, dormitum iuit, ieiunius dictum esset); regina vero ex narratione multo magis fuit incensa amore viri, *cura*. *Vulnus*, quod, vt alias pectore, ossibus, nunc alitur *venis*, propter sanguinem amoris aestu concitatum, et occultus *ignis* (quem ne alienum putes a vulnere, Cupidinis ἐκ πυρφόρας cogites necesse est, et Apollonius in

Multa viri virtus animo, multusque recurſat
Gentis honos; haerent infixi pectore voltus,
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.
Poſtera Phoebea luſtrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimouerat vmbram;
Quum ſic vnanimam adloquitur male ſana ſororem:

3 *recuſat* vel *reuerſat* codd. Pierii. v. ſup. I, 662. Miratur Burm. nullum librarium reſcripſiſſe *Magna viri virtus*. Videtur adeo vir doctus non vidiſſe: *Multa recurſat* eſſe pro *multum* poſitum. 5 *dat membris* Menag. pr. 6 *luſtrabat Phoebea* Doruill. 7 Idem verſus iam ſup. III, 589. 8 *Tum* aliquot Pier. *vnanimam* Heinſ. repoſuit ex Medic. et aliis, etiam Pier. alii *vnanimem* ſono minus grato.

oculis fuit lib. III, 286. 287) et *quod multum animo recurſat* Aeneae virtus et Troianorum clarum nomen, amoris ſcilicet et cauſſae et excuſationes, ne contra dignitatem ſuſceptus eſſe videretur. Ad v. 4. 5 cf. Apollon. III, 453 ſqq. Amor autem hic, vt in memoriam reuoces, is eſt, quo Venus et falſus Aſcanius Didonem incenderant ſup. I, 672. 712 ſq.

6. 7. *Auroram* pro Die, vt Homero Ἠώς dicta eſt, propter reliqua accipio. *Luſtrare* in his et ſimilibus eſt obire. (Male Seru. cum aliis: illuſtrabat, vel purgabat.) *Lampadem* pro face iam Lucretius dixit. *Humentem vmbram*, v. ſup. II, 8. Duo hos verſus reprehendebat, tamquam alieni et nimii ornatus, Ill. Homius P. III, c. 21 *Principior. Crit.* Videntur tamen eiusmodi temporis declarationes, quandoquidem apud Homerum et Virgilium toties recurrunt, in propriae et ſimplicis orationis loco eſſe habendae, et probandae etiam hactenus, quod narrationis ieiunitatem vel tenorem variant et ornant. 8. *male ſana*, inſana, μαινομένη. Etiam amantiſſimam ſororem exquiſito vocabulo *vnanimam* dixit. 9 ſqq. In oratione, quae ſequitur, obſerua amoris et pudoris pugnam, et inanem per-

Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
Quis nouus hic nostris succesſit sedibus hospes! 10
Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille

9 *suspenso* Medic. a pr. m. et Goth. tert. *suspensum me* Menag. pr. *terret* a nonnullis lectum, e Seruio et e Pierio patet; et sic Franc., defendente etiam Pomponio Sabino, vt vigilia sit attonita Dido. Ex eodem disco, alteram lectionem *terrent* esse Aproniani, quae haud dubie melior est: *insomnia terrent*. Nam somnia possunt terrere, non vigilia. 10 *moenibus hospes* Franc. At Catulli imitationem cum Vrsino agnoscit Burm. 11 *Quam sese* Parrhas., male. *quem f. p. et armis* emendabat Marklandus post Vales. notante Burmanno, et sic a m. pr. fuit in Fragm. Vatic. ap. Bottar. p. 175. Bene quidem et hoc dictum esset; verum videtur illud ipsum *quem*, h. e. qualem, paullo disertius exponi in illo: *quam forti pectore et armis*. Tamen vel sic elegantius legeretur, quam in codd. Leid. Rottend. pr. Hamb. pr. et Reg. a m. pr. cum Goth. sec. a m. pr. *quam fortis pectore et armis*. 12 *Crede* Gud. a pr. m. vide lib. VI, 849.

vicaciae ostentationem victamque iamdudum ab affectu mentem. Quod Annam sororem Didonis inducit, non nutricem, vt fere Graeci in tali re solent, admodum placet. Sed debet id Virgilius Apollonio Rhodio, qui Chalciopae, Medeae sorori, simile officium tribuerat; a quo et insomnia habet Didonis et amoris confessionem sorori factam. v. Apollon. III, 616 sqq. 645 sqq. Nam Homeri Nausicaam Virgilius vix ante oculos habere potuit, quod Cerda volebat. *Annam* iam Naeuius memoraverat, teste Seruio ad v. 9 in Bello, puta, Punico.

9. *suspensam* ornate adiectum, ad metum pertinet. Adumbrat haec, vt iam diximus, ad ductum Apollonii III, 636. 13. Inuertit orationem: credo eum prolem deae esse, quandoquidem fortitudo ac constantia in ferendis laboribus ac periculis generosam ac diuinam originem

Iactatus fatis! quae bella exhauſta canebat!
Si mihi non animo fixum inmotumque ſederet,
Ne cui me vinclo vellem ſociare iugali,
Poſtquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non pertaeſum thalami taedaeque fuiſſet:
Huic vni forſan potui ſuccumbere culpae.
Anna; fatebor enim; miſeri poſt fata Sychaei
Coniugis, et ſparſos fraterna caede Penatis,
Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantem
Inpulit, Adgnoſco veteris veſtigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,

14 *bella exacta* Oudart. Sprot. et Goth. tert. ſollenni variatione. *tenebat* Goth. pr. 15 *innatum* Wall. a m. pr., male. 16 *Nec* duo editi. *vellem vinclo* Venet. *vellem lecto ſ. i.* Wall. 17 *decepta morte* tres ap. Heinſ., quod ipſi elegantiae quid, parum intellectae, habere viſum; ſed quae aliena eſſet ab h. l. vide Burm. 18 *fuiſſent* Medic. cum ſeptem vett. libris; temere tameu. *fuiſſem* a pr. m. fragm. Vatic. 19 *Forſitan huic vni* ex Auguſtino laudatur, et ſic Goth. ſec. *ſubcumbere* duo. 20 *Sychaei* et hic cum Medic. erat ſcribendum, vt ſup. I, 348, non *Sichaei*. 22 *hicc'* Terentian. Maurus legit, vt ſit Creticus; grammaticae ineptiae, de quibus v. Heinſ. ad lib. II, 664. *libantem* Goth. ſec. a m. ſec., caeteri *labentem*, vitioſe cum aliis. 23 *Et noſco* Zulich. ſit ſaltem *En n.* — *formae* Menag. pr. a m. pr. 24 *Sed me* alter Hamb. *me vt* Goth. ſec. *opto* Rottend. ſec.

arguit. 15—19. Eximio cum artificio ſingula poſita. *deceptam fefellit* poetica copia plenius pro, morte mariti me fefellit, ſpem deſtituit. cf. Burm. h. l. *potui* exquiſite pro poſſem, poſt, *ſi non pertaeſum fuiſſet* — *culpae* cum dilectu h. l. pro amore.

20 ſq. de Sichaei caede cf. ſup. I, 349 ſq. 23. Agnoſco amoris, qualem olim expertus ſum, ſigna. 24. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών Iliad. δ, 182 et al. cf. Iliad. ξ, 464. ρ, 416. *prius — ante quam*, vt Homer. πρὶν — πρὶν ἤ. Egregie ad maiorem vim verſus 26 adiicitur; mox *iura*

Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentis vmbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resoluo.
Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum seruetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis inpleuit obortis.
Anna refert, O luce magis dilecta, sorori,

25 *abigat* aliquot Pierii et tres Burm., male. 26 *Pallantes* qu. Moret., aberratione sollemni. *Erebo* Gud. cum binis Burmann. His Romanum adde et fragm. Vatic., et sic etiam Seruianus commentator legit, id est, *in Erebo*. Potest adeo hoc doctius dictum videri, pro *vmbras Erebi*; vt solet pro casu secundo tertius poni. Duri tamen quid inesse non neges. Vulgatam praefert quoque Schraderus ad Musaeum p. 101. 27 *Sancte pudor* elegans Marklandi coni. apud Spencium; nec tamen illud *prius — ante — quam* exemplo caret ne apud poetas quidem. *violo*, *resoluo* vetustissimi Bened. Pier. et Heins. cum Grammaticis ap. Heins. Etiam sic fragm. Vatic. et ex Aproniani recensione esse et hanc lectionem Pompon. Sab. docet. At Priscian. edd. vett. et codd. aliquot recentiores *violem — resoluam* ap. Burm. Enimuero iam ad I, 706 obseruatum est, consequentiam illam temporum a poeta epico non modo negligi, verum etiam sedulo vitari. 28 *primos* Sprot. et Hamb. pr. a m. pr. *primum* Leid. *vinxit* aliquot Pier. Parrhas. ed. Ven. 29 *Sustulit* Sprot. *seruatque* Hamb. alter. 30 *affata* Ers. *sinus* Montalb. et Ven. *abortis* multi.

pudoris int. vim et potestatem in se: qua a nouo amore et a secundis nuptiis deterrita est. VII. 28. 29 dulcissimi sunt affectus et magnae dignitatis. Vni suo marito amorem suum se addixisse ait. *sinum* v. 30 male Seru. de oculis, cum manifeste pectoris sit sinus. δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι Iliad. ι, 566. Hae autem *lacrimae* magnum facile poetam arguunt. Dum vult constans et aspera et ab amore intacta videri, ecce obortae lacrimae laborantem occulto affectu animum produnt. conf. Horat. IV, 1, 33 sqq. *Sed cur heu, Liguri*ne, *cur* etc.

31 sqq. Egregium suasoriae orationis exemplum in

Solane perpetua maerens carpere iuuenta?
Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?
Esto: aegram nulli quondam flexere mariti;
Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas,

34 *et manes* alii, male. *sentire* quidam. v. Burm. 35 *aegram te n.* Doruill. ex gloſſa inter lineas. 36 *Libyes* malebat Heinſ. *Libye* in multis; ſed hoc eſt pro *Libyae*. v. Burm. Non *Libya* dixit poeta, vt orationem variaret. *diſpectus* duo Burm. *Hyarbas* Franc.

poeta. *Anna refert* verba, reſpondet. v. Burm.

32. Proprie *carpitur*, conſumitur, *aetas, iuuenta, vita*, φθίνεται, κατείβεται αἰών. Simplex oratio eſſet: *conſumesne aetatem vidua;* at ornatior; *conſumerisne ipſa exigens aetatem perpetuo vidua?* Iam melius dictum, *iuuenta* pro aetate, et *moerens perpetua iuuenta*, pro moerens perpetuo in ſolitudine, *ſola*. Imitationem Virgilii in Seneca Hippol. 446 ſqq. *Aetate fruere — cur toro viduo iaces?* agnoſcit Cerda.

33. *Veneris praemia* poſſunt per appoſitionem ad ipſos *natos* referri, tamquam matrimonii munera. Si tamen memineris δῶρα Ἀφροδίτης, quo ſenſu dicantur, melius voluptates et oblectamenta coniugum intelliges. Locum quidem Iliad. γ, 54, male comparant, nam ibi δῶρα Ἀφροδίτης ſunt illecebrae, quibus Venus Paridem inſtruit. At ſunt alia loca, in quibus vſus et fructus Veneris (*Veneris gaudia* poetis ſunt) per munera et δῶρα Ἀφροδίτης declaratur: ſic ap. Pindar. Ol. 1, 119. 120. Nem. 8. 12. Heſiod. Sc. H. 47; quae loca etiam aliis laudata ſunt, etiam nuper a Ruhnk. praef. ad Hymn. in Cer., in quo 102 ſimiliter, vt h. l., τόκος iungitur et δῶρα Ἀφροδίτης: reliqua nihil commune cum h. l. habent. Comparari poteſt ἔργα Ἀφροδίτης apud Muſaeum 141. hoc eſt, γάμος. ἔρως. et in ſeqq. γαμήλια θεσμὰ θεάνης.

34—36. *Manes ſepultos* ex opinione, puto, de Ma-

Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dines alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum conſederis aruis?
Hinc Gaetulae vrbes, genus inſuperabile bello,
Et Numidae infreni cingunt, et inhoſpita Syrtis;
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes
Barcaei. Quid bella Tyro ſurgentia dicam,
Germanique minas?

37 *alios* Rottend. ſec. *Affrica* multi; hinc *Attica* Moret. ſec. *triumphos* Rom., male. *triumphi dines* malebat et hic Heinſius. 38 *Placidone* quatuor ap. Burm. cum aliis ap. Pierium, et Ruſinian. de ſchem. lex. p. 251, ſed et is recte praefert *placito*, quod et Burmann. ex v. 22 vindicat. *oppugnabis* ſec. Moret. In Goth. tert. hic verſus poſt v. 41 erat reiectus. 39 *non veni* Parrhaſ. et Goth. pr. *conſideris* multi, vt fere alias. 40 *Getulae* in pleriſque ſcribitur. v. Pier., ſed Gr. Γαιτῦλοι. *genus intractabile bello* Romanus, forte ex lib. I, 339. *inſuperabile ferro* vnus Leidenſ. 41 *in N.* alter Hamb. *Hinc N.* Seru. ad X, 750. *effreni* Hamb. pr. pro var. lect. *inferni* Vratisl. 42 *ſitu* Wall. et Hamb. pr. a m. ſec. *furentis* tres Heinſ., vt iungatur, *lateque furentis Barcaei quid bella*, ſed minus bene. *lateque vagantes* quatuor Burmann. et ſic laudat Hieronymus: ſc. ex interpretatione. 43 *Brachaei*, *Barchaei*, *Barchei*, *Bachei*, ſcribitur.

nibus compoſitis et placatis, vbi iuſta perſoluta eſſent; adeoque pro vulgari: Manes ſepultorum. In v. 35 *mariti* pro procis. De *Iarba* v. inf. 196, et Iuſtin. XVIII, 6. In *aegram* latet cauſſa ſpreti adhuc amoris, quod recenti dolore erat adflicta, qui nunc reſedit. *mariti Tyro*, a Tyro, Tyrii, vt ſaepe alibi. 37. Multa igitur bella ab Afris feliciter geſta fuere. Declarat ſimpliciter gentem bellicoſam. *terra Africa* antique, vt ſaepe Ennius, Cato, alii. 40—44. *Gaetulae vrbes*, ad terrorem *vrbes* poſuit, nam in mapalibus habitabant. Ita Seru. conf. Salluſt. B. I. 21. Melius dices poetam commune illud, et iam Homericum, πόλεις expreſſiſſe, quod ſimpliciter ſedem et habitationem deſignat. Homericum eſt quoque

Dis equidem auſpicibus reor et Iunone ſecunda
Hunc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.
Quam tu vrbem, ſoror, hanc cernes! quae ſurgere regna
Coniugio tali! Teucrum comitantibus armis,
Punica ſe quantis adtollet gloria rebus!
Tu modo poſce deos veniam, ſacrisque litatis

45 *auſpiciis* Doruill. 46 *Huc* vulgg. *Hunc* Medic. cum potioribus, nec non ſic Romanus cum aliis Pier. et fragment. Vatic. Et codicum auctoritati putem in talibus eſſe ſtandum, etſi et alterum recte dicitur, vt lib. I, 534 *Huc curſus fuit*. *Huc* etiam Seruius interpretatur. 47 *Quantam vrbem* pr. Hamb. a m. ſec. et a pr. Leid. 48 *et T.* Doruill. 49 *attollit* vel *adtollit* tres. 50 *deum* plures Pieriani; ſed omnes Burmann. *deos*.

illud *vrbes — genus;* nam is, et eius exemplo alii, ſaepe πόλεις pro incolis vel populis, et vice verſa populos pro inſula, vel terra et vrbe. cf. ſup. lib. I, 339 *fines Libyci, genus* etc. *Numidae infreni*, equis ſine frenis; res nota: de qua cf. Cerda. *Syrtis* int. Afros Syrtium accolas. ſup. I, 539. 540 *fines Libyci, genus intractabile bello. deſerta ſiti*, inhabitabilis raritate aquae. Seru. Significat autem Anna, a nulla parte quicquam auxilii ac praeſidii Poenis poſſe ſperari. *Barcaei* a Barce, Cyrenaicae vrbe, per prolepſin hic nominati; nam multo ſeriores fuere vrbis origines, quippe a Batti demum nepotibus conditae. v. Herodot. IV, 160, et ibi not. *late furentes Barcaei*. Inſederant ergo iam tum has terras barbari feriique populi late vagantes. Servius: „Hi, ſecundum Titianum in Chorographia (quae Iulii Honorii Oratoris fuit) Phoenicem nauali quondam vicere certamine.“ *Germani minas*. cf. I, 361 ſq.

45. Iunonem potiſſimum propitiam nominat, ſiue quia inter principes deos Carthaginienſium erat: cf. ſup. ad I, 15 et mox v. 59; ſiue quia coniugiis illa praeeſt. 49 — 53. *quantis rebus*, opibus, potentia. Mox *deos veniam poſcere*, eos placare ac pro-

Indulge hospitio, causasque innecte morandi:
Dum pelago desaeuit hiems, et aquosus Orion,
Quassataeque rates, dum non tractabile coelum.
His dictis incensum animum inflammauit amore,
Spemque dedit dubiae menti, soluitque pudorem. 55
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentis

51 *caussamque* Hamb. pr. D. ed. Iunt. 52 *desueuit* Exc. Burm. *Orio* Medic. a m. pr., vt *Agamemno*, *Iaso*, et similia. 53 *dum non* Heins. cum vetustioribus, etiam fragm. Vatic. Vulgo *et non*. 54 *impense* olim lectum Seruius notat; et sane fragm. Vatic. *impensom*. *flammauit* plures Pier. Heins. et Burm. cum eodem fragm. Vatic. 55 *mentis* Gud. cum Rom. 56 *a delubra* Leid. pro *ad*. v. Burm. 57 *Expescunt* Ven., ex interpretatione. *bidentis* reseripsit Heins. cum codd. et Prisciano, pro *bi-*

pitios reddere iubet; caussam in illis v. 9. quaere: *quae me insomnia terrent;* ad expianda scilicet insomniorum omina. *sacris litatis*, nouc hoc dictum (nam proprie litatur diis per sacra s. sacris, victimis), quod Seruius etiam notat, sed Virgilii exemplo et alii dixere *litare victimas*. *indulge hospitio*, hospitalitati, beneuolentiae in hospitem, da operam hospiti beneuole habendo. Versus 52. 53 ad tempestatem spectare, monitum sub s. Excurs. II ad lib. III. *desaeuit*, ἀπομηνίει. *aquosus Orion*, qui imbres et nimbos affert ortu suo. Sic *Pisces aquosus* Georg. IV, 234. *Orion* bene memoratur, cf. I, 535, dum *rates quassatae* (v. I, 551) et nondum refectae sunt; dum *non tractabile coelum* est, alias saeuum, asperum, procellosum.

55. *soluitque pudorem* male accipitur, quasi ad impudentiam sit prolapsa. Sed effecit, quo eam iam minus puderet amori succumbere. Ad sqq. super Didonis pietate mox in impietatem versa multa argutatur *Bossu (du Poeme Epique* V, 3, p. 417).

56 — 59. Vt haec rite perspicias, tenendum, primum

Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo;
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcerrima Dido,
Candentis vaccae media inter cornua fundit:
Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras,

dentes. *mactat* apud Macrob. III, 12. *mactat laetas* ap. Arusian. Messium. *laetas* etiam Menag. pr. *lentas* Goth. pr. 58 *Frugiferae* Romanus et alii Pierii ac Heinsii, cum fragm. Vatic. a pr. m. et nostro Goth. tert. Sed alterum doctius, cf. Heins. *et P.* alter Hamb. *Phoebo patrique* Ven. 59 *ante alios* Puget. v. ad II, 40. *legalia* Goth. tert., pessime. *vincla iugalia* sunt coniugialia. 61 *fudit* quatuor Burm. cum plerisque Pierianis. 62 *Atqui* quatuor Burm. *autque* Exc. Burmann.

de vtraque sorore, tum de sola Didone agi; et a v. 60 duo esse, in quibus occupata est Dido, vt victimis caesis deos sibi propitios reddat; et a v. 63, vt exta inspiciat. *pacem*, veniam deorum, beneuolentiam, v. 50. *Legiferae Cereri*, Δήμητρι θεσμοφόρῳ. Vitae cultu meliore inuento iura ac leges sunt natae, legitimaque cum his connubia. Seruauit Seruius ad v. 58 versus Calui: *Et leges sanctas docuit, et cara iugauit Corpora connubiis et magnas condidit vrbes.* Cur *Phoebo* et *Baccho* nunc sacra fiant, tantum coniectando caussa reddi potest; forte tamquam diis Carthagine olim cultis; etsi inter coniugales deos referri solent ex hoc loco; vt nuper factum a Passerio Vas. Etrusc. Tom. I, p. 40. *Bacchum* iam lib. I, 734 memoratum vidimus. *Phoebum*, vt Solem, patrium Poenorum numen esse puto, quod idem Saturno assimulabant Romani; etsi Apollinem etiam Carthagine cultum tradunt. v. Hendereich Carthag. p. 217. cf. h. l. Seruius, qui parum constanter disputat, et Donatus. De *Iunone* cf. ad lib. I, 15. Accommodauit Deae Coelesti, quod Romani ac Graeci Iunoni suae tribuebant, quae ζυγία et γαμηλία erat.

62—64. Spectant ad extispicium, cuius caussa victimae caeduntur. Illa incedit ad *pingues aras*, pinguibus

Inſtauratque diem donis, pecudumque recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra iuuant? Eſt mollis flamma medullas
Interea, et tacitum viuit ſub pectore volnus.

63 Varie tentabat I. Schraderus: *Inſtauratque dapes votis*, l. *votas*, l. *Tyriis*, ſed vid. notam. 64 *ſpumantia* Sprot. *ſperantia* fragm. Vatic. 65 *ſatûm* coni. Cuningh. cf. inf. VIII, 627. *ignotae m.* Witt. *quid vota furorem* Burm. ex Seruio. *ferentem* Rom. 66 *molles* alii, ſed *mollis flamma* Burmannus tuetur. v. ſup. II, 683. 67 *et* deeſt binis. *venit ſub* Hamb. pr. a m. ſec., male. v. Burm.

victimis, τὰ πίονα μηρία Homeri; ipſa adſtat victimis extiſpicii cauſſa caeſis. *Inſtaurat diem donis*, h. e. ſacrificiis; proprie *inſtaurantur ſacra*, quae iterum curantur, ſeu repetuntur; et eſt voc. ſacrum; ſic V, 94: ſed h. l. *dies*, h. e. dies feſtus, quo ſacra erant facta; noua ſubinde ſacra in alterum diem indicuntur: ſc. vt exta meliora ſibi contingant. Hinc *diem inſtaurare* Virgilii exemplo dixit etiam Statius et alii. Et tandem *inſtaurare* poetis omnino eſt facere, inſtituere: ſic funus ſup. III, 62, epulas VII, 146. VIII, 283, choros IV, 145. *ſpirantia exta*, palpitantia, vt Seru. Impatientiam expectationis τὸ *inhians* exprimit. *Conſulit* autem Dido *exta* ſuper felici amoris ſucceſſu.

65—67. *vatum* ad extiſpicium v. ſup. refer; ſuntque adeo extiſpices, ſacrifici: qui h. l. fauſta omina renuntiant. *ignarae mentes!* cuiusnam rei? infelicis puta exitus et euentus conſiliorum et amoris Didonis. Vide enim ne de amoris medela deos aditos eſſe exiſtimes: quod alienum eſſet a loco et more; ab amore ſoluunt ſacra magica; ad quae Dido recurrit inf. 478 ſqq. Et de his Silius VIII, 98 agit, cum h. l. exprimit ſimilibus verbis. At vates, et in his extiſpices memineris conſultos eſſe ſuper pace deorum expoſcenda, ma-

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens: qualis coniecta cerua sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius; illa fuga siluas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.

69 *ferens* tert. Mentel. *confecta* pr. Hamb., pro var. lect. 70 *Cresia* Heins. cum melioribus; etiam fragm. Vatic.; quippe Κρῆς, Κρήσιος. Vulgo *Cressia*. *n. inter frondea* Hamb. sec. 71 *linquit* multi, iam apud Pierium, sed alterum doctius; item, *volatile telum* ex interpretatione. Sic quoque Goth. tert. a m. pr. 72 *pererrat* Hugen. et pr. Hamb. cum Goth. tert. v. sup. I, 384. *saltus siluasque p. Dicteas* aliquot Pier. cum fragm. Vatic. 73 *Dictaneos* Sprot. *fatalis a.* Hamb. pr.

lis ominibus, vt somniorum, ostentorum, auerruncandis et mentis curis ac terroribus placandis; tum de consiliorum coeptorumque successu et euentu. Coniuncta haec cum sacris, quibus id ipsum efficeretur, vt propitii curis et consiliis essent dii. ad haec refer eodem Silii loco narrata vss. 116—125. *delubra*, aditus delubrorum sup. v. 56. Exclamationem hanc ex poetae persona iam olim nonnulli reprehenderunt. Quod tamen in epico poeta reprehendi possit, non tam illud est, si *ex sua persona* affectum interponat, quam, si *de sua persona* quicquam intertexat, quippe quae a carmine epico, quod enthusiasmum spirare adeoque in vna re, quae argumentum facit, occupata esse debet, aliena sit necesse est; nisi forte poetae persona ad augendam carminis vim et ipsa valere possit, aut ille noua Musae inuocatione animum lectoris aduertat; vt aliquoties etiam in Messiade factum videas, v. c. lib. III pr. *mollis flamma*, leuis, adeoque mobilis. *vivit* pr. de vulnere crudo. Seruius acceptum hoc ait pro *vescitur*, quod ad vlcus potius spectaret.

68—73. Egregia perdite amantis comparatio, in qua ornanda recentiores passim poetae laborarunt. Ex Iliad. λ, 475 sqq. ductam esse volunt, Macrobii forte aucto-

Nunc media Aenean ſecum per moenia ducit,
Sidoniasque oſtentat opes, vrbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.
Nunc eadem, labente die, conuiuia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Poſt, vbi digreſſi, lumenque obſcura viciſſim

75 *que* abeſt a binis. *opis* Gud. a m. pr. 76 *ecfari* Gud. a m. ſec., antique. *affari* Zulich. *in v. receſſit* Menag. alter, aberratione et alibi notata. v. Burm. 78 *que* abeſt a Doruill. 80 *digreſſum* alt. Mentel.

ritate V, 6. Sed Homero poetam hic nihil debere, iam Cerda monuit. *agens telis*, agitans, vrgens, ornate, vt alias, v. c. Georg. III, 412. *Neſcius*, ſc. non viderat telum vere in ceruam deſcendiſſe; ſed, fruſtra emiſſum credens, reliquerat. v. Burm. Capra forte melius a poeta fuiſſet memorata, quandoquidem ex Solino c. 17 conſtat, *agrum Creticum ſilueſtrium caprarum copioſum fuiſſe, ceruo eguiſſe*. Adde Plin. VIII, 58. ſ. 83. Excuſanda tamen talia in poeta, etſi non commendanda.

74. Totus locus, qui ſequitur ad v. 89 ſuper amoris aeſtu, inter conſummatiſſimos eſt et vnicus, etiam poſt Apollonii inſignem ſententiarum copiam et Valerii Flacci acumen, libro VII, ac poſt innumeras recentiorum poetarum in hoc argumento contentiones. *Breuitatem* in ſumma rerum copia et *dignitatem* vix quisquam alius eſt aſſequutus, ſi forte affectum mouere et aliis contigit. 75. *Sidonias*, Tyro aduectas, v. I, 363. *vrbem paratam*, egregie, vt non opus eſſet, nouam quaerere per longos errores, vt et Burm. poſt Seru. 77. *conuiuia quaerit*, deſiderii nota ineſt, moram impatienter fert, dum coenae hora illuxerit.

80—83. De nocte ſera agi, qua a conuiuio, ſub noctem, *labente die*, inſtructo, ſunt digreſſi, dubitari nequit: hinc et *cadentia ſidera*, occidentia exeunte nocte, v. ad lib. II, 9 Excurſ. Itaque *lumen*

Luna premit, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos:
Sola domo maeret vacua, ſtratisque relictis
Incubat. Illum abſens abſentem auditque videtque.

81 *c. lumina* Menag. pr. 82 Burm. coni. *relicta Incubat* vel *relictis Excubat.* Hoc alterum quoque Io. Schrader. nec felicius aliquis coniiciat *ſtratisque relectis*, ſed v. not.

obſcura viciſſim Luna premit, nec ad viciſſitudinem diei et noctis, nec, cum Burmanno, ad obſcurata lunae nitore minora ſidera (cf. Horat. I Od. 12, 46—48) referri poteſt, ſed de occaſu lunae ſub exeuntem noctem accipiendum eſſe manifeſtum ſit: *premit*, occulit illa lumen ſuum. Recte is, quisquis inter caetera Seruiana adſcripſit: *an ipſa Luna ſuum lumen reprimit, occidens et ſe obſcurans? viciſſim*, poſtquam per totam noctem illuxerat. Decet autem poetam, certum ac deſcriptum tempus ponere, pro indefinito; et pro quacunque nocte, quae et illunis et illuſtris eſſe poteſt, noctem ſerenam nominare. 82. *ſtratisque relictis Incubat:* non vno modo haec accipi poſſunt; aut de lecto, ad quem dormiendi cauſſa illa ſe confert, aut de triclinio, in quo accubuerat. ſimpliciſſimum eſt ita dicere: de nocte agitur, conuiuis iam dimiſſis, vnde *domo vacua*. Nunc *ſola* illa *moeret ſtratis*, lecto *incubans;* hoc vt poeta enuntiauit: *moeret et incubat ſtratis*, et quidem *relictis* a ſe; vt adeo amoris aeſtu iactata modo lectum ſuum reliquerit, modo iterum repetierit. Obſcuritatis quidem vitio haec breuitas non caret; a re tamen ſententia non eſt aliena; etſi Lucanus melius V, 790 *Sic fata, relictis Exſiluit ſtratis amens.* Seruius: *relictis*, ab Aenea, inquit; atqui *torus coniugalis* eos nondum acceperat: ergo *conuiualem* ille intellexit. Sane ea, quae antecedunt: *Sola domo moeret vacua*, eam per thalamos ac triclinia diſcurſitantem indicare videri poſſunt; adeoque illa in eo triclinio, quo antea erant coenati, lectum, quo cum Aenea adcubuerat, agnoſcit, iterumque ei incubat; quod amantes facere ſolent, et quod toties amanti-

Aut gremio Aſcanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem.
Non coeptae adſurgunt turres; non arma iuuentus
Exercet; portusue aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minaeque

85 *ſi pellere* Goth. ſec. *ſi vellere* tert. Goth. *poſſet* Franc. *amantem* aliquot Pier. cum fragm. Vatic. *ſi f. p. imago* Romanus e gloſſa inter lin. 86 *inceptae* Witt., ſed in litura. *exſurgunt* Leid. vn. pro var. lect. *arces* Puget. *arua* Zulich. pro var. lect. 87. 88 *Exercent* alii et mox *parat*. Medic. *parent*. *portusque — pendent — que* etiam nonnulli. *haut prop.* Goth. pr. *portas* coni. Io. Schrader.

bus a poetis tribuitur. vid. Ouid. Epiſt. X, 51 ſqq. *Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambo — Et tua, qua poſſum pro te veſtigia tango, Strataque, quae membris intepuere tuis.* cf. Ep. XV, 149. Nec dubitare licet, an ſtrata de toro conuiuarum dicantur. Sic v. c. Ouid. Met. V, 34, vbi de conuiuio agitur, *vt ſtetit haſta toro*, ſtratis *tum denique Perſeus Exſiluit*. Eſt quoque *ſtrata* lectus, vt inf. 392 dictus, quo ſedent aut recubant in thalamo ſeu cubiculo: quandoquidem priſcae vitae ſimplicitas eundem torum ineod em cubiculo et ſedentibus et dormientibus deſtinabat. Fatendum tamen, hanc poetae rationem plus artis habituram eſſe quam ſimplicitatis; vt malim praeferre id, quod primo loco appoſui. Praeclare autem illud ſubiicitur: *illum abſens abſentem auditque videtque:* quod ornatiſſime perſequutus eſt Apollon. III, 453 ſq.

84. *gremio;* accubantium menſae habitum animo reputa. cf. Burm. et v. ad I, 717, vbi *gremio ſouet*. Etſi omnino in his mos a noſtro diverſus eſſe potuit. Apud Homerum Iliad. Φ, 506 Diana ἀκηρυόεσσα δὲ πατρὸς ἐφέζετο γούνασι κούρη ſatis adulta illa.

86—89. *arma exercet* exquiſitius quam, ſe in armis; et mox *pendent* pro ſunt, et *minae murorum*, muri alti, quaſi altitudine ſua minantes, hoc ſimpliciſſimum et vſu

Murorum ingentes, aequataque machina coelo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri 90

89 Trappius et Cuninghamus malebant *aequanda*; sed nil necesse. Etsi imperfecti muri, tamen iam aequabant coelum. 90 *a tali* Reg. et tert. Mentel. *in tali* Gud. *persentit* aliquot ap. Pier. et sic ap. Diomed. II. *praesensit* Ven. et Witt. v. inf. 297 et 448.

poetae frequentatum. sup. I, 162 *Hinc atque hinc vastae rupes geminique* minantur *In coelum scopuli*. De eminentiis murorum ac pinnis, ἐπάλξεσιν, acceperant iam veteres. v. Seru., sed hoc sensu *minae* technicum, adeoque vix poeticum, et seriorum quidem scriptorum vocabulum fuisse videtur. Burmann. de initiis operis, quae egregios muros promittebant et minabantur; vix bene. *machina* simpl. moles, aedificium: sic melius puto, quam de tignis statutis et colligatis, quibus insistunt, qui muros conficiunt (nobis *Geriiste*).

90 sqq. Habuit poeta Apollonium Rhod. quem sequeretur in consiliis Iunonis et Veneris conferendis. v. lib. III pr., sed suo argumento ac consilio praeclare accommodauit singula. Iuno tantum abesse videt, vt ex tempestate commota Troianisque in Africae littora eiectis quicquam sibi res procedant, vt potius Troianis hoc ipsum hospitium saluti sit. Mutatis igitur ex re consiliis, seruatos hos se inuita Troianos arcere saltem studet ab Italia, idque agit, vt Troiani cum Poenis vna ciuitate iungantur; saltem sic suos Poenos incolumes fore. Hoc se effecturam sperat, Aeneae cum Didone coniugio inito. Approbare hoc consilium parat Veneri; quae, cum satis teneret, fatale esse Aeneae, vt in Italia considat, et de Iouis voluntate omnia comperta habens: sup. I, 258. *cernes vrbem et promissa Lauini moenia* etc. dissimulat tamen et dubitationis tantum loco hunc fatalem rerum ordinem memorat; caeterum rem Iunonis arbitrio permittit, vtque Aeneas cum Didone congrediatur, facile patitur, cum ad summam causae nihil inde mali timendum esset; non enim ei probabile videri debuit, vt Tro-

Cara Iouis coniunx, nec famam obstare furori;
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,
Vna dolo diuom si femina victa duorum est.

91 *Clara*, quae sollennis varietas est, hic a nemine enotatur. *furenti* Hugen. *pudori* pr. Hamb. et Ven. cum Romano, facili lapsu. Sic inf. X, 398. 92 *alloquitur* alter Menag. 93 *ac sp.* Wall. *alta* Ven. *feretis* Leid. vn. a m. sec. 94 *numen* sane habent veterrimi et praestantissimi Pierii, Heinsii et Burm., qui illud adeo tuentur. Accipiendum: *magnum vero et memorabile erit numen vestrum*, vestra potestas, vis, h. e. vos, dii, si circumueneritis duo vnam feminam. Paullo tamen contortius ita dictum videtur. Contra sollennis formula, *memorabile nomen* (cf. sup. II, 583), et hoc Ge. Fabricius praeferebat, et est in aliquot Pierianis et in vno et altero scripto Heins. et Burm. nonnullisque editis. Exempla iam Burm. congessit in alium vsum. Ouid. Met. X, 608 *seu vincar, habebis Hippomene victo magnum et memorabile nomen:* praeferremque adeo sine haesitatione, nisi alterum, quod semel receptum, et ipsum poeta dignum, forte adeo magis epicum esset. Sed et in ipso Ouidio *Bacchi memorabile Thebis Numen erat* Met. IV, 416 occurrit. *venerabile nomen* Hugen. *mirabile nomen* Leid. vn. 95 *si femina capta* Leid., quod egregie *dolo* conuenit, sed v. Burm. *est* deest tribus.

iani inter Poenos sedes habere malint quam regnum in Italia condere: neque Iovem id admissurum esse bene tenebat.

90—92. *peste*, exitioso morbo, amore. cf. I, 712. *famam*, h. e. famae curam; non illam iam malae famae metu reuocari. cf. v. 170.

93—98. *spolia* ornate pro victoria. *puer*, παῖς, filius, res nota vel ex Horatio. *numen*, sc. erit vestrum, h. e. vos dii, si circumueneritis duo vnam feminam! v. var. Lect. Simile acumen et exemplum innectiuae v. apud Tibull. I, 6, 3. 4, et Leonidae in Anthol. IV, 12, p. 464. — 96. *Nec* plane ignara fum *te* suspectam habuisse Carthaginem; ne Troianis exitium inferrent Poeni. cf. I, 671.

Nec me adeo fallit, veritam te moenia noſtra,
Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altae.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta?
Quin potius pacem aeternam pactosque Hymenaeos
Exercemus? habes, tota quod mente petiſti: 100
Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auſpiciis; liceat Phrygio ſeruire marito,
Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.

96 *te numina noſtra* Zulich. a m. pr. Hamb. pr. 97 *Suſpectasque* Ven., male. 98 *erat* Medic. a m. pr. v. Burm. ad Lucan. IX, 706. Vulgo: *quo nunc certamine tanto*, mirus codicum conſenſus in lectione vitioſa. Etſi enim bene ſupplere poſſis *veteris?* vel *opus eſt?* tamen ea forma eſſet proſaica, et perpetuus loquendi vſus elegantior fert *quo nunc certamina tanta?* Lapſus quoque librariorum manifeſtus ſit ex antec. *quo*, h. e. quorſum, quod pro ſexto caſu acceperant; itaque emendarunt ita iam Heinſ. Marklandus poſt Harium et Burmannus. Inter Seruianas interpretationes etiam eſt, *quo nunc certamen tantum*, et in Reg. gloſſa, *habere*, vt hoc aliquando in codd. fuiſſe vel hinc colligere poſſis. *et quo* Witt. Reg. *discrimine tanto* Parrhaſ. 99 *que* abeſt a tribus. 100 *quod tota* tres alii cum Goth. pr. 102 *ergo hunc* duo. *populum hunc ergo* duo alii. 104 *Dotales Tyriosque tuae* Witt.

certamine tanto? ſc. opus eſt. vid. var. Lect.

100. *habes, t.* cf. ſup. I, 675 ſqq. 102. *paribus auſpiciis*, bene Seru. *aequali poteſtate.* Non enim nunc nuptiarum auſpicia intelligenda, ſed a magiſtratibus, qui auſpicia habent maiora et minora, petitum, et ab imperio militari; nunc par et aequale tutelae ius Veneri et Iunoni in Tyrios et Troianos fore. 103. 104. Magno cum ſpiritu ac faſtidio connubium Didonis et

Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas auerteret oras)
Sic contra eſt ingreſſa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna ſequatur.
Sed fatis incerta feror, ſi Iuppiter vnam
Eſſe velit Tyriis vrbem Troiaque profectis,

105 *ſ. voce* Vratisl. et Hugen. 106 *auerteret* vetuſtiores ſatis conſtanter; et is poetarum vſus loquendi; alii Pierii et Heinſ. cum al. et D. *aduerteret*, cf. Burm. Praetulit alteram lectionem iam Seruius. *Libycis oris* pr. Rottend. a m. ſec. et Zulich. 107 *aggreſſa* Sprot. et alter Hamb. 108 *Abnegat* Ven. 109 *factum* tres Burm. a m. pr. *pactum* malebat Vonk. Lect. Lat. p. 152, ſed *factum*, vbi hoc factum, effectum fuerit, quod vis. Sunt enim duo aliqua in re: primo vt effectum habeat, alterum, vt ille effectus votis reſpondeat et talis ſit qualem ſucceſſu et euentu pro conſiliis noſtris eſſe volebamus. 110 *factis* Gud. a m. pr.

Aeneae expreſſit Iuno: *liceat Didonem ſeruire*, in poteſtatem venire, nubere, *marito Phrygio*, externo et exſuli; de Phrygum contemtu ex gentis mollitie nunc nolim cogitari; et liceat eam *permittere dotales*, in dotem afferre, *Tyrios*, Carthaginis regnum, *dextrae tuae*, tibi tamquam ſocrui a nuru. Seruius omnia ad coemtionem refert, qua Dido in mariti Phrygii poteſtatem quaſi emtione per aes et libram veniret; ſed in altero verſu rem parum expedit.

105—107. *ſimulata mente*, δολοφρονέϊσαν, vt Homerus aliquoties. *auerteret* ſignantius quam transferret ad Libyam et Carthaginem. *ingreſſa* ſimpl. orationem. Seruius hanc vocem inſidiarum ſignificationem habere vult. Etiam ſic mox *excepit*.

109. *Si modo — factum fortuna ſequatur*, ſi modo, facto hoc quod vis, euentus optatus ſequetur, ἐὰν παραδραμεῖται vel συνδραμεῖτω ἡ τύχη, adeoque ſi res ipſa votis tuis reſpondebit.

110 — 113. *Sed incerta ſum de fatis*, propter fata, dubito, an Iupiter — qui fatorum auctor eſt — velit etc.

Miſceriue probet populos, aut foedera iungi.
Tu coniunx; tibi fas animum tentare precando.
Perge; ſequar. Tum ſic excepit regia Iuno:
Mecum erit iſte labor. Nunc qua ratione, quod inſtat,
Conſieri poſſit, paucis, aduerte, docebo.
Venatum Aeneas vnaque miſerrima Dido
In nemus ire parant, vbi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,

112 *Miscerique* tres Burm. *iubet p.* aliquot Pier., male. *foedere iungi* Ven. Franc. et Erf. quod ſuauius; ſed alterum videtur doctius. 113 *mollire* Leid. vn. pro var. lect. *τε tentare.* 114 *Perge modo* Witt., ſed in marg. al. *ſequar.* 115 *ille* vn. Leid. 116 *Conſieri* in Rom. et Longob. Pierii et quatuor Heinſii, qui copioſe illuſtrat; reliqui fere corrupte *Quod fieri, Quo fieri, Hoc f. Quid f. An f.*, forte quod ſcriptum erat *Cōfieri.* Medic. a m. pr. *Quod f.*, et a ſec. *Comf.*, Sprot. et pro diu. lect. Rottend. pr. *Conferri,* Gud. *Quod f.* in litura. Ed. Ven. *An f. valeat.* Goth. ſec. *Conpleri.* 118 *parent* Leid. *primus* Medic. et emendatum *primum;* etiam Rom. *primus.* Doruill. *primos vbi.* 119 *intexerit* Goth. ſec. 120 *Hic ego* margo Naſcimb. *ingentem* Zulich. a m. pr. *cum mixta* Wall. *permixta* Ven.

Cum caeteris comparare ſolent Iliad. ξ, 211 ſqq.

115. *Mecum erit iſte labor.* Ex antiquo, puto, ſermone. Imitatorem Burm. laudat Silium VIII, 330 *Mecum erit haec prorſus pietas.* Puto, pro mihi, apud me erit, παρ' ἐμοὶ ἔσται, mihi incumbet, curae erit. Epit. Iliad. 93 *mecum labor iſte manebit:* etiam ex h. l. Alium vſum inſolitum τοῦ *mecum* vidimus ſup. I, 675. *Sed magno Aeneae mecum teneatur amore,* σὺν ἐμοὶ, pro δι' ἐμοῦ. *mea opera.* Mox *miſerrima* Dido, quoniam in magno amore proprie dicitur *miſerum.*

120. Ergo habemus et hic Iunonem κεραυνοβόλον. conf.

Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru coelum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca;
Speluncam Dido dux et Troianus eamdem
Deuenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenaeus erit. Non aduersata petenti

121 *siluasque* Witt. In Goth. sec. hic versus post sequentem est collocatus. 122 *mouebo* Gud. et duo alii ex interpr. 123 *Desugient* Sprot. *Dum fugient* Hugen. 125 *Deueniunt* Sprot. *sit mihi* Hamburg. alter; solleuni errore. 126 *Connubjo*. Idem versus I, 73. 127 *auersata* olim lectum, testante Seruio, et sic Romanus.

sup. I, 42 de Minerua. 121. *alas* Seruius de equitibus accipiebat, quem sequuntur alii viri docti, vt illi *trepident*, festinent. Sunt sane *alae* equitatus sociorum; tum omnino equitum turmae. Verum tam absolute alas hoc sensu poni, cum nihil, quod eo ducat, adiunctum sit, merito mireris. De illis, qui indaginem constituunt, aut qui siluas agitant, vt feras excutiant, alii: vid. Burm. Sed id non minus ad arbitrium sit. Cum in venatione versemur, accommodatissima mihi semper visa est illa ratio, vt *alae* de pinnis in formidine acciperentur; *hae trepidant*, motu tremulo, *saltusque indagine* et plagis *cingunt*. Silii auctoritatem huic interpretationi laudari posse puto lib. II, 419, vbi h. l. respicit: *It clamor ad auras Latratusque canum subitoque exterrita nimbo Occultant* alae *venantum corpora siluis* h. e. venantes latebant post alas indaginum. Possis etiam *Dum trepidant* absolute accipere, dum trepidatur, dum studio venandi omnes tenentur, dumque *alae saltus indagine cingunt*, h. e. saltus retibus cinctus est: Ita interpunges: *Dum trepidant, alae saltusque indagine cingunt*. Forte haec ratio omnium est maxime expedita.

Adnuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora relinquit.
It portis iubare exorto delecta iuuentus.
Retia rara, plagae, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi

129 *Occasum i.* Hamb. pr. *fulgens Aurora* Oudart. similem diuersitatem apud Ouid. II Fast. 500 notat Burm. *relinquit* Heins. praetulit e Medic. et Sprot. et Pierianis nonnullis, quibus adde Romanum. Vulgg. *reliquit.* 130 *iubare excito* Hamburg. alter. *dilecta i.* tres Burm. *turbata i.* Excerpta Burm. 131 *et lato* Caris. I Inst. Gramm. 132 *Massylii, Masilii, Messali, Massali, Massili,* varie corrumpitur vox in codd. 133 *in thalamo* Goth. sec. *in limine* Montalb.

128. Venus risit insidiosa Iunonis oratione, quum scilicet eius consilia euentum non habitura esse bene nosset. v. ad v. 90. *dolis repertis* Seruius compertis vel deprehensis interpretatur, idque Burm. sequitur; vix satis ex vsu sermonis; malim *dolos repertos,* excogitatos a Iunone, inuentos, intelligere, vt *consilia reperta* et similia. Et sic sup. II, 164 *scelerum inuentor Vlixes. risit dolos* fuisset vulgaris ratio.

129. Homericum Ἠὼς μὲν ῥοδοδάκτυλος ἐκ περάτης Ὠκεανοῖο φοάων Ὄρνυτο passim obuium 130—132. Cf. Gratii Cyneg. 223 et Intpp. *iubare* h. l. solis. Nimis subtiliter Seruius de lucifero. *Massyli* h. l. simpl. de Afris. *odora canum vis,* nota forma Homerica βίη Ποδάρκοιο; proprie canes robusti. *fida canum vis* iam Lucretius praeiuerat. cf. Wesseling. Obss. II, 14. *odorus* noue, qui odoratu excellit, sagax. 133. *cunctantem.* Seru. morabatur studio placendi. Nisi hoc nimis acutum est: accommodate ad illud Terentianum: *Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Etiam hanc elegantiam Homerus non esset sectatus. At enim *cunctantem* addere poterat poeta ornatus caussa, cum *expectant* posuisset.

Poenorum exſpectant; oſtroque inſignis et auro
Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur, magna ſtipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Nec non et Phrygii comites, et laetus Iulus,
Incedunt. Ipſe ante alios pulcerrimus omnis

135 *Stant* Zulich. *et fr.* Witt., ac Nonius in *ferus. mordet* alter Hamb. 137 *in picto* ſec. Moret. 138 *ex humero* mult codd., ſed meliores et Virgiliana ratio defendunt alterum *ex auro*. Sic Rom. et alii ap. Pier., quem vide, et Medic. et alii Heinſiani. *nodantur et auro* Sprot. ex interpolatione. Ingratum τὸ *cui*. 140 *Tyrii* c. Rom. et nonnulli Pierii; forte ex v. 162. *et pulcher Iulus* Sprot. et pro var. lect. pr. Hamb., ſed *laetus* accommodatius h. l., vt bene Burm. obſeruat.

137—139. Chlamyde eſt induta purpurea, cuius oras ambit limbus acu vel radio pictus et variegatus. cf. inf. V, 259. *crines nodantur in aurum* doctius quam *auro*, h. e. aurea faſcia, vel, vt Seru. aureo retiolo, quod colligit comas, quae Graecis κρωβύλη (vſitatius κρώβυλος) dicitur. *Reticulum* eſt aliis. *Fibulam*, περόνην, non niſi in tunica vel chlamyde locum habuiſſe ſatis, puto, conſtat: itaque h. l. *veſtem* chlamydem intelligemus, venatoribus geſtari ſolitam. Fibula autem in humeris colligebat ac retinebat tunicam, etiam chlamydem: hanc interdum in pectore. Nec tamen talis fibula bene *ſubnectere* eam videri poteſt. Dicendum itaque, fibulam hic eſſe in balteo ſeu cingulo, quo tunica ſuccingitur: vt inf. V, 312, 3. cf. XI, 776 et not. Supra I, 320 *nodum* dixerat: *nodoque ſinus collecta fluentes*; h. e. balteo. Vbi cf. not. Nam, vt fibula inferiorem veſtis oram ſubſtringat altius, vt ea eleuata ſit, noſtri moris eſſe poteſt, vix antiqui.

141. 142. *pulcerrimus*, Veneris munere puta. lib. I, 589 ſqq. *agmina iungit*,

Infert se socium Aeneas, atque agmina iungit:
Qualis, vbi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
Ipse iugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro;
Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat

144 *Delon* alii, sed Virgilius enuntiationes latinas in his amat, vt Heins. docuit. 146 *instaurantque* Leid. vn.: ita res transferretur ad *Cretes et Dr.* *Instruxitque* Hugen. *que* post *mixti* deest alteri Menag. 146 *Curetes Dryopesque* pr. Hamb., memorabilis lectio; nisi quod ab interpolatore esse potest, qui metrum laborare putabat. *Curetesque Driopesque* Regius. *Cretes Dr.* alii. Fuit forte versus Graeci poetae: Κρῆτές τε Δρύοπές τ' ἠδὲ στικτοὶ Ἀγάθυρσοι. *Agatirsi* scribunt fere librarii. 147 *Inde* Exc. Burm. a pr. m. 148 *Fronte* Medic. et Menag. pr. *fluentes crines* Parrhas.. *fugiens* Exc. Burm. a pr. m. *cingens* pr. Moret. *surgens aut* Goth. sec.

Troianorum cum Tyriis, ait Burm. Scilicet dicendum est, esse exquisitiorem poetae formam: *iungere agmen* vel *agmina* pro adiungere se cum agmine suo. inf. XI, 145 *Contra turba Phrygum veniens plangentia iungunt agmina*, adiungunt. Comparatio autem ita fit: *ipse infert se* talis, *qualis infert se* Apollo —; *Ipse graditur* — *Haud aliter*.

143—149. Locus exquisita doctrina expolitus: Aeneas comparatur cum Apolline, festo die prodeunte ad choros ducendos: re, ad veterum, inprimis Graecorum, sensum omnium maxime augusta; vt sup. I, 498 Dido comparabatur cum Diana. Hieme Pataris Lyciae exacta, narratur deus adire Delum, verno tempore, festorum sollennium die instante. Instituuntur chori in dei honorem; sed augustius est, quod ipse deus choros parat. *instaurare* cum dilectu; est enim voc. religiosum et sacrum. Ducitur chorus ab iis,

Aeneas; tantum egregio decus enitet ore.
Poſtquam altos ventum in montis, atque inuia luſtra,
Ecce ferae, ſaxi deiectae vertice, caprae
Decurrere iugis; alia de parte patentis
Transmittunt curſu campos atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, montisque relinquunt.

150 *emicat* pr. Hamburg. pro var. lect. *auro* Leid. et Ven. 151 *i. ſaxa* Parrhaſ. 152 *a vertice* Goth. tert. 153 *de rupe* Hugen. 154 *Transmutant* Zulich. *campos curſu* Menag. ſec.

qui vel ſacra curant, vel frugum primitias Delum apportant: ſunt Cretenſes, Dryopes et Agathyrſi ſeu Hyperborei; ii *fremunt* circa aram, ſaltant ac cantant. *picti Agathyrſi*, vt *picti Geloni*, Ge. II, 114, vbi de ſtigmatibus acceperant Seru. et Claudian. in Ruf. I, 314. At Mela II, 1. 2. 86 *Agathyrſi ora artusque pingunt; vt quique maioribus praeſtant, ita magis vel minus: caeterum iisdem omnes notis et ſic vt ablui nequeant.* Nec aliter quam proprie pictos ex eo loco eos produnt Solin. et Ammian. conf. Salmaſ. ad Solin. p. 133. Adueniens deus deſcendit de Cyntho, qui templo imminet, redimitus laurea vittae aureae innexa, et pharetra ex humeris pendente. Sed maius phantaſma, quod *tela ſonant ex humeris*, deo incedente, quodque crinem *fluentem*, effuſum, qualis Apollinis eſt, ipſe *premit fingens* fronde et *auro implicat*, vitta aurea, diademate. De caeteris v. Excurſ. II ad hos verſſ.

149. 150. Duplex igitur comparationis momentum et concitatioris inceſſus et pulcritudinis: tam alacri greſſu et ipſe tam pulcer incedebat Aeneas.

151—155. In v. 152. 153 poteſt Homerus obuerſatus eſſe Iliad. δ, 106—108. *deiectae* h. l. quae ſe deiecerant, quae deſilierant. Cervos alia parte ex montibus decurrentes per campos ag-

At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo; iamque hos cursu, iam praeterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.
Interea magno miscerі murmure coelum
Incipit. Insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Troiana iuuentus,
Dardaniusque nepos Veneris, diuersa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Spelunçam Dido dux et Troianus eamdem

159 *discedere* Sprot. 160 *fulmine* a pr. m. Wall. *turbari m.* Goth. sec. et Erf. 161 *comitata g.* aliquot Pier., male. *nimbis* Ven. 162 *At T.* pr. Hamb. 164 *Testa* pr. Moret., an *tesqua* rogat Burm.

minatim fugere ait. De cervis in Africa cf. sup. I, 184.

156—159. Iuuenilem exsultationem facile sentis. Sed simul expendendus verborum dilectus: quam contemtim, *pecora inertia!* Importunum est, illud in memoriam reuocare, quod Ascanius Paphum a Venere auectus erat lib. I, 691 sqq. neque nunc eum rediisse poetae erat monendum, in re, quae ministerio diuino non amplius indigebat. cf. Burm.

160 sqq. In copia et ornatu breuitatem et vim agnosce. *Tecta* 164 omnino loca, quibus tegimur: arbores, cauernae etc. cf. Cerda. Concubitum ipsum fieri quis miretur, aut poetae pudorem in eo multis verbis praedicet? quasi vero in epico carmine consuetudinis cum muliere descriptio accurata dari debuerit. Quod in caeteris honestati studet poeta, ad temporum magis quam ad poetae indolem referendum videtur, diuersam scilicet ab Homerico aeuo. Quod denique honesto nuptiarum ac coniugii nomine furtum hoc

Deueniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum: fulsere ignes, et conscius aether
Connubiis; summoque vlularunt vertice Nymphae.

166 *et* ante *Tellus* multis abest; itaque eleganter coni. Heins. *Primae Tellus et pr. I.* 167 *Dat* Franc. Goth. pr. *ignis* Exc. Burm. 168 *Connubiis* Heins. e melioribus post Pierium, assentiente poetarum vsu; alii *Connubii*. Rottend. *Coniugii* a m. pr. *Conubio* vn. Pier. Connubjs esse metiendum, iam monitum fuit.

amantium praetenditur, id ad seruandam personae dignitatem in Aenea et Didone pertinet. Putant Intpp. Calypsus speluncam Virgilio obversatam. Quod v. 165 sub ingressum speluncae non *pius Aeneas*, sed *dux Troianus* adpellatur, eximio poetae iudicio factum, Steelius post Addisonum obseruasse fertur; nimis argute vtique. Nam epicis poetis talia pro simplici et proprio sunt nomine; quippe quae tantum ad ornatum et varietatem valere debent.

166—168. Mala nuptiarum omina enarrare debebat poeta et videtur enarrare: motum terrae, aeris fragorem vento concitati, fulmina, et per montium iuga auditos clamores vel vlulatus, quae omnia, cum tempestate et procella magna interdum coniuncta, praeclare ad deas pronubas, Tellurem et Iunonem, et ad Nymphas, tamquam carmen nuptiale canentes, referuntur. conf. Ouid. Epist. VII, 95. 96. *Prima* malim pro *primum* accipere; (argutari videtur Burmann.) *Vlulatum* Nympharum Apollon. III, 1217, memorat: αἱ δ' ὀλόλυξαν Νύμφαι ἑλειονόμοι ποταμηίδες. vbi praecesserat: πίσεα δ' ἔτρεμε πάντα. vlulant adeo prae terrore et sensu magni mali. Alienus adeo vlulatus in sacris fieri solitus. Tellus interdum cum Vesta, inter deas nuptiarum auspices, ex disciplina Etrusca. (v. Seru. ad h. l. et Passer. *Vas. Etrusc.* Tom. I, p. 4) nec mirum, si Tellurem genetricem et altricem omnium rerum cogites. conf. Orphicos Hymnos XXV.

Ille dies primus leti primusque malorum
Cauſſa fuit. Neque enim ſpecie famaue mouetur,
Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem:
Coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.
Extemplo Libyae magnas it Fama per vrbis:
Fama malum, quo non aliud velocius vllum;

169 *laborum* pro diu. lect. pr. Rottend. et pr. Hamb. et ſic Iul. Philarg. ad II Georg. 168. Verum poteſt illa lectio ex Aen. VII, 481 huc reuocata videri. 170 *famaque* duo. *fama ſpemue* Goth. tert. *moretur* Sprot. *moratur* Doruill. 172 *protexit* tres Burm., male. 173 *Libyes* aliquot Pier. et ed. Ven. *fit* Goth. ſec. *magna fit* Gud. cum trinis aliis Burm. 174 *qua non* Romanus et Medic. adeoque libri vetuſtiſſimi; acc. Rottend. pr. a m. pr. et ſic Gudianum habere

169. Dies ἀρχέκακος Homerico voc. Iliad. ε, 63. Mox *ſpecies*, pro decoro poſitum videtur: fere vt, *ſpecioſa res, ſpecioſum nomen.* Non iam dedecoris vel infamiae metu mouetur.

171. 172. Nec iam clam amat, non celat amorem. *praetexit culpam nomine* exquiſitius quam vulgare praetexere *nomen culpae*, obtendere, ad excuſationem. vid. inf. 500.

173 — 188. Nobiliſſimus de Fama locus. Velocitatem monſtri ait augeri ipſo curſu; creſcere et ipſam ſpeciem; mox v. 180 addit eſſe illud alatum, toto corpore plumis, oculis, oribus auribusque conſitum; in caeteris v. 184 ſq. aſſimulatur ſtrigi. De reliquis in h. l. v. Excurſ. III. In nonnullis Homericam Eridem ante oculos habuit poeta, Iliad. δ, 440—443, forte cum Cerere Callimachi H. in Cer. 59 ex eadem Eride adumbrata, inprimis in verſibus 176. 177 *mox ſeſe attollit* etc. Virgilium aemulatus eſt Ouid. XII Met. 39 ſqq. et felicius Statius Theb. III, 426 ſqq., vbi illa in comitatu Martis. Valer. Fl. II, 116 ſq. et Ouidium et Virgilium expreſſit.

173. Odyſſ. ω, 412 Ὅσσα δ' ἄρ' ἄγγελος ὦκα κατὰ πτόλιν ᾤχετο πάντη.

174. 175. Fama velociſſima eſt: *malum*, vt peſtis, res

Mobilitate viget, viresque adquirit eundo; 175
Parua metu primo; mox sese adtollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira inritata deorum,
Extremam, vt perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis. 180

in Cortii Exc. notatum video. Etiam Seruius ita legi testatur. Nec tamen Heins. recipere ausus, etsi impense placeret. Neque id a poeta profectum arbitror, sed a librarii errore. *violentius vllum* Hamburg. sec. 175 *adquirit* ex antiqua scriptura post Pier. emendauit Heins. Vulgo *acquirit*. Gud. a m. sec. *anquirit*. 176 *parua modi* vel *modo*, h. modulo, mensura; vt Auien. 1351 *magnus vterque modi*; coni. Io. Schrader. in schedis: senserat forte *metu haud satis* aptum esse: sed v. notam. *Parua ortu primo* coni. Goes in Agamemn. p. 42. 177 *Ingrediturque solum* Macrob. V Sat. 13, at c. 3 vulgata lect. cf. inf. X, 763. *polo* Erf. a m. sec. 178 *inritata* Heins. e Medic. et aliis scripsit. *iritata* volebat Pier. pro vulg. *irritata*. cf. Burm. 179 *Caeo* al., male. Nam Koĩos. cf. ad Georg. I, 279. *Ceo Celeoque* Exc. Burm. *Anceludoque* Menag. pr., vt al. *Enchelado*. *Sorores* Parrhas. *Sorore* tert. Mentel.

pernicioſa, h. l. in perſonam verſa, dea ſeu monſtrum; eſt eadem *mobilis*, celeris. Verba ex Lucretio petita VI, 340.

176. Primum *parua metu*, metuens ſcilicet redargui, ait Cerda; cohibet ſe, *quod initio cautius loquatur*, ait Seru., mox ſumta licentia altius exſurgit. Nimis argute. Cogitandum eſt de fama ſiniſtrum aliquem euentum aut malum imminens nuntiante, vnde *metus* animos inceſſit. Reſpiciunt haec incrementa rumoris ex ipſo progreſſu.

178 — 180. Genealogia antiqua, Heſiodeae ſimilis. Coeum Terra ex Coelo, vid. Theog. 133. 134, vel ex Tartaro peperit. Sic et Gigantes ex Coelo: Apollod. I, 6, 1, in quibus *Enceladus* ibid. ſ. 2; de eo ſup. III, 578. cf. Hygin. praefat. ibique Muncker. Propter corporis magnitudinem Gigantum familiae facile Famam adnumerare

Monſtrum horrendum, ingens: cui, quot ſunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora ſonant, tot ſubrigit auris.
Nocte volat coeli medio terraeque, per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat vrbis;
Tam ficti prauique tenax, quam nuntia veri.
Haec tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
Veniſſe Aenean, Troiano a ſanguine cretum,
Cui ſe pulcra viro dignetur iungere Dido;

181 *quod* ſtom. Mentel. pr. *ſunt quot* Hugen. *pectore* Oudart. et Wall. 182 *Peruigiles ſ.* pr. Hamb. *ſubſunt* Franc. Parrhaſ. et plerique Pier. *ſubeunt* Ven. Wall. cum Goth. tert. *oculos ſubtus* Schol. Lucani lib. I, 472. *oculis ſubſunt* ed. Ven. *mirabile viſu* Exc. Burmann. a m. pr., ſed aliunde repetitum. 183 *ore* alter Menag. *auras* Gud. a m. pr. 184 *in medio* Goth. tert. *per vmbras* aliquot Pier. et Burm. 185 *ſtridet* oblongus Vatic. Pierii et ſec. Rottend. *declinant* Leid., vt int. *ſe. limina* multi ap. Pier. et Burm. *lumine* pr. Moret. *coelo* alter Hamburg. a m. pr. 186 *Et nec* pro *Luce* Goth. ſec. *ſummo* Hugen. et tert. Mentel. a m. pr. *vertice* pr. Hamb. pro var. lect. 188 *parvique* Goth. pr. 189 *dum, cum, tunc* in libb. 191 *a* deeſt Medic. et pluribus aliis, vt et alibi. v. ad I, 19 cf. Burmann. 192 *munere D.* Menag. pr.

potuit. *ira deorum*, irata diis propter Titanas in Tartarum coniectos; vt et Apollod. I, 6, 1, vbi cf. Not. p. 67. 68. Apollon. II, 38. 40.

183. Ornate pro, tot ora ei ſunt et aures; tota eſt oculata, aurita et vocalis. Mox 184 ſq. ſtrigi ſimilem cogita vel buboni.

Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fouere
Regnorum inmemores, turpique cupidine captos.
Haec passim dea foeda virum diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Ioui centum latis inmania regnis,
Centum aras posuit; vigilemque sacrauerat ignem,
Excubias diuom aeternas; pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.

195 *diffudit* aliquot Pier. et Burm. 196 *cursu detorquet* Gud. a m. pr. sc. *se*, non male, inquit Heins. Sed cf. Burmann. *Iarban* Heins. e Medic. et aliis; vulgo *Iarbam*, etiam *Hiarbam*, *Hiarban*, *Hiarba*. 198 *Ammone* duo Goth. puto et alii. *Garamantide* Doruill. 199 *Iouis* Montalb. et Wall. 201 *Excubiasque deum* aliquot ap. Pier. *externas* Hugen. *pecurumque* Leid.

193. *hiemem*. Non proprie accipiendum, ita vt Aeneas totam hiemem apud Didonem exegerit, id quod alia haud admittunt (v. Excurs. II ad lib. III). Verum, cum iam sub aestatem extremam haec gererentur, ita vt hiemale tempus instaret, inuidiose id iam fieri dicitur, quod fieri poterat; nisi alia incidissent. *quam longa*, h. e. hiemem totam, cf. inf. VIII, 86 et saepe al. *hiemem fouere* exquisite, hiemale tempus luxui dare, vt bene Pompon. Proprie fouentur amores per hiemem. 194. *Regnorum*, Carthaginis illa, hic Italiae. *turpi c.* inhonesto amore. vid. Seru. Mox 197 *aggerat iras* exquisite pro auget. 198—202. Iarbas itaque Ioui Ammoni patri nouas in his terris Numidicis religiones et sacra instituerat. Nam oraculum Iouis Ammonis in Marmarica huc referri non debebat; sed ad eius exemplum Iarbas in Numidicas supra Carthaginem oras putandus est noua sacra inuexisse. cf. 206. 207. Potuit Virgilius Graecum aliquem, forte

Isque amens animi, et rumore adcensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina diuom,
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis: 205
Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis

203 *incensus* Exc. Burm. *amore* Gud. a m. pr. 204 *munera* olim lectum Seruio teste: qui addit: „hoc est, in media precatione deorum.“ Immo vero: inter sacra. Et hactenus haec lectio valde arridet. 205 *sopinis* scrib. in binis ap. Burmann. 206 *Iuppiter* mss. et viri docti. Antiquiorem tamen scripturam vna *p* fuisse non dubito; nam, vt scriptura pronuntiationem metri re-

Alexandrinum, poetam sequi; nam multa in his olim super Libya fabulose tradita esse debuere, vti ex Apollonio Rhodio eiusque Schol. intelligere in promtu est. Et Cyrenaeorum domesticum aliquod fuit mythologiae systema. Caeterum poeta huic homini Mauro ritum sacrorum Romanum aut Graecum tribuit; quod poetae facere licet: faciunt idem historici, sed minus perite. *Garamantis Nympha* simpl. pro Libyca. conf. ad Ecl. VIII, 44. *rapta* ad stuprum. v. sup. ad I, 28. *posuit et sacrauerat* pro posuerat; nota enallage; iunctura mox paullo durior: *sacrauerat* ille ignem perennem in aris, et *solum pingue cruore pecudum*, h. e. sacrificia magno numero, et *limina florentia sertis*, h. festos sollennesque dies. *centum* vt I, 416 Veneri Paphiae *centum arae* calent ture. *vigilem ignem, Excubias diuum aeternas*, egregie de igni perenni, ad quem alendum sacerdoti peruigilandum et excubandum est. Ignis hic aeternus ex Iouis Ammonis religione petitus putandus; nota illa ex miraculo apud Plutarchum de Orac. defect. p. 410 B. Caeterum Callimachum ante oculos noster habuisse videri potest in Apoll. v. 80 sqq., vt etiam ad illum locum monitum. *et variis florentia limina sertis* simpl. ad religionem in sollennibus sacris templorum fores corollis ornandi referendum. Mox 204 *media inter numina diuum*, simplic. ante signa deorum.

206—210. Tales preces saepius occurrunt; primo loco Iliad. η, 446 sq. et al.,

Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
Adſpicis haec? An te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus? caecique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miſcent? 210
Femina, quae noſtris errans in finibus vrbem

ſpectu in his ſequeretur, ſerius factum. *Mauriſia* al. ap. Pier. 207 *choris* Leid. *odorem* Doruill. *amorem* alter Hamb., perperam. *Honor* de libatione in deorum honorem facta, frequens ap. poetas. 208 *Reſpicis h.* Franc. *Aſpicis hoc* Doruill. *haec genitor, an cum tua* Venet. *an nae* vel *ne* mſſ. Pier. *torquens* Medic. et Leid. 209 *oremus* Doruill. 210 *immania m.* Doruill.

ſed, quod tam impiam vecordiam Iarbae tribuit, hoc calidiſſimis et ferociſſimis Afrorum ingeniis accommodate feciſſe videri debet. Vide modo Herodot. IV, 173 et 184. *Mauruſia gens*, Mauri, vel Mauretani, quibus h. l. Iarbas imperare traditur, ap. Iuſtinum XVIII, 6 *Maxitani* ſunt, iidem forte, qui *Mazyes* vel *Maxyes*, Nomadum genus, ſiue improprie Mauri a poeta dicti (inf. 320 *Nomades*), ſiue vt illi ab initio illas terras tenuerint, quas temporum ſucceſſu Numidae occuparunt; quamquam et hi origine Mauri eſſe potuere. Nam Numidarum nomen non tam ſtirpem quam vitae genus, h. e. Nomadum, deſignat, pluribus diuerſae ſtirpis populis commune. *libationem* epulis factis (v. I, 728) omnino pro cultu ſacro ac religione dixit, vt poeta. *toris pictis* v. ſup. I, 708, in domo Didonis, vbi tamen melius locum ſuum tueri videntur quam inter rudes Mauros. *Adſpicis haec?* formulam illuſtrant ex Iliad. ζ, 448. *caeci ignes* h. l. plus quam occulti, inuiſi; ſed, vel qui vani, inanes, ſunt, vel qui temere et fortuito feruntur, quaſi caeco impetu. Male Seru. et alii: quorum origo et ratio ignoratur. tonitrua *miſcent*, h. l. turbant, animos, aut ignes, fulmina, *miſcent*, ſ. adiuncta habent, ſ. faciunt, *murmura*.

Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Repulit, ac dominum Aenean in regna recepit.
Et nunc ille Paris, cum semiuiro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fouemus inanem.

212 *Exiguum* Medic. a m. pr. *posuit pretio* pr. Hamburg. 213 *Cui leges dedimusque loci* Leid. et Hugen. *locis* Wall. 214 *Depulit* Leid. pro var. lect., sed alterum voc. proprium. v. Burm. *at* Steph. *et* codd. Seruii. *Aeneam* aliquot, hinc Parrhas. *Aeneam in sua regna r.* 215 *At nunc* Hamb. pr., male. v. Burm. 216 *M. m. barba* Nonius in *subnixus*. *Moeonia* male vulgo scribitur. 217 *Subnexus* Leid. vn., et sic iam Geuart. et Salmas. maluerant. Adde Ruaeum, Cuninghamum. Pugnant contra Heins. h. l. et Gronou. Diatr. in Stat. c. 54. *Subnexus* in Statio etiam Marklandus probabat, Silu. V, 3, 115, et multa pro hac lectione afferri possunt. cf. inf. X, 137 et 138, aliaque loca in Indice. Potest tamen *Subnixus* exquisitius dictum videri. vid. Not.; quodcunque enim subligatam sibi habet aliquam rem, illud *subnixum* ea re videri potest. *raptu* ms. Georg. Fabric. et pr. Rottend. a m. sec. Certe *raptum* hoc sensu accipiendum. *rapta* Zulich. id est, stuprata. cf. Burm. 218 *flammam* coni. Voss., sed v. Burm. *mouemus* pr. Hamburg.

211. De re v. lib. I, 365 sqq. 212. 214 *litus arandum*. Argutantur intppr. Est littoralis plaga et ager in terra mari vicina. *loci leges dedimus*, ius, imperium: adeoque locum possidendum; ita malim, quam locum sub certa lege. *dominum*, non maritum, vt alibi saepe, sed inuidiose, participem regni, quin solum regem et dominum: sic quoque Burm.

215 — 218. *Paris ille*; doctius forte quam pro Iarbae Mauri persona; mollis ille Troianus, qualis Paris apud Homer. Iliad. γ, 391 sq. aut potius h. l. quatenus Aeneas, vt alter Paris, alii quasi pactam coniugem eripuit. Sic et Seru. *semiuiro c.* cf. inf. IX, 617, dictum inprimis respectu sacrorum Cybeles. *Maeonia — Subnixus* respicit Phrygiam mitram, h. e.

Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit 220
Regia, et oblitos famae melioris amantis.
Tum sic Mercurium adloquitur, ac talia mandat:

219 Hic versus deerat alteri Menag. et poterat, Burmanno iudice, abesse; sed tuetur eum Macrob. III Sat. 2 et inf. VI, 124 idem fere versus. *aramque* Witt. et ed. Ven. cum Goth. sec. 220 *audIt* Franc., vt inf. 672. *vultusque* pr. Hamb. pro var. lect. *ad deuia* sec. Hamb. 221 *ouantes* Leid. 222 *Tum* Heins. e codd. post Pier. alii *Tunc*. *cui talia* sec. Moret.

pileum incuruum, vt Seru. habet, *de quo pendebat etiam buccarum tegimen*, binis vel ternis fimbriis seu fasciis descendentibus, quae subter mentum colligari solebant; adeoque *subnixus*, mento ac crine subnixo, mitra: scilicet mitra subligatum habens *mentum crinemque madentem* vnguentis. *redimicula* sunt inf. IX, 616. Res in veteribus monumentis satis obuia et notata a Winkelm. (*Gesch. d. Kunst* p. 308. *Monum. ant. ined.* p. 155). Alias *mitra* est fascia, diadema: nec alia in Baccho. At de Dioscurorum pileo an eadem vox occurrat dubito. *Maeoniam* pro Phrygia dixit, vt poeta, a vicina gente. Nam proprie Maeones diuersi a Phrygibus. *rapto potitur*, grauiter, pro stupro fruitur, vt Seru. *famamque fouemus inanem*, opinionem de potentia dei. Haec multo magis inuidiosa in religione noua, nuper demum inducta, vide v. 198 sq. Fundus in nobilissimo loco Hecubae Euripideae v. 488 sqq. Ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπως ὁρᾷν etc.

219 — 221. *aras tenentem*, ex ritu precantium. *oblitos famae melioris amantes*, egregie dictum, et ad sensum animi praeclare. cf. sup. 170.

222 sqq. Ex Od. ε, 28 sqq. 43 sqq., vbi Mercurius ad Calypso mittitur, vt Vlyssem illa dimittat (non ex Iliad. ω, 333 sqq.), haec expressa; vt iam ab aliis notatum. Non tamen ibi copiosa illa Mercurii ad iter se accingentis descriptio aeque displicet, vti ea, quam Virgilius subiungit v. 238 sqq., sorte, quoniam

Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis;
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exſpectat, fatisque datas non reſpicit vrbis,
Adloquere, et celeris defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genetrix pulcerrima talem
Promiſit, Graiumque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui grauidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a ſanguine Teucri
Proderet, ac totum ſub leges mitteret orbem.

223 *Zephyros, elabere* Franc. *pinnis* Medic. et Gud. 225 *datis* pr. Rottend. vide lib. I, 382, porro *perſpicit, proſpicit, aſpicit* paſſim in codd. Pier. Heinſ. et Burmann. et noſtris. cf. mox v. 236. 226 *refer* alter Hamburg. *mea iuſſa* Ven. *mandata* edd. aliquot vulgg. 227 *genetrix nobis* Wall. Goth. ſec. Erf. 229 *bellisque* Parrhaſ. *furentem* Wall. 230 deeſt *a* in multis Pier. et Heinſ. et al. v. ſup. v. 191. *ab f.* Nonius. cf. Heinſ.

hic maiore cum feſtinatione omnia aguntur atque adeo omnis mora interpoſita legenti grauis eſt et moleſta.

223. *voca Zephyros.* Vt *venti vocantur,* naui parata velisque expanſis (v. ſup. III, 253. V, 211. VIII, 707. cf. ad Georg. III, 193), ſic h. l. *Zephyri* (omnino pro ventis), *pennis,* ſiue alis, aptatis a Mercurio pedibus, ad excipiendum ventum, quo per aerem feratur, volet. cf. inf. v. 239. Heinſius et hic exponit, *prouoca,* vt Georg. III, 193. 225. *fatisque datas* (v. I, 382 et al. pro monſtratas) *vrbes,* vrbem Romam, v. I, 258. Inf. v. 234 *Romanas arces* dixit, vt II Georg. 172.

227 — 231. Summa δεινότης horum verſuum, inprimis 229 ſqq. *bis,* ſemel a Diomede Venus ipſa, Iliad. ε, 311 ſqq., tum ab Achille Neptuni opera Iliad. υ, 291 ſqq. Alii ad Veneris in ipſo Troiae excidio monitum referunt ſup. II, 589 ſqq. et 632. *promiſit — vindicat,* quandoquidem haec tempora aliquid commune habent; cf. Serv.

Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem:
Aſcanione pater Romanas inuidet arces?
Quid ſtruit? aut qua ſpe inimica in gente moratur? 235

232 *Quod ſi nulla mouet* Witt. ex v. 272. 233 *ille* Wall. *ſua* deeſt Dorvill. *ſuum* Aruſian. Meſſ., ſed mendoſe. *laborum* Medic. a m. pr. et Gud. et v. 273 Parrhaſ. *dolorem* Goth. tert. 234 *indicet arces* Goth. tert. 235 *in* abeſt in nonnullis. v.

h. l. *grauidam imperiis Italiam.* Ex verborum vi non vno modo hoc dictum eſſe poteſt. Italiam, quae multos imperatores eſt paritura, explicat Seru. probante Cerda et ipſo Burmanno. Sic Claudian Feſcen. XII, 24. *imperio fetam domum* dixit, quae multos imperatores habuit. Tenue tamen hoc, ſaltem h. l.; etſi verum. cf. II Georg. 169 ſq. Melius alii *populum late regem* lib. I, 21 huc vocant; ſed verba non expediunt. Scilicet poetice *imperiis* dictum pro *imperio*, quo terrarum orbem complexura erat Roma. *grauida* igitur *imperiis* Italia, in qua magnum futurum erat imperium, vt inf. X, 87 *grauidam bellis vrbem*, quae bellum gerit. Licet quoque *grauidam imperiis* intelligere Italiam, quae multos potentes et late imperantes populos protulit; quo ſenſu, nec alio, dictum arbitror apud Auſon. Epigr. IV *Imperiis grauidas Pannonias.* Ita conueniunt haec dicta cum lib. I, 257 ſq. vbi *Bellum ingens geret Italia populosque feroces Contundet.* Videtur adeo haec vltimo loco poſita ratio eſſe praeferenda. *genus — qui proderet.* Prodit genus qui auctor eſt ſtirpis; idem ſtirpem propagat; ita h. l. Aeneas ſtirpem a Teucro ductam. Apud Cic. Off. III, 21. *regno, quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur.* Si tamen *prodere* etiam, vt *proferre, producere*, illuſtrare eſt: poterit et h. l. eſſe, qui Teucri progeniem illuſtret et nouo ſplendore in lucem proferat.

232 — 237. Omnia cum dignitate efferuntur. *Si nulla*, ſi non — ſi ipſe labores

Nec prolem Auſoniam et Lauinia reſpicit arua?
Nauiget. Haec ſumma eſt; hic noſtri nuntius eſto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio: et primum pedibus talaria nectit
Aurea: quae ſublimem alis, ſiue aequora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco

Burm.: in tert. Goth. expunctum a m. ſec. 236 *Haec pr.* Goth. ſec. *conſpicit* Hugen. vide ad v. 225. *Lauinaque* Sprot. et Exc. Burm. v. ad I, 2. *et* pro *nec*. v. Burmann. ad Ouid. Met. III, 492. 237 *hoc ſumma eſt* emendabat Heumannus, docte quidem, ſed fruſtra. v. Burm. idem *hic noſtri nuntius eſto*, vt ab alia manu adiecta recidebat, aduerſante et hic Burmanno. Sed neuter videt, *nuntium* h. l. eſſe non narrantem, ſed id quod nuntiatur. *haec ſummaque* Dorvill. *heic* Commelin. *hinc n.* Oudart. et Zulich. 238 *volebat* ſec. Moret. v. inf. 390. 239 *et* abeſt ab Hamb. ſec. *primo* Goth. tert. *Imperiis*, *primum* Hamb. pr. Leid. a m. ſec. 240 *aequora iuxta* mſſ. ap. Macrob. V, 6, ex v. 255 puto. 241 *flumine* tert. Rottend. *fulmine* alter Hamb. *portent* Medic. a m. pr. et alii duo Heinſ. 242 *rapit* Menag. pr. *ille vocat* vna vocali eliſa Longob. Pierii, et Mentel. pr.

ſuſcipere non vult pro ſua laude ac gloria. Burmanni ratio, vt *ſuper* ſit, inſuper, admodum dura eſt. *inuidet*, aufert, eum priuat fatali ſede. cf. inf. 267. 274. 355. *prolem Auſoniam*, cf. 230. inf. 274. 276. VI, 756, progeniem, cui fata imperium Italiae decreuerunt.

238 ſqq. Ex Il. ω, 339 ſqq., vbi Mercurius ad Priamum, et Odyſſ. ε, 43 ſqq., vbi ad Calypſo mittitur, haec adumbrata eſſe, iam ante monitum. Adde Odyſſ. ω, pr. Virgilium ſequuti ſunt alii, vt Statius I Theb. 303 ſqq. Ouidius etc. Sed claſſicus de Mercurii officiis locus hic. Omnia nota et vulgaria ſunt, et a poeta diſerte expreſſa. — 241. *pariter cum flamine*: Homericum ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο, vt Od. ε, 46. 242. *euocat* v. c. Proteſilaum. v. Hygin. f. 103. cf. Orphic. Hymn. 56. Aeſchylus Perſ. 642 ſeqq. *mittit*, ducit, Gr. τὰς ψυχὰς πέμπει, ψυχόπομπος. *dat*

Pallentis; alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos, et turbida tranat

243 *sub Tartara tristia.* Ordinem Burm. e codd. Pier. Heinſ. et ſuis reſtituit. Adde fragm. Vatic. Alii *sub tristia T.* 244 *lumina* Gud. et Rottend. pr., quod Burm. arripit et probat, vt Mercurius defunctorum animabus resignet et aperiat limina inferorum. Verum ita nec diuersum hoc ab illis: *sub Tartara tristia mittit*; nec *limina* absolute ita de inferis locis dici posse videntur. cf. not. Nec quicquam proficis, si *nocte resignat* legeris; nam et hoc ipsum esset otiosum post *dat adimitque.* In fragm. Vatic. totus versus ad calcem pagellae erat adscriptus. Equidem malim hemistichium abesse: *et lumina morte resignat:* quocunque te interpretatione vertas, sententia est a loco aliena. 245 *transnat* Zulich. et Wall. cum nonnullis Pier.

somnos adimitque: ex Od. ω, 4. *lumina morte resignat.* Quis verbi sensus sit, dubitatur. Ad sententiam loci tam accommodatum esset nihil, quam Seruiana ratio, primo loco posita, qua per *claudit* redditum videas. Noue scilicet pro obsignare, occludere, ita dixit *resignare.* Verum nec exemplum memoratur, in quo seu *resignare* seu simplex *signare* eo sensu adhibitum sit, nec alibi facile hoc Mercurii officium laudatur, vt morte oculos claudat. Ad vulgarem verbi vsum *resignat lumina* est, aperit, *morte,* in morte: atqui hoc dices repugnare rerum naturae, nam morte clauduntur oculi; nisi argutari malis et ad oculos morte rigentes et manu comprimendos referre. Forte tamen ita accipiendum erit: *morte,* mortuis. Dictum hoc esset ad exemplum Pindari Nem. 10 s., vbi Castor e morte reuocatus ἀναλύει ὀφθαλμόν: vt ita Mercurius mortuos in vitam reuocare dicatur. Munus tamen hoc Mercurii aliis exemplis probari nequit: sin ad euocationem Manium referas, ea iam praecessit. Potest tandem *resignare* accipi pro soluere, ademtis et subductis viribus: vt in vetere Epigrammate: *Et postquam satis morientia lumina soluit.* et inf. V, 856. Nulla ratio satisfacit; quia iam antecessere illa, quae eandem rem de-

Nubila. Iamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.

247 *fulsit* aliquot Burm. 248 *Atlanti* Ven. et Goth. tert. a m. sec. *qui nubibus* Montalb., sed *cui* Prudentii quoque imitatione firmat Heins. *cum n.* Beda ap. eund. 249 *Pinniferum* Gud. et duo Leid. *Penniferum* tert. Rottend. *et coelo* Parrhas. a m. pr. *quassatur* apud Bedam et in binis Moret. ac Donato. Hinc et emendatio Heinsiana in Silio I, 206 loco hinc expresso firmari poterat, aut, si firmata satis esset, eandem lectionem in Virgilio stabilire. *imbre* Beda et Goth. sec. *igni* Goth. pr. 250 *flamina* Goth. pr. 251 *regit* Gud. *rigat* tert. Rottend.

clarant: *euocat animas* et *sub Tartara mittit;* prae reliquis tamen media illa ratio vsui loquendi consentanea. 245. *Illa fretus,* vt toties Homerus πεποιθὼς, pro, *cum illa,* habens illam. *agit* ante se, quis dubitet? dum volatu per auras fertur.

246—251. Famosum Atlantis nomen iam in vetere Graecia, nauigantium, puto, fabulis, vt caeterae fabulae Libycae, mox in carmina de Perseo, Hercule, Argonauticis receptae et ornatae: cf. *Notas ad Apollod.* p. 681 add. p. 409. Obuia vel rudi hominum generi imago montis in viri effigiem conuersi; hinc ducta frequens illa Atlantis tamquam vasti gigantis descriptio, cumque coelum inniti videatur altissimorum montium vertici, hinc Atlas coelum ferre creditus. Apud Pindar. Pyth. I, 36 Aetna οὐρανία κίων; et Homer. Od. α, 52—54 de ipso Atlante, ἔχει δέ τε κίονας αὐτός etc. et hinc alii, quos vide partim ap. Cerdam h. l. Reliqua de Atlante firmat Leo Africanus Descript. Afric. pag. 25. 26. *duri* recte Seru. laboriosi, propter aerumnas, quas tolerat v. 249 sqq. *Piniferum* vix proprie a poeta dici potuit; et dubites, an Libyae iuga pinus alant. cf. Plin.

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit: hinc toto praeceps ſe corpore ad vndas
Miſit; aui ſimilis, quae circum litora, circum
Piſcoſos ſcopulos, humilis volat aequora iuxta. 255
*Haud aliter terras inter coelumque volabat;
*Litus arenoſum Libyae ventosque ſecabat

252 *Sic* et *Cyllenius heros* Wall. *Nec paribus primum* Dorvill. *quamuis hic vertice coeli* Lutat. ad Statium, ſed ex lib. I, 225, vti Burm. vidit. 253 *hic t.* duo Burm. *tanto* Goth. pr. *pectore* Ven. 254 *circum quae* Parrhaſ. et ſic Cuningh. e codd. Markland. 255 *contra iuxta* Doruill. et omiſſum *humilis.* vid. Burmann. 256. 257 Ingrati verſus, et ſono in voce extrema eodem bis redeunte, et impedita verborum ſtructura. Haud facile fuit qui Maronem legeret, quin ad hos verſus offenderet. De ſtructura v. not. In codd. Medic. et multis aliis Heinſii et Burm.: *ac Libyae*, vel *et L.*, at Gud. a m. pr. cum aliis *ad Libyae*, quod Brunckium praetuliſſe video. *ventoque* Ven. Sed haec parum iuvant. Heinſ. coni. *coelumque volatu*, vel *volando*. Elegantior

V, 1. Solin. c. 37. Virgilium aemulatus eſt Silius I, 202 ſq., ſed ſuo more, vt in ſingulis partibus variandis vel transferendis operam ludat.

252. *nitens* h. l. de volatu. *paribus alis*, leni volatu, vt Seru. cf. IX, 14. Cogita de eo temporis momento, cum inhibetur volatus, vt ſubſidat ales. 253—255. Ante oculos Odyſſ. ε, 50—54, vbi auis λάρος expreſſa, quae fulica eſſe putatur. *ad vndas*, verſus mare mediterraneum, quod Carthaginem attingit, ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ. In eo non argutandum, quod tam parum itineris compendium fecit Mercurius, dum Atlantem prius adit, quam Carthaginem; Spectatur tantum Atlantis altum iugum, cui deus ex coelo deſcendens primo loco inſiſtit, hinc ad humiliora loca procedit. Antiquiorem poetam ante oculos eum habuiſſe ſuſpicari licet, ex eorum genere, qui Perſei et Herculis res fabuloſa geographia inuoluerant.

256—258. Si lectio ſana eſſet, diſtinguere malim cum viris doctis poſt *Libyae;* vt ſit: *Mercurius volabat inter terras coelumque* (Μεσ-

*Materno veniens ab auo Cyllenia proles.
Vt primum alatis tetigit magalia plantis:
Aenean fundantem arces ac tecta nouantem 260
Conſpicit; atque illi ſtellatus Iaſpide fulua

eſt Bentleii emendatio ad Horat. I Od. 34 *legebat*. Tan. Faber verſum alterum: *Litus arenoſum* iugulabat, qui et Zulich. deeſt: verum, ſi hunc ſolum ſuſtuleris, ſententia manca relinquitur. Debet enim Mercurii volatus iuxta mare ac littus declarari. Sunt tandem codd. Pierii et Heinſii et bini Gothani, cum Erf. a m. ſec., in quibus verſus *Materno veniens* praeponitur alteri: *Litus arenoſum*; hoc arridebat Heinſio, cum ſic ingratus ſonus tollatur. At Burm., qui docte de hoc loco egit, vulgatum ordinem (cuius etiam in fragm. Vatic. veſtigia viſuntur) tuetur ſimilium verſuum exemplo, inprimis lib. X, 213. 214. Ita maneret ſaltem hoc: eſſe verſus ſimiles in Virgilio, non minus male cuſos. Praeſtat dicere, eſſe verſus Virgilii, ſed manum vltimam eos haud eſſe expertos. At nec minus probabilitatem habet illud, non modo vnum vel alterum, ſed omnes tres verſus: *Haud aliter. Littus a. Materno v.* deberi inepto interpolatori, qui deſiderabat comparationis apodoſin, qua illa ad Mercurium transferretur. Sunt autem verſus tam ieiuni et ſalebroſi, vt vix de fraude facta dubitare liceat. Habeo quoque aſſentientem hac in re ſagaciſſ. virum Iac. Bryant: nec vereor, quin idem ſenſuri mecum ſint viri docti, qui haec legunt. 258 In nonnullis deſiderari hunc verſum, notauit Ge. Fabric. 259 *allatis* duo Burm., item *mapalia*. 260 *tela n.* ed. D. Heinſ. operarum vitio. 261 *ac illi* Goth. tert.; an *ecce illi? fulua* Erf. In reliquis libri nil mutant. Sed deſuit, arbitror, et his manus ſecunda poetae; et Tucca cum Vario verſus inchoatos coagmenta-

σηγὺς γαίης τε καὶ ἠρανὲ ἀσεροέντος Iliad. ε, 769 de Iunonis equis) ad, vel verſus, *Litus Libyae;* vt v. 253 *ad undas*. Omiſſio praepoſitionis ſatis frequens poetae; et ſic aurium etiam faſtidio occurritur. Burmannus in vulgata diſtinctione acquieſcit, et ad ſcriptorum morem refert, quo verbum ad alterum tantum ſubiectorum proprie ſpectat; vt deficiat aliud verbum ſimile poſt *Littus arenoſum Libyae* ſc. peragrabat. *Materno ab auo*, per Maiam, Atlantis f. Verum de toto loco v. V. L.

259 — 261. *magalia*. v. ſup. I, 421. *Miratur molem Aeneas, magalia quondam. arces* pro munimentis vrbis

Enſis erat, Tyrioque ardebat murice laena,
Demiſſa ex humeris: diues quae munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreuerat auro;
Continuo inuadit: Tu nunc Carthaginis altae
Fundamenta locas, pulcramque vxorius vrbem

runt; finierat forte poeta alterum locum in *Conſpicit.* tum alter adſcriptus erat: *illi ſtellatus I. f.* 262 *lana, luna, leua* aberrant in *laena.* 263 *Dimiſſa* multi, vt ſolent. cf. Burm. 265 *vadit* tert. Rottend. a m. pr.

et pro ipſa omnino vrbe. vid. ſup. I, 424. 425. *fundantem,* fundamenta ponentem; proprie, fundamentis iactis inaedificantem. *tecta nouantem,* priuatas aedes nouas educentem. cf. Burm.

261 — 264. *Conſpicit; atque illi.* Offendit haec oratio tamquam paullo ieiunior pro tali carmine, nec accurata illa veſtitus deſcriptio in medio rerum curſu expectabatur. Eſt quidem hoc Homericum, vt ſtructura reliquae orationis relicta externam rei vel hominis ſpeciem ſenſibus obiiciat poeta; verum hoc ſit, quoties id ipſum vim habet ad augendum, amplificandum vel illuſtrandum: nunc autem quam vim habere poteſt hic enſis, haec chlamys, in deſignando Aenea occupato in aedificandis aedibus! — Vt ſaltem *atque* abeſſet! Sed libri nil mutant. Nec rem expedit, ſi ab *illi* ad *auro* parentheſin facias. *ſtellatus* exquiſite pro diſtinctus ac fulgens, ſc. in capulo et vagina. *iaſpide fulua,* epitheton non vrgendum. Non enim inter praeſtantiores ſui generis ſuluae numerantur. v. Plin. XXXVII, 37, quem tamen *fuluas* iaſpides omnino memorare non video, quod tamen Seruius affirmat, niſi *fulua* pro ſubuiridi accipienda, vt inf. V, 309 *fulva oliua. ardebat* ornate pro erat. *telas* int. ſtamina. Erat igitur veſtis haec craſſa, Χλαῖνα, ipſius Didonis manibus texta. conf. ſimiles locos inf. XI, 73, et III, 483.

265. *inuadit.* Habitum ſutnrae orationis oſtendit. *Seru.* Malim tamen ſimpl. pro *aggreditur dictis, alloquitur,* habere dictum. 266. *vxo-*

Exſtruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipſe deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, coelum et terras qui numine torquet;
Ipſe haec ferre iubet celeris mandata per auras: 270
Quid ſtruis? aut qua ſpe Libycis teris otia terris?
Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem;
Aſcanium ſurgentem, et ſpes heredis Iuli
Reſpice; cui regnum Italiae Romanaque tellus 275
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus

267 *Conſtruis* Zulich. 268 *claro tibi me* Menag. pr. *dimittit* multi et hic. 269 *ac terram, et terram* alii ap. Heinſ. *qui fulmine* Parrhaſ. 270 *celſas* ſec. Rottend. 271 *Quis* Gud. *t. omnia* ed. Ven., male. 273 *Ne ſ.* Exc. Burm. *ſua* Mentel. pr. Totus verſus abeſt a Medic., cum quo conuenit Goth. tert., in nonnullis manu ſecunda inſertus aut margini adſcriptus. Apud Pompon. Sab. legitur: „*Nec ſuper* ſecundum Apronianum.“ Videtur aliquid excidiſſe. Nam corrector ille Virgiliani operis (v. Tom. I poſt praef. de cod. Mediceo) verſum hunc reſciderat, vt ex Medicei codicis lectione apparet. VII. 271 — 275 facti ad vII. 232—236. Pierius nil de ſuis monuit; qui adeo nihil nouaſſe videntur. 274 *ſpes ſurgentis* pr. Hamb. Doruill. ex lib. X, 524, aut potius ex anteced. verbis. 276 *Debetur* Hugen. et pr. Rottend. a m. pr. v. IX, 619. *voce locutus* Doruill.

rius cum dilectu dictum, ad Didonis arbitrium. 268 ſq. Verſus ex Iliad. λ, 201. *claro Olympo.* Ὀλύμπῳ ἀγλῃέντος. 269. *torquet* exquiſitius quam mouet, moderatur. Sic XII, 180. *Cuncta tuo qui bella pater ſub numine torques:* regis. *numine* h. l. vi ſua. *teris otia*, exquiſite vt *conſumitur, teritur tempus.* Exemplis rem firmauit Marklandus ad Stat. III Silu. 5, 60. Liu. I, 57. conf. Burmann. *ſurgentem* mauult dicere poeta, quam creſcentem. vt I, 366. *ſurgentemque nouae Carthaginis vrbem.* Sic *ſurgens ſeges, oleaſter.* Et iterum VI, 364 *per ſpem ſurgentis Iuli.*

276—278. *tali ore*, oratione. *Seru.* Diceſſum hunc dei non expectata Aeneae

Mortalis visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.
At vero Aeneas adspectu obmutuit amens,
Adrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit. 280
Ardet abire fuga, dulcisque relinquere terras,
Adtonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?
*Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc, 285
*In partisque rapit varias, perque omnia versat.

277 *C. o. l. Mortalis* Ge. Fabric. in mſ. iunctum viderat. *in sermone* aliquot Burm. *relinquit* Exc. Burm. 278 *inuanuit* Hugen. *vmbram* Ven. 279 *obm. vno* alter Menag. 280 *Erectaeque* pr. Hamb. pro. var. lect. v. inf. V, 138. 282 *imperio monituque* ap. Priſcian. lib. XI. 283 *agit* ſec. Rottend. *quonam* tres Burm. et ita Nonius. *quonum* Leid. 284 *affatum* Exc. Burm. *et quae* alii, ſed ſuſtulit τὸ *et* Heinſ., Pierianorum et ſuorum librorum auctoritate. 285 *Atque* omnes codd. et Schol. Cruqu. Horatii II Od. 16. Importunum tamen et forte ex lib. VIII, 20 illatum, vbi duo hi verſus repetuntur. Placet Heinſii coni. *Vtque animum.* Brunck. vtrumque verſum omiſit, ſuo periculo. 286 deeſt Gud. a m. pr., item fragm. Vatic. a m. pr.

excuſatione aliquantum artis habere, etiam Cerda vidit. cf. inf. de Didone 388 ſqq.; quamquam hoc in deorum alloquiis frequentiſſimum eſſe ſolet. cf. inf. IX, 656. 657. add. ſup. Exc. ad lib. I, 402.

279. 280. Homerica: Στῆ δὲ ταφών. Ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσαν — θαλερὴ δέ οἱ ἔσχετο φωνή. cf. Iliad. ω, 358 ſqq.

281 — 284. Egregii verſus rerum veritate et verborum dilectu. *Heu? quid agat,* vt IX, 399 et al. *ambire,* cum dilectu pro adire.

285. 286. Putant expreſſum Homericum διάνδιχα μερμήριξεν; et v. 287 Ὥιδε δέ οἱ φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι; vt Iliad. ξ, 23. π, 647 — 652 et ſaepe alibi. cf. Odyſſ.

Haec alternanti potior ſententia viſa eſt:
Mneſthea Sergeſtumque vocat, fortemque Cloanthum
Claſſem aptent taciti, ſocios ad litora cogant;
Arma parent, et, quae ſit rebus cauſſa nouandis,
Diſſimulent; ſeſe interea, quando optima Dido
Neſciat, et tantos rumpi non ſperet amores,
Tentaturum aditus, et quae molliſſima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio laeti parent, ac iuſſa faceſſunt.

288 *fortemque Sereſtum* optimi libri Medic. Gud. et alii ap. Pier. et Heinſ. et fragm. Vatic. ac duo Goth., et poteſt vulgata ex lib. I, 510 repetita videri; vnde etiam *Anthea* in nonnullos venit. *Meſtea*, *Cloanta* al. 289 *aptant — parant* Goth. ſec. et tert. *ſociosque* vulgg., ſed *τὸ que* ſuſtulit Heinſ. poſt Pier. ſecundum codd. *ad limina* Exc. Burm. 290 *parant* alter Hamb. *et* abeſt ab ed. Iunt. *et quae rebus ſit* Gud. cum fragm. Vatic. et binis aliis. Totum verſum omittit alter Gudianus. 294 *quis* Heinſ. e libris, vt Virgilii mos fert. Vulg. *qui*. 296 *et i.* fragm. Vatic. *faceſcunt* Franc. *capeſſunt* pr. Hamb. pro var. lect.

λ, 228. 229. *diuidit* efficacius quam vertit, verſat, volvit, vt V, 701. 702. *alternanti*, varia mente tractanti. *Serv.*; immo alternis animo verſanti haec.

288 ſeq. Forma orationis poetam decet, pro, Hoc — optimum factu viſum eſt, vocare Mneſtheum — eosque iubere *naues clam inſtruere*, *ſocios nauales conuocare* (cf. Odyſſ. ξ, 332), *expedire armamenta naualia*, *et diſſimulare*, qua de cauſſa haec praeter expectationem faciant.

293. 294. Pro: *tentaturum aditus — tempora — et modum*, qui ſit rebus agendis et conſiliis accommodatus. *Aditus*, vt inſ. 423, de alloquio. *molliſſima*, quando de diſceſſu conſilium ei exponi poſſet molliſſime, cum minimo eius dolore.

At regina dolos (quis fallere possit amantem!)
Praesensit, motusque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. Eadem impia fama furenti
Detulit armari classem, cursumque parari.
Saeuit inops animi, totamque incensa per vrbem
Bacchatur; qualis conmotis excita sacris
Thyias, vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.

296 *dolo* Ven. a m. sec., scilicet vt iungatur *dolo fallere; qui* Mentel. tert., vt sit *quomodo*. Verum sic sententia iugulatur. *posset* aliquot Burm. 297 *accepit* aliquot Pier. 298 *fata* Goth. tert. a m. pr. et Menag. pr. *furentis* Medic. a m. pr. et hoc illustrat Pompon. Sab. „Apronianus ait, *furentis*, sicque intelligit: „eadem fama furentis Didonis detulit armari classem." Etsi hic Apronianus illam lectionem non probasse, sed damnasse, videtur. 302 *Thyias* c. Brunck. recepi adstipulante Medic. Pierii, fragm. Vatic. a m. pr. Gud. et Mentel. pr., et sic ex Velio Grammatico reponere volebat Pierius, recte puto; etsi prior in θύω natura longa est. cf. Burm. h. l. et Bentl. ad Horat. II Od. 19, 9. Est Θυιάς, vt Θυιάσιν ὠμοβόροις ἴυγξι. Apollon. Rh. I, 636. *Thyas* vulgo, vt plerumque; sic et *Harpya* male pro *Harpyia*. *Theias, Thias* alii vitiose, vti mox *triaterica, triatericha*. *stimulat* Doruill. a m. sec. *trepidant tr.* Velius Longus ap. Heins. *Bacchi* fragm. Vatic., sed o adscripta. 303 *nocturnisque* Burm. e Lutatio. *nocturnosque* Gud. *nocturnoque* Erf., quod ferri posset. *Cithero* Wall.

296 sqq. Egregie omnia haec ad affectus amoris veritatem, multoque magis in Didonis a v. 305 sqq. oratione. Obuium tamen est attendenti animum in talibus, singulorum dictorum vim, ac verborum delectum, percipere et aestuantis animi signa agnoscere.

297—301. *excepit* auribus, sensu; animaduertit. *furenti* pro ei. *impia fama*, h. l. saeua, dira. *Bacchatur* summa cum vi dictum pro discursitat.

301—303. Haec sunt vetustiora illa Bacchi orgia ac sacra τριετηρικά, tertio quoque anno a Thebanis cele-

Tandem his Aenean compellat vocibus vltro:
Disſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum
Poſſe nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris ſidere claſſem,

306 *discedere* multi ap. Burm. et duo Goth. 308 *vulnere* Exc. Burm. 309 *moliri* Medic. cum aliis Heinſ., vt iungatur cum *properas*; non male.

brata, a Thracibus in Graeciam illata, diuerſa ab Athenienſium Dionyſiis, et inter ſacra rudium hominum enthuſiaſtica primo loco numeranda. Extra vrbem in monte Cithaerone nocturnis diſcurſibus religio haec arcana a mulieribus quoque frequentabatur. Hinc ſingula in his verſibus illuſtranda. *commouere ſacra* (Alias *mouere*, vt Valer. Fl. III, 232 *motis vlulantia Dindyma ſacris.* et al.) voc. proprium in ſacris de initio caerimoniae facto. Bene Seru. „Verbo antiquo vſum tradunt. *Moueri* enim *ſacra* dicebantur, cum ſollennibus diebus aperiebantur templa inſtaurandi ſacrificii cauſſa.“ Scilicet proferuntur ciſtae, vaſa, inſtituuntur thiaſi, chori; adeoque apud eund. Valer. Fl. III, 539 *thiaſos et ſacra mouentem. Baccho audito*, dum clamatur, Io Bacche! *orgia ſtimulant* Baccham, incenditur eius animus inter ſacras caerimonias, quas parari videt et audit. cf. loc. Tryphiod. 357 ſqq.

305. v. ad 296. Potuit poeta in hac Didonis expoſtulatione ante oculos habere alteram illam Medeae ap. Apollon. IV, 356 ſqq.; diuerſa tamen Medeae et Didonis conditio ac fortuna, niſi quod vtraque pudorem violauerat. Comparat cum iisdem Ariadnes querelas Vrſin. apud Catull. LXI, 133 ſqq.

309. *hiberno ſidere* vt Georg. I, 1 *quo ſidere:* quoniam ad ſiderum ortus et occaſus nauigatio fiebat; inſtante autem iam ea anni parte, qua tempeſtates et procellae crebriores eſſe ſolent, claſſem

Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arua aliena domosque
Ignotas peteres? et Troia antiqua maneret?
Troia per vndosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenaeos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni

310 *In mediis* pr. Hamb. *per Austrum* Goth. sec. 311 *arma* Goth. sec. a m. pr. cf. ad I, 550. *domusque* aliquot Pier. 312 *si Troia* Goth. tert., satis bene. 314 *tuamque* multi ap. Burm. sed haud dubie vitiose. *te* Aproniani lectionem esse, Pompon. Sab. monuit. 315 *relinqui* Franc. Versus deerat Parrhas., at Venetus ei praeponit alterum: *Per connubia n.* 316 *inceptosque* aliquot Burm. 320 *Libyae* pr. Moret. et sic Arusian. Messius ap.

aedificabat Aeneas. cf. sup. ad 52. Exc. II ad lib. III.

311—313. Atqui hoc, mari procellis turbato nauigare, ne tum quidem faceres, si reditus in patriam pateret.

315. *aliud nihil*, scil. quod sperare de me possis. Comparant Eurip. locum (in Iphig. in Aul. 909 sq.) Hec. 818 sq. et v. 316 sq. Iliad. o, 39. *incepti Hymenaei*, 316 sunt recentes, nihil aliud, adeoque ipsa nouitate dulces, vt Seru. 317. *aut si tibi fuit quicquam dulce* a me profectum, ex me, *quicquam meum*. Similis locus Pindari Ol. I, 121. Mox 320 *Libycae gentes*, in his *Iarbas*, Numidarum *tyrannus*. v. sup. 196 sqq.

320 — 324. „Dicitur ingenti affectu hos versus pronuntiasse (Virgilius), cum

Odere; infenſi Tyrii; te propter eumdem
Exſtinctus pudor, et, qua ſola ſidera adibam,
Fama prior; cui me moribundam deſeris, hoſpes?
Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
Deſtruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſuboles; ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta ac deſerta viderer.

Heinſ. *Libie* Doruill. *Numadumque* multi et *Numidumque*. Hoc iam Pierius praeferebat. Sed Graecum poetae haud dubie placuit. *Numidaeque* ſec. Moret. cf. inf. 535 et al. 321 *et te* pr. Hamb. 323 *Cur me* duo Burm., male. *morituram* legitur ap. Priſcian. lib. XIII, aliter ſcripti. 326 *Deſtruit* pr. Moret. et Exc. Burm, *an captam* ſec. Moret. 328 *paruus in aula* tres Heinſ., ſed vulgatam tuetur Iuuenalis imitatio Sat. V, 138 *nullus tibi paruulus aula Luſerit Aeneas;* et Catulli exemplum LVIII, 216. 329 *qui te tamen* e Medic. et aliis praeſtantioribus etiam Pier., et Aruſiano Meſſio, Heinſius, poſt Bened. Vulgo: *qui te tantum*, alii *qui tantum te*. 330 *aut* alii codd. et edd. ante Heinſ. *ac deſtructa* Puget. *videret* Menag. alter.

priuatim paucis praeſentibus recitaret Auguſto; nam recitauit primum libros tertium et quartum.“ Haec Seru. et ex eo Pompon. Sab. cf. Vita Virg. §. 46; et ſunt ſine dubio verſus tales, vt vel legentis vel audientis animum commoueant. Profecit ex iis Ouid. Epiſt. Didus v. 121 ſqq. *Fama prior,* quam habui ante tuum aduentum. *de coniuge*, hoc ſolum nomen (ſc. *hoſpes)* mihi reſtat de te, qui fueras antea coniux. conf. Burmannus.

325—330. *Quid moror?* quin ſtatim moriar. *Pygmalion dum moenia deſtruat:* propter illa quae expoſita ſunt ſup. I, 360 ſqq. *Luderet* ornate et ſuauiter pro eſſet. *capta ac deſerta* graviter pro, relicta a te, cum

Dixerat. Ille Iouis monitis immota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, numquam, Regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae; 335
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speraui, ne finge, fugam; nec coniugis vmquam

331 *inuicta* Goth. tert., non inficete. 332 *tenebat* alter Hamb., sed v. lib. I, 211. 335 *nec te* Seru. ad I Aen. 74. *Elissae* Heins. cum Mediceo et melioribus; et sic Graecis Ἐλισσα. Vulgg. *Elisa.* 336 *Dum meminisse* Wall. *regit* Heins. e Medic. et aliis. Vulgo *reget*, alii *regat*. tert. Moret. *regis*. 337 *Pro re* ed. Dan. Heinsii, male. v. Burm. *loquor* sec. Rottend. et tres Burm. *ego* deest ibidem in nonnullis. *furtim* pr. Moret., vt alibi. cf. Burm. 338 *nec finge* tres Burm. cum Goth. tert. *ne coni.* Exc. Burm.

respectu ad Iarbam v. 326, cui relinquitur captiua abducenda. Caeterum qui v. 328 reprehendunt, nostris moribus rem aestimant; quod in vetere poeta et in heroum vita parum recte sit.

331 sqq. *immota*, vt nec adspiceret et miserationem Didonis vultu argueret. Vnde 369. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? curam*, h. l. dolorem. *tandem*, ὀψὲ δὲ δή Homericum.

335. Comparant Iliad. χ, 387. 388. verba Achillis de Patroclo. — 336. εἰσόκ' ἄϋτμὴ Ἐν στήθεσσι μένῃ Homericum, vt Iliad. ι, 605 et alibi.

338 seq. *Praetendi* accipiunt, praetuli. Sane nota res est τὸ δᾳδ᾽ ἔχειν in nuptiis. Sed non ipse sponsus faces fert. Malim eo sensu positum, quo v. 172 *praetexere*; vt se nunquam *taedas*, iustas nuptias, *praetendisse*, prae se tulisse, suae cum Didone consuetudini nomen iusti matrimonii nunquam tribuisse, dicat; nec *haec in foedera*, h. e. in has leges,

Praetendi taedas, aut haec in foedera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, et sponte mea componere curas:
Vrbem Troianam primum dulcisque meorum
Reliquias colerem; Priami tecta alta manerent;
Et recidiua manu posuissem Pergama victis.

339 *haud haec* Goth. pr. 340 *voluissent d.* vnus Pierii. 341 *aut sponte* Hamb. alt. *meas* idem cum aliquot aliis. *deponere* Vratisl. 343 *et* ante *Priami* secundum codd. Pierii et suos sustulit Heins. 344 Si *Aut r.* legas, sententias aliter iungere licet: *Priami t. a. manerent, Aut r.* ad mei animi votum, aut supereſſet Troia, aut a me reſtitueretur. *rediuiua* aliquot Pier. sollenni varietate.

consensi, vt coniux essem. Et sic iam Guellium accepisse video.

340 — 344. Comparant Odyss. π, 148 sq. *meis auspiciis*, qs. meo ductu, idem quod *sponte mea*, sed ornatius, meo lubitu ac voluntate. *componere curas*, exquisite, res ordinare: nam *curae* pro studiis, negotiis, et de v. *componere* cf. sup. ad I, 249. Si mihi viuere liceret, vbi vellem, tamen vel sic caeteris omnibus praeferrem hoc, vt locum veteris Troiae incolerem vrbemque euersam reficerem; tantum abest, vt Carthagine vitam exigere malim. Argutantur interpretes. *Reliquias meorum* aliter vix intelligas, quam cineres et ossa, adeoque loca ac sepulcra, in quibus illa condita sunt. *Priami tecta manerent:* supereſſent adhuc, scil. reſtituta a me. Nam alterum ieiunum esset: voluissem Troiam non euerti! *recidiua Pergama;* delectatur hac voce Virgilius et alibi, siue a surculis siue a semine repullulascente petita; *recidiua posuissem*, reſtituissem, iterum excitassem. Tribus autem modis eandem rem declarauit; ne forte in animum veniat legere *Aut recidiua*, vel cum Burmann. *colerem* pro *coluissem* positum putare; Dicendum potius, *posuissem* pro *ponerem* dictum. Sed et alterum recte.

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes.
Hic amor, haec patria est. Si te Carthaginis arces
Phoenissam, Libycaeque adspectus detinet vrbis:
Quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Inuidia est? Et nos fas extera quaerere regna.
Me patris Anchisae, quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,

345 *Grineus, Crineus, Crynaeus*, passim scribitur vitiose. Est enim Γρύνειος. *Cirrhaeus* pr. Hamb. pro var. lect., quod per se non malum esset, a Cirrha prope Delphos ductum. *crinitus* vn. Guelpherb. in Exc. Sax. 346 *visere capess.* Goth. sec., inscitia librarii. 347 *hic patria est* tres Heins. *Carth. altae* Ven. et Gud. pro var. lect. 348 *Libyae* Doruill. *affectus* Hamb. alt. *demeret* Seruius *in nouis* (bonis) *et emendatis libris* legi testatur; quod I. Fr. Gronouio Obss. IV, 9. p. 130 et Heinsio arridebat., Sed illud dictum recte per se, alienum tamen a loci sententia, bene refellit Burm., et *detinet* tuetur tamquam quod proprium hac in re sit. 349 *Teucro* Hugen. *Troas* Ven. *consistere* duo Burm., perpetua variet. v. ad VI, 67.

345. 346. Omnino Apollinis oraculum Deli (sup. III, 94 sqq.) acceptum significari, Seruius volebat, et cum eo alii, quos vidi. Ita tamen vix locum haberet, frigeret vtique, repetitio illa: *Gryneus Apollo* (cf. ad Ecl. VI, 72) et *Lyciae sortes* (sup. 143): malim itaque ad responsa Apollinis referre in vtroque templo, et illo apud Myrinam Aeolidis, et hoc ad Patara, accepto. Plura autem huiusmodi vaticinia ac sortes Aeneae in Italiam adventum praedixisse, supra vidimus in Disquis. de *Aeneid. Inuent.* §. VI sq. Ex iisdem priscis historiis ducta somnia v. 350 sq., vt ibidem notavimus.

347. *Hic amor*, cum vi dictum de patria, quam amat, colit, cuius tanta caritas est, sup. III, 134. *Hortor amare focos.* 350. *Quae inuidia est?* quid vetat, quominus id fiat? vt passim φθονεῖν et inuidere. v. Burmann. 351. Comparant Iliad. ψ, 105 sq. *surgunt*, oriuntur:

Admonet in ſomnis et turbida terret imago.
Me puer Aſcanius, capitisque iniuria cari,
Quem regno Heſperiae fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam Interpres diuom, Ioue miſſus ab ipſo,
(Teſtor vtrumque caput) celeris mandata per auras
Detulit. Ipſe deum manifeſto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hauſi.
Deſine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non ſponte ſequor.

353 *inſomnis* vna voce Franc. et Reg. v. ad II, 220. *noctis imago* Hugen., lapſu librarii. 354 *capitisque iniuria ſacri* Ven. et Vratisl. 355 *et* deeſt Zulich., non male. 356 *Huc etiam* Hugen. *rurſus ab* Goth. tert., imperitia librarii. *ab alto* aliquot codd. ap. Heinſ. et Burmannus, quem vide. 357 *vtrimque* Goth. pr. 358 *in* deeſt Witt. Wall. Erf. *limine* tres, vt al. 360 *Dum ſine* Goth. tert. *meque teque* vid. Burm. ad Lucan. IX, 985. *inceſſere* pr. Hamb. pro var. lect. *querellis* vetuſtiores libri Pier. et Heinſ. 361 *quero* Doruill. indocte ex interpretamento: cf. mox ad 381.

v. I Georg. 440. 353. *turbida imago*, turbata, triſtis, vt V, 695, ita verius Seru. Ad 354 conf. ſup. 234 ſq.

356 ſqq. Adornata verba, vt Iliad. ω, 223. *vtrumque caput*, meum ac tuum. Hoc in verbis ad Didonem habitis magis conſentaneum, quam, ſi Aeneae et Aſcanii intelligas. Formula iurandi ipſa ſatis eſt nota, nec de ea quaeritur. Mox, *manifeſto in lumine*, vt ſolent dii mortalibus occurrere, ἐναργῆ, Homerica voce: vt Iliad. υ, 130. Odyſſ. π, 161. v. Exc. XIII ad I, 402. ἐσιδέμεναι ἄντην Iliad. ω, 223.

360. Iliad. ι, 608 Μή μοι σύγχει θυμὸν ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων Ἀτρεΐδῃ ἥρωϊ Φέρων χάριν. *incendere*, quam opportune poſitum! commouere, luctu, dolore et ira exaſperare. Cerda laudat Catulli: *Noſtros vt luctus, noſtraeque incendia mentis* (LXI, 226). Etiam ap. Valer. Fl. VII, 243. de Medea:

Talia dicentem iamdudum auerſa tuetur,
Huc illuc voluens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et ſic adcenſa profatur:
Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor, 365
Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanaeque admorunt vbera tigres.

362 multi *aduerſa*, peſſime; etſi Burmanno non displiceat. *verſa* Doruill. 364 *precatur* ed. Cerdae; neſcio an et aliae, obuio lapſu. 366 *ſeu d.* Schol. Horat. I Od. 21. *durus* Oud. *cotibus* Wall. 367 *Hyrcaniaeque* Goth. tert., vt ap. Dionyſ. Perieg. 690. 699, ſed eſt librarii vitium.

Perpetior durae iamdudum incendia mentis.

362—364. Egregia animi tumidi repraeſentatio. *auerſa*, adeoque oblique, torue. cf. Cerda. *Luminibus tacitis*, h. e. ipſa tacens. Sic VII, 343 eſt *tacitum limen Amatae*. Non audiendus Burmann. Eodem ſenſu Apollon. II, 49 σῖγα ἐς αὐτὸν ἐχ' ὄμματα.

365 ſqq. Orationis huius, cum vehementiſſimis ac graviſſimis affectibus inſurgat, vim ac virtutem omnes, qui legunt, animaduertunt, et vnusquisque facile percipiat. Primae lineae in Patrocli ad Achillem verbis ſunt: Νηλεές. ἦ ἄρα σοί γε etc. Iliad. π, 33 ſqq., vnde quis poetarum idem non expreſſit! cf. Cerda et ſup. Ecl. VII, 43 ſqq. *Caucaſus* et *Hyrcanae tigres* poeticae tantum Didoni, non verae, conueniunt; nec Homerus ad talia deflexit. Multo tamen magis naturae rerum ac veritati conſentanea ſunt, quam Andromachae verba apud Euripid. Troad. v. 761 ſqq. *Caſpias tigres* Seneca Herc. Oet. 145 et *Caucaſias* Silius IV, 533 memorat. De aliis Hyrcanis, quam de Caſpiis, vix quisquam hic cogitaret, niſi Servius Hyrcanos Arabiae (de quibus Freretus inter alios ap. Burm. ad h. l. et Bryant Analyſ. T. I, p. 209 videndi) huc aduocaſſet; quod ſi auctoritate interpretum priorum fecit, tenendum eſt. Nam habet Arabia tigres, et Bac-

Nam quid dissimulo? aut quae me ad maiora reseruo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? Iam, iam, nec maxuma Iuno,

368 *quod* Rottend. tert., vnde Heins. *quo dissimulo aut quo me.* Porro quatuor Burm. *aut quid me,* quod Burmanno non displicebat. *qui me* Doruill., quod et ipsum esse possit *qui,* quomodo. Grauius tamen ad sensum illud alterum: *quae me ad maiora reseruo?* inest enim, *quid me reseruo ad maiora?* et alterum: *ad quae maiora?* et conuenit: *quae quibus anteferam?* Io. Schraderus, qui et ipse impeditum se senserat, emendabat in schedis: *quae me ad meliora reseruo?* 369 *Non, non, Non* ter pro *num* aliquot ap. Burm. Alii modo *num* modo *non,* ex more. *Nunc fluctu* Medic. *l. traxit* Hamb. pr. a m. pr. *texit* Mentel. pr., an pro *tinxit?* 370 *haud mis.* duo Burm. *miseretur* duo alii. *est* omittunt multi, male hoc quidem loco. 371 *ante feram* diuisim multi. *non* et *neque* tres Burm.

chum inde reducem tigribus vectum exhibet poetarum ratio. Sed grammatico acumini res propior ac similior est.

368. Nam quorsum me contineo? quasi verendum sit, ne eum ira exasperem? an maiorem vllam iniuriam ac contumeliam accipere, grauius quicquam et durius ex hoc homine audire possum (hoc est: *quae me ad maiora reseruo,* ad maiores iniurias)? In sqq. etiam hoc obserua, quam egregie hoc ad dolorem et animi aestum valeat, quod repente tertia persona vtitur!

371. *Quae quibus anteferam?* scil. tamquam leniora durioribus? h. e. Annon haec extrema sunt? durissima et grauissima, quibus contumeliosius quicquam ne cogitari quidem possit? vt adeo illud locum habere nequeat, ferenda esse haec tamquam modica, ne grauiora experiar. Hanc sententiam mihi quidem locus, verba et ipse affectus postulare videntur. Vulgo accipiunt vel, quae

Nec Saturnius haec oculis pater adſpicit aequis.
Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locaui;
Amiſſam claſſem, ſocios, a morte reduxi.
Heu Furiis incenſa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae ſortes, nunc et Ioue miſſus ab ipſo

372 *inſpicit* Menag. pr., etiam bene. 373 *Nusquam eſt t.* aliquot Pier., male ad ſententiae breuitatem. *litore egentem* olim iunxerunt Seru. et Priſc., merito improbatum a viris doctis. *litore*, eſt, in littore. vid. Burm. vel in littus. 374 *Suſcepi* Priſcian. et Codex ap. Pier., ſed vulgatam etiam Seneca habet lib. VII de Benef. 24. *et regem in p.* Goth. ſec. 375 *Eiectam cl.* Priſc. lib. VII et ſup. verſu. *claſſim* duo Heinſ. v. ſup. ad III, 5. *ſociosque* vel, *et ſ.* multi, vt ſolet copula male intrudi. Poteſt hic verſus poſt ſuperiorem languidior videri: itaque lac. Bryant V. C. eum delendum eſſe cenſebat. 376 *auctor A.* Hugen. 377 *et* abeſt a Franc. *ab alto* alt. Hamb. cum Exc. Burm. v. ſup. 356.

prius, quae poſterius, dicam? Ita et Seruius; vel, quae aliis maiora dicam?

373—376. Diuina plane haec, ſententiarum et verborum grauitate! Et omnino magna ſuauitas ad amantis deceptae ſenſum in his querelis de perfidia et ingrato animo. Caeterum ante oculos fuiſſe videtur primum Calypſo Odyſſ. ε, 130 ſq., tum Euripidis Medea v. 476 ſqq., forte et Ariadne Catulli in Epithal. 149 ſqq. *regni in parte:* ſup. 214. *dominum Aenean in regna recepit. amiſſam claſſem* ſc. renouavi et *reduxi. Seru.;* claſſem, quae in ſummo diſcrimine verſabatur, vt iam pro amiſſa haberi poſſet, vna cum Troianis ad loca tuta reduci iuſſi. Cum haec enumeraſſet in Aeneam merita ac beneficia ſua, dolore et furiis tantae viri perfidiae amens ſubiicit: *Heu Furiis incenſa feror!* Nunc aliquamdiu oratione ſubſiſtere putanda; ſicut omnino per interualla ſingulae ſententiae pronuntiandae. Inprimis hoc tenendum v. 380 et poſt 381.

Interpres diuom fert horrida iussa per auras.
Scilicet is Superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis; pete regna per vndas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens;

378 *durum fert* Goth. sec. *h. dicta* Medic. et Colot. Vrsini. Eadem varietas sup. v. 226. 379 *his S.* vulg. ante Pier. et sic aliquot codd. ap. Heins. *hic* Probus et Schol. Statii ap. eund. 380 *Sollicitet* alter Hamb. 381 Post *Italiam* distinguunt codd. multi, at alii cum Lutatio et Rufiniano ap. Burm. alteram rationem seruant. *Insequere* Zulich. et Leid. vn. a m. pr. cum binis Goth. ex interpretatione τῦ *sequere*, quod h. l. est *pete, quaere*, vt adeas, vt paullo ante 361. *Italiam non sponte sequor*. Vnde V, 628. *dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem*. vt *alia cursu dum sequor*: II, 736. *per auras* Wall. ex 378 cum Goth. tert. a m. pr. 382 *in mediis* Parrhas. *possint* alter Hamb. *poscunt* Medic. a m. pr. 383 *Supplicio haesurum* fuere olim, qui emendarent, propter insolentiam voc. *hausurus*. In Witt. erat *hausturum*, vulgatiore ratione. *haurire poenas*, vel *exhaurire*, est pro accipere, adeoque luere, dare poenas: modo v. 359 *vocem haurire* vidimus, h. e. accipere, audire; vti alias est excipere, recipere, vti et *bibere*. Haesere in verbi vsu viri docti. *nomina* Wall. *numine* al. ap. Burm. *Didum* alicubi lectum Pierius narrat. 384 *Sequor* alter Hamb. *a. i. ardens* Sprot.

378. 379. *horrida iussa*, quibus parere aliquis horreat adeoque hactenus terribilia. *quietos* pro *eos;* at quanta cum vi! Consentit Epicureum dogma, nec tamen ad hoc respexisse dici debet Dido. In seqq. artem poetae animaduerte in reddenda veritate sensuum amantis spretae.

381. Comparant illa Agamemnonis: Φεῦγε μάλ' etc. Iliad. α, 173. 382. *mediis scopulis* vel in medio mari, vel potius poetica ratione, inter scopulos, naufragio facto. Te *supplicia* esse hausurum, daturum poenas. vid. Var. Lect. *pia numina*, a miseratione. 384. *Sequar*

Et, quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus Vmbra locis adero. Dabis, inprobe, poenas.
Audiam; et haec Manis veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, seque ex oculis auertit et aufert;
Linquens multa metu cunctantem, et multa parantem

385 *subduxerit* aliquot Pier. alter Voss. Leid. et Wall. cum Goth. pr. Sed *seducere*, pro abducere, separare, amant passim poetae, vt vel Indices docent. *seeluserit* Leid. et ed. Ven., quae varietas et sup. I, 562 occurrebat. *eduxerit* Seruius legisse videri potest. *animae* Pierius perperam Seruio obtrudebat. 388 *abrupit* aliquot Burm. et Goth. tert. *obrumpit* Sprot. 390 *cuncta metu* Exc. Burm. *sectantem* Wall. a m. pr. *volentem* Medic. cum Heins. et Pierianis ac multis aliis, solita variatione. Qui apud Seru. *Linquens* pro delinquens, deficiens, accepere, in seqq. debuere iungere: *multa — dicere suscipiunt f.*

atris ignibus, multa argutantur passim interpretes. cf. Seru. Praestat Furiarum faces huc reuocare, vt Seruius primo loco: *Inuocatas tibi immittam Diras*, et Cerda. Vocabis moribundus Didonem; tunc Furiae sceleris in me commissi tibi obuersabuntur; siue: ego, etsi absens, tibi occurram tamquam ex Furiis vna et faces intentabo oculis. cf. Sueton. Ner. 34 et inf. v. 472. Forte Apollonium ante oculos habuit IV, 386 sq. Nunc Ouidii leuitatem compara Epist. VII, 65 sqq. 385. *anima seduxerit artus*, exquisite, seiunxerit. Vulgare est, animam ab artubus. *Anima, — Vmbra — Manes* cf. ad Tibull. III, 2, 15. 387. *Audiam* apud inferos, te dedisse poenas. Qui loquendi modus et alibi occurrit. cf. Vrsin. Apud Pindar. Ol. XIV, 29 Fama ad inferos parenti nuntiat victoriam filii.

388—392. Abrupto vtique hoc sermone nihil disertius, nihil eloquentius, dici poterat. *auras fugit*, lucem: *taedet coeli conuexa tueri*

Dicere. Suſcipiunt famulae, conlapſaque membra
Marmoreo referunt thalamo, ſtratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis auertere curas;
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
Iuſſa tamen diuom exſequitur, claſſemque reuiſit.
Tum vero Teucri incumbunt, et litore celſas
Deducunt toto nauis. Natat vncta carina;
Frondentisque ferunt remos et robora ſiluis
Inſabricata, fugae ſtudio.
Migrantis cernas, totaque ex vrbe ruentis,
Ac, veluti ingentem formicae farris aceruum

392 *Marmoreum thalamum* pro in, nec hoc indocte, Moret. pr. et Exc. Burm. 393 *dolorem* tres Burm. 395 Deerat verſus Parrhaſ. 396 *ſequitur* tres Burm. *claſſimque* Sprot. 398 *tuto* Vratisl. 399 *ramos* multi Heinſ. et Burm., facili lapſu. Sed et *Frondentes remi* exquiſitius quid, quam *ſ. ramus;* etſi alias *ramus, truncus, trabs*, eleganter pro *remo* dici poſſit. 400 *fugae ſtudio*. Deſunt haec pr. Rottend. a m ſec. 402 *velut* Medic.

inf. 451, in thalamum ſe recipere putanda. *aegra* praeclare, quippe mox deliquium animi paſſura; ſed adhuc vires ſumit ab irae aeſtu. Reliquorum vide ornatum pro, ſuſcipiunt eam et reportant in thalamum.

393—395. Ornate, quamquam eam ſolari cupiebat. Multum dolens (πολλά γ' ὀδυρόμενος) et amore ardens.

397. *Incumbunt*, non remis; ſed omnino de ſtudio: cf. inf. IX, 73. Comparant Iliad. δ, 223 ſq. de Agamemnone. Malim illa memorare, Iliad. β, 149 ſqq., vbi Achiui de diſceſſu cogitant. Mox *vncta*, pice delibuta, *Seru. fugae*, celeris profectionis, vt poetae ſolent, etiam Graeci in φυγῇ, φεύγειν.

402—407. Accepit ab Apollonio, IV, 1452 de Minyis ad aquam repertam convolantibus, ſed egregie ornauit. Dignitate compara-

Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Conuectant calle anguſto; pars grandia trudunt
Obnixae frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Caſtigantque moras; opere omnis ſemita feruet.

cum aliis. Sic et inf. v. 441. Sed iunctura verſuum omnino nondum ſatis elaborata eſt. Deficit comparationis apodoſis: Ac veluti: — *Sic.* Interea ſuppl. *ac ſic ruentes videas, veluti formicas, quum pop. aceruom* Gud. ex more ſuo. 403 *Comportant* Lactant. de Ira Dei c. 7, memoriae vitio. 404 *Et* Sprot. *nigris campum* Exc. Burm. a m. pr. *per herbam* Nonius, et ſic Leid. vn. et Goth. tert. 405 *Conuectat* Witt. *collo* Leid. 406 *Obnixe* al. 407 *moras operae: omnis* Heinſ. laudat ex Medic. et Iunt. ed. Sed in illis vt et in aliis edd. eſt: *moras: operae omnis;* et eſt correctum *opere* in Medic. *feruet;* mox 409 *feruere:* tamen nunc in *feruet* conſenſus eſt.

tionem carere, cenſuerunt multi. cf. Burm. forte quod cardinem comparationis non videbant in feſtinationis notione verti, non autem in ipſo animantis genere. Bene Seru. *ad ſtudium reſpicit comparatio h. l., non ad perſonas.* A paruis rebus et animalibus exempla paſſim petuntur, non modo Homero, v. c. a muſcis Iliad. π, 641 ſq. β, 469, ſed etiam caſtigatioribus, vt ap. Apollon. l. c. a formicis et muſcis, IV, 1298 a pullis, et ſic porro. Noſter autem etiam oratione et dilectu verborum, quae ab hominum vita transtulit, rei dignationem fecit: *populant, tecto,* pro cauerna, *it campis agmen, praedam conuectant, humeris obnixae* etc. *Ac* ſupple, *ruentes ex vrbe ac* tales videas, ita incedentes, *veluti* etc. *hiemis memores.* Notus Horatii locus I Sat. 1, 35. *It nigrum campis agmen,* „Hemiſtichium Ennii de elephantis „dictum, quo ante Accius eſt „vſus de Indis.“ *Seru. calle anguſto,* proprie ex formicarum natura, ἀεὶ μίαν ἀτραπὸν πάντες βαδίζασι, Ariſtot. H. A. IX, 38. *trudunt,* quae

Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia ſenſus!
Quosue dabas gemitus, quum litora feruere late
Proſpiceres arce ex ſumma, totumque videres
Miſceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
Inprobe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur; et ſupplex animos ſubmittere amori:
Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.

408 *Quis tibi nunc* Burmanni emendationi deberi videtur, ſecundum poeticae orationis vſum. Heinſius ediderat: *tunc;* et vulgo libri habent: *tunc* vel *tum*, vel *dum*. D. Heinſii editio habebat: *Quae tibi*. 410 *Aſpiceres* Parrhaſ. *et* pro *ex* a pr. m. Medic. *vaſtumque v.* Wall. 411 *vaſtis clamoribus* Wall. 412 *corpora* Wall. a m. pr. 414 *animum* multi paſſim ap. Pier. et Burm. et al., ſed poeticus eſt pluralis numerus. 415 *Nec quid* Wall. Forte placet interpungere: *ne quid inexpertum (fruſtra!) moritura, relinquat*, h. e. fruſtra! cum moritura eſſet; vt poeta de ſuo interponat; ſed eſt nimis ſubtile hoc.

portare non poſſunt, *Seru. moras* exquiſite pro tardos, morantes, et ſtatim *opere* pro *iis*, quae opus faciunt, formicis. Locum etiam Plinius in animo habuit lib. XI, 31. ſ. 36.

408. Oratoria apoſtrophe quam vim h. l. habeat, facile intelligitur. *litora feruere* (quod inf. 416 *properari*) doctius quam, Troianos in littore; ſic et v. 411 *miſceri aequor* pro clamores miſceri in aequore.

412. Color ex Apollon. IV, 446, quando Medea Abſyrtum iugulat. *ire in lacrimas*, quod vulgari ratione procedere, deſcendere, ad lacrimas. 414. *animos* non male pro *iras* accipiunt nonnulli apud Seru. Poteſt et altos, ſuperbos, ſpiritus declarare. 415. Seruius ita accipit, vt *fruſtra* ex poetae iudicio dictum ſit: vt omnia experiatur; ſed fruſtra! Scilicet turbabat illa vox, cum quaereretur de verborum ordine. Alii iungunt: *fruſtra moritura*, ſc. ſi quicquam intentatum reliquiſſet. Qui mala patitur, quae opera et ſtudio ſuo

Anna, vides toto properari litore; circum
Vndique conuenere; vocat iam carbasus auras;
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miserae hoc tamen vnum
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;

416 *litore; circum Vndique conuenere* vtique distinguendum cum Marklando ad Stat. II Silu. 5, 13 idque recepi pro: *pr. litore circum: Vndique c.* De interpunctione codices frustra consulas. *litore cursu* Parrhas. 418 *posuere* Wall. Idem versus sup. I Georg. 304. 419 *tantum potui* aliquot ap. Burm. *spectare d.* emendabat Stephan. de Latin. Lipsii p. 469, quod Burmannus Secundus ad Anthol. p. 721 extr. probare videtur. Sed v. Not. 421 *Nam solam* Doruill. *s. iam* Goth. pr. 422 *arcanas — mentes* Parrhas.

auertere poterat, subit ea nullo cum fructu, frustra: quia iis carere potuerat. Saltem melior locus τῷ *frustra* in structura exputari nequit.

416 — 440. Commentum poetae est ingeniosum, et, quod Aristoteles diceret (de poetica c. 24) πρὸς τὸν τοῦ ποιήματος ὄγκον faciens, quod Annae sororis ad Aeneam allegatae opera vtitur Dido; tanto enim grauior esse debet dolor, quo magis omnia expertus fueris, etiam iis, quae indigna essent, tentatis.

417. *conuenere* v. sup. 289. *vocat auras* velum v. sup. ad v. 223. *coronas* ex more in re laeta et h. l. in discessu optato, vti alias ex victo hoste, vel saluo reditu, vel festo die, et in re sacra. Quod non agnoscere voluisse videntur veteres Grammatici, qui versum reprehendebant, forte tamquam ex Georg. I, 304 repetitum. Apud Seruium: *Probus sane sic adnotauit: si hunc versum omitteret, melius feciſſet.*

419. *si potui;* quod ad vulgarem modum diceres: *si debui.* Quandoquidem dolor hic mihi ab initio expectandus, metuendus, erat (nam

Sola viri mollis aditus, et tempora noras.
I, soror, atque hostem supplex adfare superbum:
Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuraui, classemue ad Pergama missi;
Nec patris Anchisae cinerem Manisue reuelli:

423 *vt t.* Witt. 425 *excidere* aliquot ap. Heins. et Burm., perpetua variatione. *ascindere, incendere, excingere* aberrant alii. 426 *classemue* e codd. edidit Heins. Vulgo *que. classimue* Sprot. et h. l. v. ad III, 5. 427 *reuulsi* obl. Vatic. apud Pierium; sed damnat hanc formam Seruius. *cinerem* Heins. cum melioribus; vulgo *cineres.*

praeuidere hunc Aeneae discessum poteram ac debebam, quippe qui in Italiam tenderet); itaque pectus puto satis me esse firmaturam ad eum perferendum. Quae praeuidere aliquis potuerat, tamquam quae, rebus ita ferentibus, euenire poterant, ea, si euenerint, ferenda sunt, tamquam humana, h. e. quae, natura rerum sic constituta, in hominem cadunt.

423. *aditus.* sup. v. 293 *Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi Tempora, quis rebus dexter modus.* Mox *hostem* grauiter, ex affectu; infestum, odiosum virum. Male de hoste pro hospite dicto cogitant.

425 sqq. Color orationis frequens: Quid tantum in eum commisi, vt me fugiat? tamquam poeta, grauissima scelera, quae committi possint, memorat. v. Cerda h. l. et Tibull. I, 2, 79 seq. Caeterum tota oratione, qua ad infimas preces delabitur, nihil magis oratorium. Pleraque argutiis infirmauit Ouid. Epist. Didus v. 165 sq., dum haec exprimit.

425. Cf. Iliad. β, 303 sq. Similis locus sup. III, 602. 427. *cinerem Manesue reuelli*, docte pro laesi, violaui. Proprie reuelluntur sepulcra; cum his et vrna cineraria; cum cinere violantur Manes. Mox *dicta* sunt preces, vt saepe latius genus pro angustiore: vt 457 *voces. ventos ferentes* passim poetae pro secundis. Res

Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentis.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec pulcro vt Latio careat, regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori;
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam (miserere sororis):

428 *neget* Medic. a m. pr. et tert. Rottend. Ita legisse debent ii, qui apud Seruium iungebant: *reuelli, cur* (vt propterea) *mea dicta n.* — *dimittere* alii, ex more. *immittere* Wall. cum glossa. *admittere ad aures* alter Hamb. 429 *Quo struit* alter Hamb. 431 *Non ego c.* Rottend. a m. sec. cf. inf. V, 194. *connubium* tert. Rottend. Erf. *quod perdidit* Sprot. et Puget., vt iam apud Seruium interpretati sunt nonnulli. 432 *aut L.* duo Burm. *regnumue* Gud. a m. sec. 433 *furoris* alter Mentel. a m. pr. 434 *dolore* Medic. cum maiore fere codd. parte. Male tamen. 435 *ora* alicubi legi video in vulgg.

nota. v. Burmannum, quem mireris, tam inanem operam in Harduini somniis refellendis passim ponere. 431. Non iam coniugii, cuius spem et opinionem *ab initio* mihi ostendebat, fidem vt seruet, oro, quandoquidem illam *fefellit* iam. Grauiter singula!

433. 434. Petit tempus ad leniendam amoris vim primumque impetum frangendum, donec ille cum tempore in dolorem subsidat; cf. Ouid. l. c. v. 177 sqq.; quod facere graues affectus solent; et ipsa mora discimus et adsuescimus, aduersa perferre; docte dictum est *dolere* cum vi aliqua, moderate dolere, patienter ferre; vt oppositum sit, impatienter ferre.

Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam.

436 Virorum doctorum in hoc loco interpungendo, interpretando et, etsi nihil sanius esse potest (v. not.), emendando, aestum vide ap. Burm.; nam singula repetere longum et inutile esset. Si ingenio vtendum esset, saltem metaphorae immanendum erat, et *cumulata forte remittam* erat coniectandum: vt beneficium cum foenore reddituram se spondeat. Proxime accessit in schedis Io. Schraderus, qui cum alia tentat, tum hoc: *Quam mihi si dederit, cumulata forte, relinquat;* quod non satis intelligo. Discrepantias codicum primo loco videamus. *mihi tu d.* Zulich. a m. sec. *cum dederit cumulata morte r.* Medic., quod Heins. praestare putabat, etsi, sensus qui sit verborum commodus, non subiecit. Eadem lectio in Parrhas. et Puget. et, *cumulata*, etiam alter Menag. et Moret. tert. In pr. Moret. *cumulatim* cum glossa, *quod mihi cum dederis cumulatum.* Porro *remittam* Heins. reposuit e melioribus suis et Pierianis; vulgo *relinquam;* sed est prius illud exquisite pro *referam* dictum. *remissum* Parrhas. et Puget. Iam olim super huius versus lectione dubitatum fuisse, ex Seruio et Pomponio Sab. patet; Lectionem quidem *dederis* Tuccam et Varium probasse, vterque tradit; at Medicei codicis scripturam *dederit* Aproniano deberi, ex Pomponio discitur, cuius tamen verba si recte intelligo, *cumulatam* Apronianus et ipse tenuisse videtur, non *cumulata;* etsi interpretatio ad ipsum refertur: *cumulando morte.* Adscribam Pomponii locum: *extremam hanc veniam, oro, vt impetres ab Aenea, id est beneficium. id est, vt protrahat discessum suum, donec discam dolere. Si concesserit, nunquam ero immemor talis beneficii. Sic legit Apronianus. Tucca et Varius, referente Sergio* (Seruio), dederis *legunt:* cum dederis veniam, cumulatam morte remittam (l. relinquam), *id est, relinquam acceptum ab eo beneficium, morte cumulando. ita intelligit Apronianus. hanc opinionem Sergius* (Seruius) *damnat;* et recte vtique, nam interpretatio ista nullum bonum sensum exhibet; non enim morte Didonis quicquam grati ac iucundi in Annam redire poterat; etsi Seruius nihil melioris notae afferat. Manet igitur hoc: Tuccam et Varium probasse *dederis* et ad Annam retulisse; quod vnice verum

436. Quam gratiam, quod beneficium, si mihi praestiteris, vsque ad mortem grata ero; Haec est sententia nude enuntiata, et ornatius, cumulatissime vsque ad mortem gratiam referam. Hoc, vt poeta, extulit: *cumulatam remittam* pro cumulate referam, et *morte*, in morte, antequam moriar, vulgo: per totam vitam, vsque ad mor-

Talibus orabat, talisque miſerrima fletus
Fertque refertque ſoror. Sed nullis ille mouetur
Fletibus, aut voces vllas tractabilis audit;
Fata obſtant, placidasque viri deus obſtruit auris.
Ac velut, annoſo validam quum robore quercum
Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: it ſtridor; et alte

propter illa: *miſerere ſororis;* quae verba tollenda erant, ſi alterum locum habere debebat, vt *dederit* legeretur, oratione de Aenea inſtituta; quamquam ne ſic quidem aeque commode illa Aeneae, in longinquas terras profecto, per totam vitam gratiam referre velle videretur. Interpunctione praua totius verſus ſententia erat iugulata: *Quam mihi cum dederis cumulatam, m. r.* Eam itaque, vt dudum monueramus faciendum eſſe, mutauimus: *Quam mihi c. dederis, cumulatam morte remittam.* v. Not. 438 *ipſe m.* Doruill. 439 *haud v.* Goth. pr. *nullas* Goth. tert. *illas* Menag. pr. *vllas voces* Parrhaſ. 440 *obruit* Goth. ſec. et ſubiicit verſum inficetum: *Ne ſint ammotae neque ſiſtant gaudia mente* (f. menti). 441 *veluti* nonnulli et hic. cf. ad v. 402. *annoſo validam* Heinſ. cum melioribus, etiam Pierianis; vulgo *annoſam valido;* et *cum corpore* Exc. Burm., vulgari lapſu. Ne in *robore* haereas, cum *quercus* addita ſit: *quercum robore validam*, tenendum, robur eſſe de trunco accipiendum. 442 *huc* et *illuc* Sprot. 443 *et altae* Medic. cum praeſtantiore quoque, etiam fragm. Vatic. et Pier. parum refert, ait Burm.; recte vtique, quoad ſenſum; ſed altera proſaica forma eſt, altera, quis dubitet?

tem. Ita, puto, interpunctione poſt *dederis* facta, res ſatis expedita. v. Var. Lect.

437—439. Peruicacia, aut, ſi mauis, conſtantia Aeneae in conſilio exſequendo, cum verba nuda non ſufficerent, comparatione declaratur. *fletus,* preces cum lacrimis fert ad Aeneam plus vice ſimplici. Hoc, puto, eſt *fertque refertque. placidas*, translato epitheto a viro. 441—446. Comparationem hanc ex Iliad. π, 765 ſqq. adumbratam eſſe, iam Macrob. volebat, vt et locum ſup. lib. II, 416 ſqq.; vix tamen tenuiſſimas lineas ibi reperias; vt vana plane opera in compa-

Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes;
Ipſa haeret ſcopulis; et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud ſecus adſiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno perſentit pectore curas.
Mens inmota manet; lacrimae voluuntur inanes.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido

poetica. Igitur, qui textum nouat, *altae* reponet. (Miror itaque a Brunckio V. C. id non factum eſſe). 444 *terras* Goth. pr. cum ed. Hortenſii; quod praeferrem, ſi idonea auctoritas eſſet; eſt enim magis poeticum et maius aliquid ſonat. *percuſſo* Hamb. pr. *vertice* Menag. pr. *frondes* ſec. Rottend. 446 Duplex lectio et hic, vt Georg. II, 292, vbi idem verſus: Aeſculus — *quae quantum vertice ad auras Aetherias, tantum radice ad Tartara tendit. radice*, quam codicum ſectam fragm. Vatic. ducit, et *radicem* Mediceus cum multis aliis Heinſ. et Pier. *radicem in t. tendit* oblong. Pier. cum Puget. et Exc. Burm. 448 *perſenſit* multi Pier. et Heinſ. ac Burm. cum binis Goth., alii *praeſentit*. v. ſup. v. 297. 450 *Cum* Wall. Mox *fatis exercita Dido* emendabat Marklandus in Epiſt. Crit. p. 117. *Fatis* aliquem *exerceri* eleganter dici non neges; ſic V, 725 *nate Iliacis exercite fatis;* et bene aliquis ad-

rationem et Homeri obtrectationem impendatur. Melius poſſis forte huc referre Iliad. μ, 131 ſqq., ſed imago rei ipſa et in rerum natura et in poetis paſſim eſt obuia; at ornatus verborum notabilis ineſt: *velut cum Alpini Boreae*, ex Alpibus ſpirantes, potentius quam venti omnino, *certant eruere — quercum validam annoſo robore*, h. e. trunco. *it ſtridor* pro ſit. De vv. 445. 446 vide ſup. II Georg. 291, ſunt Homeri ῥίζαι διηνεκεῖς. 448. *curae* ſunt animi aeſtuantis motus; at *lacrimae* Didonis et Annae. cf. Burm.

450—473. Hunc locum facile inter feliciſſimos et elaboratiſſimos referendum eſſe arbitror. Praeſagia illa et oſtenta, ſuperſtitio ad animos graui moerore perculſos tam accommodata, egregie hic commemorantur, temperanter tamen ac pudenter,

Mortem orat; taedet coeli conuexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, turicremis quum dona inponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem. 455

versis casibus vexatus et exercitus *vitae* capiat *taedia tot mala perpessae*, vt apud Tibullum est, III, 2, 7. Enimuero nec tam diutina mala experta erat Dido, et *exterrita* imaginem rei affert multo aptiorem ad faciendam mirationem et ἔκπληξιν. Dicuntur scilicet et illi *exterriti*, qui consternati subito metu vel quouis casu mente deiecti et alienati insaniunt, vel qui, dum insaniunt, monstris ac furiis terrentur. Proprie de armentis vidimus Georg. III, 149, adde ibid. v. 434 et not. ad e. l. De Medea furente Valer. Fl. VIII, 450 *fugit ardentes exterrita tauros*, quos videre sibi videbatur. Etiam proxime ad praesentem Virgil. locum inf. XII, 660 Amata — *dextra Occidit ipsa sua lucemque* exterrita *fugit*. Ita etiam *malis attonita mens*, *malis percussa*, passim dicitur. 451 *connexa* Franc. 452 *lumenque* tert. Rottend., quod et ipsum de *coelo* ac *die* tandemque de *vita* dici solet. 454 *dicto* Gud. a m. pr. v. Burmann. *dictum* fragm. Vatic. 455 *vergere* Zulich. a m. pr.

cum alias poetae in iis luxuriari soleant; multo magis somnia v. 465—468, quae ex recondita hominum graui aerumna afflictorum obseruatione sunt depromta. Nil diuinius illis: *semperque relinqui Sola sibi, semper* etc. Inter aduersae fortunae beneficia referre forte possis et hoc, quod talium rerum ac talium in poetis locorum sensum et dulciorem habeas et altiorem.

450. 451. *satis exterrita*, consternata et mente deiecta malis suis: quae doctius *fata* dixit, quippe iam certa. conf. inf. 464. v. Var. Lect. *orat* exquisitius quam optat, desiderat. *coeli conuexa*, vt sup. Ecl. IV, 50. Primus Cicero in Arateis v. 314 vsum hunc inuexisse videtur; mox placuit Virgilio, Ouidio et aliis.

453 — 455. Inter sacrificandum vidit vinum, in ignem libatum, in sanguinem verti; at quam ornate singula, etiam propriis verbis! *obscenum* de re mali ominis et alibi notatum: Georg. I, 470. Aen. III, 241. *turicremas*

Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niueis et festa fronde reuinctum:
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri, et longas in fletum ducere voces.

456 *non ipsa* Wall. *ipse* Franc. *affata* Ven. *fata* Moret. pr. a m. pr. *sorori est* fragm. Vatic. aliquot Pier. et Dornill., quod et ipse h. l. desiderem, aure iudice. 458 *misero quod* fragm. Vatic. a m. pr. *multo quod* pr. Hamb., sollenni variatione. v. Burm. ad Ouid. II Am. 15, 14. 459 *niueis vel nigris* pr. Hamb. cf. Burm. 460 *gemitus et verba* Seru. ad XII Aen. 638, sed *voces et verba* vsus fert. Illustrat Burm. ad h. l. 462 *Seraque* Nonius in *bubo;* quod epitheton alias in simili re occurrit. *feralia carmina* Gud. a m. pr. 463 *fundere voces* Goth. alter.

aras iam Lucretius dixit II, 743.

456. Ad maiorem horrorem faciendum egregie hic versus comparatus. Nunc demum de Didonis salute desperes. Nam ita humana natura fert, vt in extrema ruens animus, et iam deliberata morte defixus, silentio pertinaciter omnia intra se premat. Vidit iam Trappius, si bene memini.

457 — 461. Hunc locum ante oculos habere debuit Popius in plenissima affectus summi epistola Eloisae v. 307 sqq.. *Templum*, intelligo sacellum Sichaei Manibus dicatum, forte cum eius signo, vt Ouidius expressit Ep. VII, 99. saltem fuit monimentum sepulcrale, quod religionem habuit. Simile Elissae templum memorat Silius I, 81 sqq. *antiqui*, prioris. v. Seru. et Burm. *Velleribus niueis*, infulis ac vittis laneis, quae etiam in monumentis passim marmore exsculpta occurrunt (vid. Passer. Paralip. Dempst. p. 126). *fronde*, sertis. Illustrat Cerda.

462. 3. Plinius X, 12 s. 16. *Bubo funebris, et maxime abominatus, publicis prae-*

Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quaerere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplicis se ostendere Thebas;

464 *piorum* e Medic. aliisque suis et Pier. praetulit Heins. et Aproniani illam lectionem esse, testatur Pompon. Sab. Alteram codd. familiam, qui *priorum* habent, ducit fragm. Vatic. Equidem non perpetuum aliquod et ornans h. l. epitheton requirerem, sed *priorum;* misera regina in animum reuocabat prisca vaticinia, de rerum suarum ac vitae decursu iam olim accepta, quae nunc quidem exitum suum habere videbat. 467 *longam sola i.* pr. Hamburg. 468 *Tyriam — Tyrias — desertas q. terras*, aberrationes librarr. ap. Heins. et Burm. *Teucros* coni. Io. Schraderus in schedis; ingeniose. Nam et hoc poterat per somnum obiici. 469 *demens veluti* lectum ex Pier. patet. Apud Pompon. Sab. nota est: „*Vrbanus legit* anguina serpentum." Sectatus est Grammaticus antiquam formam, *anguen* pro anguis, et legerat: *Eumenidum — videt anguina.* 470 *Per solem* pr. Moret. *se* abest ab edd. Ald. Iunt. *et* deest Goth. tert.

cipue auspiciis, deserta incolit; nec tantum desolata, sed dira etiam et inaccessa; noctis monstrum; nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Ex hoc loco illustra poetam. *Bubo sola* sc. auis, vt Seruius.

465. De arte poetae in somnio hoc commemorando cf. sup. ad v. 450. Nihil ad sensum verius; solent enim, si graui aerumna ad insaniam vsque aestuat animus, obiici eiusmodi somnia: vt per horrendas solitudines, per deserta palatia aut per porticus immensas, sine fine errare nobis videamur. Vrsinus comparat Ennii versus apud Cicer. de Diu. I, 20 *Excita cum tremulis* etc., qui vtique inspiciendi sunt, de simili Iliae somnio.

469. 470. Ex Euripide ductum Bacch. v. 916 sqq.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes:

471 *Agamemnoneis* Wall. *Furiis agitatus* aliquot codd. ap. Pier., quod ex interpretatione profectum et ex lib. III, 331 repetitum facile intelligas. cf. Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. p. 170. Nobilissima in h. l. est emendatio Marklandi ad Statium et in Ep. Crit. p. 127 proposita et ornata: *Poenis agitatus*, id est, a Furiis. Amplectar eam, certe tamquam elegantiorem lectionem, et ipse, si declaratum videro, omnium librorum lectionem habere aliquid, quod poeta indignum sit: *Aut veluti in scena Orestes furit a Furiis exagitatus: cum* etc. Nam *scenis agitatus* iungere, et *omnibus tragoediis notus* accipere quid tandem cogit? Vera ratio est: *velut in scena Orestes* furit (quod ex antecedent. eliciendum), *quum fugit agitatus* m. Nouum hoc fateor, quod ad fabulam tragicam in scena exhibitam prouocat. Quod displicet, forte hoc est, quod in narratione ex prisco aeuo interponitur aliquid moris serioris, quodque adeo mens ab illa illecebra, qua tenebatur, cum Aeneae et Didonis fatis ipsa quasi praesens interesset, reuocatur nunc subito, vt delusam se sentiat. Nec tamen haec in ipsa narratione, sed *in comparatione* interposita sunt. Quidni autem poeta hoc vel ad variandam rerum faciem ausit, qui toties comparationes in hunc modum instituit, vt ex vita communi et vsu hominum aliquid repetat et hac formula vtatur: *vt saepe videmus* etc. Nec hoc adeo idem plane cum eo, quod toties oratores habent: *quemadmodum ille in scena, in fabula* etc. Cic. pro Rosc. Amer. c. 67 *Nolite enim putare*, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, *eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus.* cf. Aeschin. in Timarch. sub f., vnde haec adumbrata. Adde Cic. de Legg. I, 14.

loco sublimi et terroris pleno, vbi contemtor Bacchi Pentheus in vesaniam actus καὶ μὴν ὁρᾷν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, Διοσᾶς δὲ Θήβας, καὶ πόλισμ' ἑπτάστομον. Seruius ad h. v. *Pentheus autem, secundum tragoediam Pacuuii etiam ipse furuit.* Et Pompon. Sab. *apud Pacuvium inducitur Pentheus furens, qui videt duos Soles et duas Thebas.* Pacuuii quidem fabula tali argumento ac nomine alias nota non est, sed *L. Attii Bacchas* memoratas videas, ex Graeco haud dubie illas conuersas. Virgilium exscripsit Seneca Agam. 728 seqq. *agmina E.* dixit vt poeta, agmen Eumenidum.

471 — 473. Orestes Agamemnonis f. Clytaemnestrae

Armatam facibus matrem et ſerpentibus atris
Quum fugit, vltricesque ſedent in limine Dirae.
Ergo, vbi concepit Furias euicta dolore,
Decreuitque mori, tempus ſecum ipſa modumque 475

Scilicet orator excitat locum e tragoedia; at poeta ſcenico apparatu ac theatrali ſpectaculo ad comparationem vtitur. Equidem nihil definire videri volo, ſed tantum dubitare, an Virgilius oratoriam formam retinere maluerit? id quod in multis, inprimis poſterioribus Aeneidis libris, feciſſe eum ſaepe declarabimus; tum alterum eſt, rectene hoc fecerit? Valerii Fl. locum VII, 147 ſqq. ex Euripide, non ex noſtro, eſſe expreſſum manifeſtum eſt. *agitatur* Rottend. alter. Donatum in his conſulere non licet; eſt enim in lib. IV lacuna in eius Commentariis. 473 *Cum videt* Parrhaſ. *Confugit* Hamb. pr. et Rottend. alter. *tum f.* Erf. *diuae* Gud. a m. pr., quod non displicebat Heinſio.

matris Furiis agitatus, dum matrem faces ſibi et ſerpentes intentantem fugiens tecto proſilit, in foribus tecti Furias ſibi occurrere, ſeque adeo vndique terroribus mentis, parricidii in matrem commiſſi conſciae, exagitari videt. Tragoediam poetae ante oculos fuiſſe per ſe patet, et bene Seruius: *A Pacuuio* (puto in *Dulorefte) Oreſtes inducitur, Pyladis admonitu, propter vitandas Furias, ingreſſus* (Delphis id factum intellige) *Apollinis templum; vnde cum vellet exire, inuadebatur a Furiis. Hinc ergo eſt:* Sedent in limine Dirae. Pacuuius igitur (quod et Ennius in Eumenidibus fecit. v. Columna ad Enn. Fragm. p. 251) Aeſchyli Eumenides, quodammodo ſaltem, expreſſerat. Nam aliter rem ornauit, dum Oreſtem furentem exhibet, Euripides in Oreſt. v. 255 ſqq. Iphig. in Taur. 283 et al., aliter poſt iſtas Racinius ſub fin. Andromachae. Caetera ſic expedienda: *aut velut in ſcena Oreſtes furit a Furiis exagitatus, cum fugit m.* etc. cf. Var. Lect.

474—477. Exquiſita cum arte etiam hoc ex indole ac more hominum, qui extrema animo agitant, vt conſilium ſuum diſſimulent. *euicta*, vt

Exigit, et, maeſtam dictis adgreſſa ſororem,
Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat:
Inueni, germana, viam (gratare ſorori),

476 *ac m.* Medic. *fictis aggreſſa* Gud. a m. pr. et Menag. pr. pro var. lect. cum Exc. Burm. *d. affata* alter Menag. et pr. Hamb. a m. ſec. 477 *et ſpem* Parrhaſ. *fronte ſerena* coni. Heinſ. Sed v. notam.

poeta, pro ſimplici *victa* dixit. *exigit* bene pro conſtituit, quod ſit re exacta ac deliberata. *ſpem fronte ſerenat*, exquiſitius quam frontem ſerenat, et explicat, ſpe noua ac meliore concepta vel oſtenſa; hoc transfertur ad ipſam ſpem, quae ſerenior et laetior affulgere poteſt; adeoque Dido ſpem ſerenat, ſereniorem ac laetiorem oſtendit vultu. Vt *ſpem vultu ſimulat*, lib. I, 209. Propius ad vulgarem modum Silius: *triſtia fronte ſerenat* XI, 369. *ſpem fronte ſerenans* ex Virgilio ſumſit Nemeſian. Ecl. IV, 17.

478 ſqq. Simulat Dido, ſe parare ſacrum magicum, quo aut Aeneas iterum amori illigetur, aut ipſa amore ſoluatur. Eſt adeo ſacrum, quale in Ecloga VIII vidimus. In toto hoc commento tam operoſe adornando et inſtruendo haec reſpexiſſe videri debet Dido, vt, ſacrificio arcano parando, quo arbitris remotis ſola operaretur, ad mortem ſibi inferendam opportunitatem, ſilentium et ſolitudinem, haberet. Sed et illud furorem miſere amantis arguit, quod veſtes Aeneae et torum coniugalem ſecum comburi vult (inf. 495 ſq.), quodque Aeneae gladio in ſe iugulando vtitur. Quae a v. 504 ſqq. — 521 narrantur, ad praeparandum et auſpicandum ſacrum pertinere puta. Namque ipſum ſacrum non niſi a v. 630 ſqq. peragitur; trahebat ac differebat illud ſacrum ſuamque mortem regina, quamdiu Aeneas praeſens erat. Tenenda haec, vt de ſumma et libri et narrationis conſtet. Quod ſacerdotem arcani ſacri ab Heſperidum hortis aduocat, mirum videri poteſt, niſi forte Apollonii Medea, ad cuius amorem Didonis amor in Aeneam accommodatus eſt a poeta, etiam hunc hortum cum dra-

Quae mihi reddat eum, vel eo me ſoluat amantem.
Oceani finem iuxta, ſolemque cadentem,
Vltimus Aethiopum locus eſt, vbi maxumus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum:

479 *reddet — ſoluet* oblongus Vatic. Pierii; *reddat — ſoluet* Longob. eiusdem. *ſoluit* Wall. a m. pr. *reddet* et *abſoluet* alter Menag. et Witt. *vel quae me ſoluat* Franc. et Goth. tert. Sed vulgatam etiam Donatus et Lutatius agnoſcunt. v. Burm. 482 *actum* volebat Voſſius; at v. Burmann. h. l. et vid. notam.

cone ſacrisque magicis lib. IV, 109 ſqq. accurate deſcriptis in poetae ingenio ſeuit et inſtruxit. Certe v. 484—486 a Medeae exemplo petiti ſunt, Apollon. III, 530 ſqq. Enimvero tenendum praeterea eſt hoc, extremam illam Africae h. e. occidentalem plagam antiquiſſimorum poetarum fabulis eſſe celebratam; nec modo Solis, Noctis, Mortis, Inferorum, Tartari, Elyſiorum conſinia aut ſedes in Oceano conſtitui ſolitas, verum in continente quoque Atlantis, Gorgonum et Heſperidum fabulas: de his actum erat inprimis in carminibus de Perſeo, Hercule, Argonautis. v. Notas ad Apollod. pag. 296 ſq. add. pag. 386 ſq. 406 ſq. 423 ſq. Accommodatiſſima igitur poetae conſilio et hic fuit illa terra fabulis celebrata, inprimis in narratione, quae ad Africam ſpectaret.

480 — 484. Comparant Homericum ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας, Iliad. α, 423, nec tamen id niſi ad hoc vnum valet, quod extremum Africae littus *Aethiopiam* nominat, et h. l. quidem occidentale, quae proprie Mauretania eſt. De Atlante ſup. v. 247. v. ad I, 741, et Not. ad Apollod. p. 681 et alibi. 482. *torquet* ornatius quam coelum ſuſtinet; motu ſimul coeli diurno expreſſo; praeeunte Ennio ap. Macrob. VI, 1 *Qui coelum verſat ſtelleis fulgentibus aptum.* cf. Columna ad Ennii fragm. p. 45. *aptum ſtellis*, exquiſite; vulgari loquendi modo ſtellae coelo aptae, h. e. affixae ſunt; tum et ipſum coelum adfixum et ap-

Hinc mihi Maſſylae gentis monſtrata ſacerdos,
Heſperidum templi cuſtos, epulasque draconi
Quae dabat, et ſacros ſeruabat in arbore ramos, 485

483 *Hic* Montalb. et ed. Ven. Mox *Maſſyliae*, *Maſſilio*, *Maſſiliae*, *Maſſaliae*, *Maſſillae*, *Maſſile* aberrant librarii ap. Burm. et Pier. 485 *in ſacros* alter Menag. *ſacra ſ. in arbore* tert. Rottend. a m. pr. Requires forte *dat* et *ſeruat*; ſed retulit poeta ad *monſtrata eſt*, quae *dabat*, pro altero *daret*. Nam conſequutionem temporum poeta negligit, vt monitum ad I, 706.

tum, alligatum ſtellis, h. e. diſtinctum. Quod vero ex Mauretania excitatam anum tamen 483. *Maſſylae gentis* facit, eamque *Heſperidum hortis* praeficit cuſtodem, ne in eo poeta licenter in minus noti ſitus populis verſatus dicendus ſit, ita potius videtur accipiendum, vt *Maſſylam* anum ſolito more poeta omnino pro Libyca dixerit, certo nomine pro indefinito poſito. *Maſſylam Euantem* ex noſtro petiit Silius I, 101. *Heſperidum* autem *hortos* communi poetarum opinione intra Cyrenaicae fines poſitos in Mauretaniam ad Atlantis montis radices remouit, quandoquidem antiquiores diuerſe de eorum ſitu tradiderant. Heſiodus quidem πέρην κλυτῆς Ὠκεανοῖο eos collocauerat Theog. 215. Alii aliter. v. ap. Plin. VI, 31 ſ. 36, qui alio loco lib. V pr. et XIX, 4 ſ. 22, apud Lixum, Mauretaniae ea in Atlantici maris ora vrbs eſt, Heſperidum hortos collocat; ad *montem Atlantem* etiam Hygin. f. XXX f., vbi v. Intpp. inprimis Salmaſ. in Solin. pag. 264 ſqq. et nuper actum de his ad Apollod. II, 5, 11 Not. p. 406 ſqq. 485. *ſacros in arbore ramos*, ſc. cum pomis aureis ramos, quos Veneri ſacros fuiſſe Seruius narrat; alii Terrae munus poma aurea tradiderant; v. Not. ad Apollod. p. 410. 411. Certe violari eos nefas erat. Narrat autem poeta, ſi non ipſas Heſperidas deas, hortos tamen earum, quos *templum* appellat, tamquam locum iis ſacrum, illo adhuc tempore ſuperfuiſſe, iisque praefuiſſe ſacerdotem feminam. cf. Exc. IV ad h. l.

Spargens humida mella soporiferumque papauer.
Haec se carminibus promittit soluere mentis,
Quas velit; ast aliis duras inmittere curas;

486 Waddel. iam Burm. laudatus coni. *arcens*. Aut *spargens* accipiebat amouens ex horto, ne draco gustaret et in soporem incideret. Ita ille cum aliis de interpretatione laborabat, et ipse Burmannus. Io. Schraderus in schedis, vbi multa tentauerat, versum damnat et eiicit; at v. Notam. *soporiferumue* multi ap. Burm. 488 *Quis* Goth. alter, an vt sit pro *Quibus?* Cuningh. coni. *innectere*, cum praecedat *soluere*. Temere. Quidni enim poeta variet orationem!

486. Sic inf. VI, 420 Sibylla Cerbero *Melle soporatam et medicatis frugibus offam Obiicit:* verum ibi ad soporem inmittendum. Nunc tantum pro offa ac cibo offertur μάζα, placenta mellita, aut, si proprie dicta accipimus, mel liquidum cum papauere. Mella aut placentas mellitas serpentibus sacris apponi, haud mirum; nam si in templis seruare serpentes sacros placuerat, necesse erat iis cibum praebere. Neque quicquam amplius in eo ritu quaeram; neque tum, si ipsa Dea Salus simili more serpentem e patera pascit. „*Incongrue*, iam Seruius monuit, „*videtur positum, vt soporifera species* (papauer) „*peruigili detur Draconi.*“ Multa ad defendendum poetam et ibi et passim alibi afferunt Intpp. v. Cerda. Excidisse hoc poetae, vt credam facile adducor; quippe qui non meminisset offas papauere aliisue soporiferis succis conditas draconibus apud veteres obiici tum, cum somno illi opprimendi sunt. Nec tamen adeo absurdum, cum melle antiquitas in quotidiano victu vteretur, et papaver certe posterior Graecia in deliciis haberet, cibum serpenti, lautiorem et dulciorem, inde paratum dici, vt pascatur ille offis mellitis papauere mixtis; vt *soporiferum* tantum ornet. *spargens*, miscens, *Seru.*; h. e. obiiciens, praebens, apponens. Nihil amplius; nisi quod vt poeta docte loqui maluit.

487—491. Sollennia haec de artibus magicis ad fastidium repetita a poetis. Vid. ad Ecl. VIII, 69. Similem locum v. in Tibullo I, 2, 59.

Sistere aquam fluuiis, et vertere sidera retro;
Nocturnosque ciet Manis; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas inuitam adcingier artis.

489 *conuertere sidera* alter Hamburg. 490 *mouet manes* multi ap. Pier. et Burm. ex glossemate. *vetet* Exc. Burm. a m. pr. *mouit* cum altera lectione, a correctrice manu Fragm. Vatic. 493 *accingere* alter Hamb.

60 et 43 sqq. *curas* et hic de amore. *soluere* animos, proprium hac in re, vt *defigere*. Referuntur enim in re magica ea, quae ad amorem spectant, ad notionem illigandi et soluendi; vti omnino in superstitionibus astrologicis, reliquisque diuinationum generibus, pleraeque praestigiae allegorici tropicique generis sunt. *vertere sidera retro*, cursum astrorum mutare, errantium inprimis, vid. Seru. Tum illa euocat Manes sacris *noctu* ex more factis. *videbis*, vulgo videas; vt sup. v. 401 *Migrantes cernas*. Inuertit poeta orationem, cum sequi deberet: illa motus terrae facit et siluas in alium locum transfert.

492. 493. Sui aeui rationem in hoc habet poeta, quod Dido excusationem quaerit, dum magicis artibus vtitur. Bene Seruius: „cum multa sacra susciperent Romani, *magica* semper damnarunt.“ Quaeri tamen potest, quibusnam legibus id factum sit? Forte iam ipsis XII Tabb., e quibus memoratur: *qui fruges excantasit;* et: *Qui malum carmen incantasit:* Plinius XXVIII, 2, s. 4 poena parricidii proposita (v. LL., tab. VIII). Fuere postea quaestiones venefícii e lege: referebantur ad illud quoque incantationes: sed *mala* tantum *carmina:* quandoquidem et *bona* haberi credebantur. Inter principes alii fuere leniores, alii seueriores. Media etiam est constitutio Constantini M. de artibus magicis: sed grauissima Imp. Constantii a. C. 357 et Valentiniani. v. Cod. Theod. tit. de Maleficiis et ibi Go-

Tu ſecreta pyram tecto interiore ſub auras
Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
Inpius, exuuiasque omnis, lectumque iugalem,
Quo perii, ſuperinponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iubet monſtratque ſacerdos.

494 *Tunc — locauit* Cariſius laudat. *Tu, Germana* Doruill. 495 *in thalamo* Leid. 496 *que* abeſt ab aliquot Pier. et binis Burm. *exuuiisque* Sprot. 497 *ſuperimpones* Franc. *ſuperimponant* Fragm. Vatic. Medic. a m. pr. cum aliis Pier. *ſuperimpone* alii Pier. *nefanda* ed. Ven. 498 *momenta* Ven. *monimenta* plerique. *iuuat* magnus codd. numerus ap. Pier. et Heinſ., quibus adde fragm. Vatic.; itaque Burmannus recepit. Alii, nec minus multi, *iubet*, quae Aproniana lectio eſſe videtur; nam in Mediceo in litura ſcriptum videas; quamquam ex pronuntiatione *iubat* orta eſſe videri poteſt. Dignitatem tamen maiorem habet *iubet monſtratque*. Vtrumque de diis et vatibus ſollenne. Itaque equidem cum Pierio *iubet* retinere malim; ſi poeta quidem ita ſcripſiſſe videri poteſt, vt ſcribere debuit. Nec Brunckium id facere audentem hac editione deferere volui.

thofr. (lib. IX, t. 16, 3. 5 et 11). A Didonis tempore ac more iſta cura ac cautio aliena. Nec Homerum, ſi ea attigiſſet, ea excuſatione vſurum fuiſſe credere licet.

494 — 498. *ſecreta*, ſecreto. Hoc iam notum eſſe debet. *tecto interiore*, Romanus impluuium diceret; *ſub auras*, ſub diuo. conf. Burm. Penetralia haec domus Didonis in templum Eliſſae mutauit Silius I, 81 ſqq., vbi plura ex h. l. adumbrata. 495. *arma relicta* idem Burmann. de enſe pro munere ab Aenea Didoni dato accipere iubet: non male. v. 507. *enſem relictum* et 647. *enſem quaeſitum*, acceptum, memorat. *exuuias* vid. inf. 648. 651. Scilicet in ſacris magicis amoris extinguendi cauſſa abolentur ea, quae perfidi amantis contactu ſe commendare poterant; vt contra in reuocando amatore ſub limine ea condi vidimus Ecl. VIII, 91. *quo perii* cum dilectu poſita vox, et cum pudore.

Haec effata silet; pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna nouis praetexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut grauiora timet, quam morte Sychaei.
Ergo iussa parat.

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, taedis atque ilice secta,

499 *inficit ora* nonnulli ap. Pierium, ex Horat. Epod. 7 putat Burm. 500 *Nec tamen* Zulich. *Haec* Hugen. *protexere* Medic. a m. pr. *munera* alter Menag. 502 *Concipere* Vir doctus (fuit is I. Iortin: v. *Tracts* Tom. II. p. 473) coni. ap. Burm., nec male; etsi eo carere possumus. *haud* vel *haut* aliquot ap. Pier. et Burm. et Goth. alter. *Sichaei* edd. sup., etiam Burm. cf. ad I, 343. 503 *iussa implet* vnus Guelph. *facit* alter in Exc. Sax. 505 *tectis atque* Goth. sec.

499. Ex intima arte et humanae mentis recessibus huius versus sententia depromta. *Pallor* ex conscientia cogitatae mortis. *Seru.*

500—503. Annae omnino fidem et beneuolentiam maiorem tribuit, quam ingenii sagacitatem. Itaque et haec recte. *nouis praetexere funera sacris*, exquisitior ratio quam communis: *noua sacra*, insolitam religionem ac sacrificium, praetexere *funeribus*, funeri, h. e. morti obtendere, sacrum per simulationem instruere, eoque consilium mortis occultare. cf. sup. 172; nec illa mente concipit, Didonem in animo habere tam insanum mortis sibi conscifcendae consilium. cf. Burm.

504—508. Exsoluere se amore vult Dido sacris magicis: in quibus, vt modo dixi, illud inprimis factu opus erat, vt flamma abolerentur priscae consuetudinis monumenta. ad sacrum spectant arae; ambiguum est, quo loco pyra habenda sit. Ex consilio, quod dissimulat, et ex euentu, fuit rogus Didonis; quatenus tamen nunc sacrum magicum paratur, aut simpliciter lignorum strues est ad abolendas amatoris exuvias, aut arae genus, cui pro victimis caesis imponun-

Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funerea; super, exuuias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.

507 *funesta* labens memoria citat Lutat. ad Stat. IV Theb. 460.

tur istae exuuiae. In sacris magicis scrobs fieri solitus erat, quo *lignorum strues* cumulabatur. vide v. c. Orphei Argonaut. 948. 968 sqq. et primo loco Odyss. λ, 25. βόθρον ὄρυξα. In eandem foueam victimarum caesarum sanguis demittebatur. Erat enim illa pro *ara*, ἐσχάρᾳ. conf. Statium Theb. IV, 451. 455 sqq., qui ex parte hunc locum ante oculos habuit. Scrobis h. l. nulla sit mentio, exstruitur tamen lignorum strue rogus, qui pro ara esse videtur; etsi mox verus rogus futurus, in quo Dido comburenda erat. Nunc illi rogo, illi *pyrae*, pro victimis cremandis, imponuntur vestes et omnes reliquiae e pristina consuetudine amatoris, cuius amore Dido liberari cupit, cum ipsa effigie Aeneae. At eriguntur arae circa pyram, ad quas illa sacrum factura erat victimis v. 635 sqq. 506. *intendit locum*, pyram, *sertis*, exquisitius et hoc quam vulgare, *intendit serta per locum*, quod sup. II, 236 occurrebat: *vincula collo Intendunt*. Quam non inutile sit, talia monere, discas, si Burmanni notam compares. Nolim autem ex h. l. probare, rogos sertis ornari solitos fuisse. Nam h. l. pyra, tamquam ara, corollis cingitur. Sup. Ecl. VIII, 64. *molli cinge haec altaria vitta. fronde funerea*, cupresso, inquit Servius, aut potius arborum frondes intellige, quarum in sacris magicis vsus erat. Nam de funere poeta tantum ex euentu rem interpretatur. Pyrae imponit Dido ea, quae contactum corporis Aeneae senserant, vestimenta, tum ensem, et torum coniugalem, (inf. 648. *notum cubile*) et in hoc *effigiem*, puta ceream, quae in talibus sacris igne liquefacta efficere debebat, aut vt ipse amator simili modo amore liquesceret ac contabesceret: vt Ecl. VIII, 80. aut vt perfidiam misera morte lueret: Quemadmodum effluuiae corporis vestimentis inhaerentes ad philtrum pa-

Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.
Sparserat et latices simulatos fontis Auerni;
Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aenis

509 *crinis passa* pr. Hamb. e glossa. 510 *Ter centum*, divisim, vt sit *ter tonat centum deos*, scribunt alii codd. et edd. ap. Burm. *fonat* Hamb. pr. Praeferas facile vulgatum in vtroque loco. Sunt trecenti dii. 511 *que* abest a tribus Burm. *ter virginis* sec. Rottend., male. 513 *F. ad lunam et messe* Franc. *aheneis* scribunt codd. ap. Pier., male; nam et altera forma vsitata: *aenus*.

randum adhibebantur; At h. l. ad amorem extinguendum.

509—511. *sacerdos* (Massyla illa sup. v. 483). *tonat*, invocat (*vocat* Silius I, 94, vbi hunc locum transtulit) deos inferos, longo ordine eorum nomina recitans, qui in his sacris (exemplum in ipsa Medea v. in Ouid. Met. VII, 192 sqq.) mos erat, omninoque in hymnis veterum et formulis sacris. Etiam hoc ex more, quod eiusdem numinis plura nomina recitantur, ad vires et potestates numinis diuersas declarandas, vt eadem *Hecate triceps* τρισσοκέφαλος in Orph. Argon. 974 (vbi facile apparet leg. τρισσοκάρηνος) etiam *Diana* est τριπρόσωπος *triplex, triformis*, τρίμορφος. conf. Cerda et Vrsin. Pro *Dianae virgo tria ora habens* doctius posuit alterum poeta. Quod autem Maura anus nomina deorum graeca pronuntiat, id, communi Romanorum more apud poetas et historicos receptum, qui aut barbarorum religiones suis nominibus interpretantur, aut barbaris suas religiones tribuere solent, vitio verti poetae nequit. (Minus bene Burmannus rem expedire videtur.)

512—516. Effunditur, in rogum an in aras, aqua, quae e Styge petita esse videri debebat. *simulatos*, proprie h. l. cf. III, 302. 349, quos fingebat *auernales* (vt Horat. Epod. V, 26) et ex locis inferis petitos esse. Superstí-

Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni;
Quaeritur et nascentis equi de fronte reuolsus,
Et matri praereptus, amor.
Ipsa, mola manibusque piis, altaria iuxta,
Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta,

516 *praeruptus* aliquot libri ap. Burm. cum Schol. Lucani et Grammatico, auctore Medeae in Anthol. Lat. p. 180, vbi v. Burm. Sec. *praeceptus* vel *perruptus* Hugen. Sed damnat eam lectionem ratio et Plinii locus in nota laudatus. 517 *molam* Medic., sed expuncta littera, et Montalb. *salibusque piis* coni. in schedis Io. Schrader. 518 *et veste r.* aliquot Pier. Goth. pr. cum Hugen. cf. Burm.

tiones magicas diserte enarrare nihil attinet; vide vel Cerdam. Inerat iis lusus aliquis a similitudine rerum, plerumque allegorice, petitus: vt in ligando aut soluendo amore. Aeris proprius in re magica vsus. *Aeneam falcem* ab Sophocle habere Virgilium, volebat Macrob. V, 19, quem vide. *pubentes herbae.* vid. Georg. III, 126, in Var. lect. χνοάζουσαι, h. e. lanuginosae, *nigri cum lacte veneni,* int. succos venenatos herbarum vel seminum. *et nascentis equi de fronte reuolsus amor:* Hippomanes. Nota res. v. Aristot. VI H. Anim. 22. VIII, 24. Aelian. XIV H. Anim. 18, et plura ap. Cerdam, et sup. nota ad Georg. III, 280. Sed ad illustrandum poetam Plinii locus sufficit VIII, 42 s. 66. *Et sane equis amoris innasci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, caricae magnitudine, colore nigro: quod statim edito partu deuorat feta, aut partum ad vbera non admittit. Si quis praereptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur.* Vides poetae verba: *et matri praereptus amor,* h. e. quod amorem conciliat, philtrum, caruncula, quae in philtrum adhiberi potest, praereptum, antequam equa feta deuorauerit.

517—521. *mola manibusque piis,* Seruius: „farre et sale — *et manibus puris.*“ Sane *pius* commune ac perpetuum epitheton in sacris: inf. 637 *pia vitta;* sequentia docent esse manus pie

Teſtatur moritura deos, et conſcia fati
Sidera; tum, ſi quod non aequo foedere amantis
Curae numen habet iuſtumque memorque, precatur.
Nox erat, et placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſiluaeque et ſaeua quierant
Aequora: quum medio voluuntur ſidera lapſu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres,

520 *ſi quid* Leid. vn. a m. pr. et duo Goth., male. 521 *ſanctumque m.* Parrhaſ. 522 *placitum* alter Hamb. *placidam — quietem* alter Menag. *placidam c. membra quietem* ap. Seru. ad I Aen. 388. cf. ibid. 691. 523 *quierunt* tres ap. Burm.

precantis, mola ſalſa in ignem conjecta, ad coelum ſublatas. *Vnum exuta pedem vinclis*, vnum pedem habens nudum, ad religionem pertinere debuit. Inter plura, quae Intpp. afferunt, vnus Artemidori locus huc facit lib. IV, 67. Sed occurrit eadem res in ſignis veterum; et in Etruſcis ſimile quid obſeruare memini Paſſerium *Paralip. Dempſt.* p. 102. cf. eund. *ad Vaſa Etruſca* Tom. I, p. 67. *veſte recincta*, ſoluta zona; nota res. cf. Ouidii locum ex Virgilio expreſſum Met. VII, 179 ſq. 182 ſqq. *conſcia fati Sidera* obteſtatur, vt ſup. 167, *conſcius aether*, quae ſe morti imminentem adſpicerent; non autem reſpectu fatorum per ſidus natale conſtitutum. *tum numen precatur, ſi quod habet curae amantes non aequo foedere* h. e. eorum, qui mutuo amore non amantur. Erunt in his inprimis Iuno, Diana, Venus, habendae. Verbo: omnia eo ſpectant, vt ipſa amore ſoluatur.

522—528. Suauiſſima noctis deſcriptio, quae ipſam rerum quietem ſpirare videtur; hoc tamen inprimis laudanda, quod, cum ſaepe in ea et alii poetae laborauerint, huic inprimis loco illa conuenientiſſima eſt, vt poſt illos in ſu-

Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti.
Lenibant curas, et corda oblita laborum.

526 *dumos* Montalb., vnde Heins. *dumo*, Goth. sec. *dumi*; virumque vitium scribentis. 527 *Rura tacent* Sprot. 528 Deficit versus in Medic. aliisque praestantioribus exemplaribus; vt vulgares taceam. Etiam Erf.; et sane melius eo caret sententia. Pendent enim superiora a verbis *Quum tacet ager*, et *quum tacent pecudes volucresque — sopitae*. Conflatus videri potest versus ex lib. IX, 224. 225. Adnotauit quoque Pompon. Sab., hunc versum non legi ab Aproniano. Est autem ex eius recensione lectio Codicis Medicei. Quam diuersis simus omnes sensibus ac iudiciis, et quam alienum ab his studiis, quae quanta quanta sunt in probabilitate versantur, sit, ex edicto et cum supercilio aliquid pronuntiare, vel hic locus docere potest, in quo nobis quidem in oculos incurrere videbatur, versum hunc iugulare sententiam, structuram euertere, et neruos orationis praecidere. At Brunckius, qui tam procliui studio ad rescindendos versus fertur, miratur Heinsio addititium eum videri potuisse: „Est profecto, pergit, tam a Virgilii manu, quam quiuis alius e laudatissimis. Absque eo manca et mutila videretur pulcerrima haec noctis descriptio, quae sic in participium *positae* desineret, sine verbo finito, et suspenso sensu.“ Sed tota nota digna est quae inspiciatur.

periore loco prodigiorum et sacri magici terrores nunc animum diuerso modo afficiat, vtque delinitum hac suavitate animum legentis miserae Didonis summus mox a v. 529 amoris aestus animique cruciatus tanto magis percellant. Iam Ios. Wartonus hoc obseruauit; et hoc monere voluit Seruius ad v. 522: *Protenditur ista descriptio ad exaggerationem vigiliarum Didonis.* Nec tamen hac in re inuenti laudem habet Virgilius, sed iudicii tantum et elocutionis in exprimendo Apollonio Rhodio III, 743 sqq. Νύξ μεν ἔπειτ' etc. cf. et IV, 1058 sqq., quem iam ante Virgilium conuerterat Varro Atacinus; cuius versus v. apud Senecam Controuers. XVI extr. Vix me teneo, quin loca adscribam; sed breuitati studendum est. Similem, aliter tamen adornatam noctis descriptionem videbimus lib. VIII, 26. Similia etiam nonnulla sunt in Theocr. Id. 2, 38 sq., sed in re prorsus di-

At non infelix animi Phoeniſſa, neque vmquam
Soluitur in ſomnos, oculisue aut pectore noctem
Adcipit: ingeminant curae; rurſusque reſurgens
Saeuit amor, magnoque irarum fluctuat aeſtu.
Sic adeo inſiſtit, ſecumque ita corde volutat:
En, quid ago? rurſusne procos inriſa priores

529 *Phoenixa, vel* Doruill. 530 *ve* abeſt a Ven. *que* duo Burm. 532 *magno curarum* qu. Moret. ex lib. VIII, 19, at v. inf. 564. 533 *voluptat* Doruill. etiam alibi. 534 *Heu quid agam* Donatus videtur agnoſcere ad Terent. v. Heinſ. et Burmann. *quid ego* Oudart. *agam* Seruius cum codicum parte et edd. Iunt. aliisque.

verſa. Noctis ſilentia miram ſuauitatem habent: *ſiluae et aequora quierant*, ceſſante ſub noctem vento. Non aliter. cf. Trapp. *feſſa corpora*, docte, homines, niſi omnino animantia malis. *medio voluuntur ſidera lapſu*, curſu per mediam coeli partem; ad rudes hominum ſenſus. *medium curſum tenent*, bene Seru. vid. Excurſ. ad II, 9. *poſitae*, compoſitae, quieſcentes, ſopitae.

529 ſqq. Eadem antitheſis ex Iliad. β, pr. κ, pr. ω, 677 notata a viris doctis, et hinc paſſim ab aliis alia. cf. etiam Theocr. 2, 38. *At non* ſcil. carpit ſoporem, ἀντεῖ. *Solvitur in ſ.* exquiſite pro ſolui ſomno, quiete. *noctem* pro quiete noctis ac ſomno dixit. 531. *Ingeminant curae*, vtpote in noctis ſolitudine.

533 ſqq. cf. Eurip. Medea 502 ſqq. *inſiſtit* mente et cogitatione, vt ſit: ita apud ſe cogitat; ſcilicet, quid nunc ſibi agendum ſit. Oratorie pathos in his Didonis verbis tractatum, facile noſtrum quisque per ſe intelligit. Confer, ſi vis, Scalig. in Poetic. et Cerd. ad h. l. *irriſa*, vt irridear; epitheton ab effectu rei ex more poetarum. cf. Erneſti ad Callim. in Del. 117. *procos et Nomadum* v. ſup. v. 36. 37. *vltima Teucrum Iuſſa*, explicant, ſuprema; minus bene, puto; nam ieiunum hoc; ſaepe *vltima* ſunt, quae infima ſunt; vt in

Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex, 535
Quos ego ſim toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſis, atque vltima Teucrum
Iuſſa, ſequar? quiane auxilio iuuat ante leuatos,
Aut bene apud memores veteris ſtat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, ſinet? ratibusue ſuperbis 540

535 *Nomadum* v. ſup. ad 320. *ſequar* c. Doruill. et plerique libri Pier. 536 *ſim* Heinſ. poſt Pier. ex melioribus et meliori loquendi ratione (ſi modo poeta eam ſequi voluit: cf. ad 485. I, 706): Eſt enim pro, *cum ego ſim*. Vulgo *ſum*. 537 *iterum cl.* ſec. Rottend. *et ego cl.* pr. Hamb. 538 *auxilium iuuat* coni. Heumanni, quam refellit Burm. ad h. l. *exſilio* aliquot ap. Pier. 539 *Aut bene* nonnulli Heinſ. et Burm. cum Goth. tert. Vulgo: *Et bene*. Eſt hoc inter ſexcenta a Burmanno mutata, vbi nil referebat, hocne an altero modo legeretur. Malim vtique intacta ea eſſe relicta. Nunc tamen ea iterum mutare velle, multo magis importunum eſſet et nouas turbas inferret. *at* Sprot. et Doruill., hoc non male. *ſit gratia* Menag. pr., vnde *ſit* fecerat Heinſius. 540 *ſinat* alter Hamb. ex Exc. Burm. a m. pr. *ratibusque* Goth. pr. et ſic Medic. cum plerisque Heinſ. et Burm. *ratibusne* Parrhaſ., quod Brunck. recepit, tamquam vnice verum; equidem et *ne* ferri poſſe video, et *ne* accommodatum eſſe; poteſt enim ſententia verſus et hoc et illo modo pronuntiari. *ſuperbus* ed. Ven., non male. Sed alterum magis poeticum.

illo Horatii: *non vltima laus eſt;* ergo nunc *vltima iuſſa*, ſunt, infimi generis hominibus dari ſolita; vt altero loco Seruius, deterrima; accommodatiſſimo epitheto ad indignationem et odium, quaſi expectandum ſibi ſit, vt infimo loco habeatur, vtque ſibi tamquam caloni alicui indigniſſima quaeque imperentur. Bene Pompon. Sab. „puta quod loquatur ad miſeserationem, quaſi quod, ſi „nauiget cum Troianis, ſit „futura ſerua.“ 538. *quaſi vero hoc iuuet*, et quicquam eo profecerim, quod ipſis ante auxilio fuerim, ſc. e naufragio eos excipiendo. *ſinet* ſc. me ſequi claſſem; in ſqq. 540—543 verborum dilec-

Inuisam' adcipiet? nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ouantis?
An, Tyriis omnique manu stipata meorum,
Inferar? et, quos Sidonia vix vrbe reuelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela iubebo?
Quin morere, vt merita es; ferroque auerte dolorem.
Tu, lacrimis euicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque obiicis hosti.

541 *Inuisam* post Pierium Heins. reuocauit e melioribus codd. et ratione idonea. Vulgo *Irrisam*, quod praecesserat v. 534. Vtrumque etiam Seruius agnoscit. 542 *Laum.* vel *Laomeduntеae, Laomedontiadae* aberratio Codd. *gentis p. sentis* Doruill. 543 *Quid cum* Doruill. *comitabar* tert. Rottend. *comitata* pr. Hamb. *euntes* nonnulli Pier., sed *ouantes* est ornatius haud dubie. cf. sup. v. 418. 545 *Inferar* post Pier. e Codd. praetulit Heins., recte sane, tamquam quod exquisitius dictum esset. cf. inf. X, 576. I, 439. Vulgo *Insequar*. Seruius vtrumque laudat. *Inferor* pr. Hamb. *vix S. ab vrbe* Parrhas. *reuulsi* Wall. 546 *in ventis* Sprot. *videbo* duo Burm. cum Goth. sec. ex more aberrantes. 547 *abrumpe d.* pro diu. lect. tert. Rottend., quod sane vsitatius, idemque potentius; sed alterum a vulgari remotius. 548 Diuersam hic Vrbani Grammatici interpunctionem narrat Seruius et ex eo Pompon. Sab., quae talis fuisse videtur, vt *Tu lacrimis euicta meis* sc. *es*, sententiam finiret. 549 *obiicit* Reg.

tum obserua. Troianos quasi perfidia et periurio infames a Laomedonte denominat, cuius periuria in Neptunum et Apollinem, mox in Herculem, nota sunt. Locus class. Iliad. Φ, 442 sqq. 543. *ouantes*, laetantes; inuidiose et hoc. Vidimus sup. 294. 295. Troianos laetos imperio discessum parasse. 545. *Inferar*, sequar? v. Var. Lect. quos paullo ante a Tyro excitaui, iterum nauibus conscensis, maritimis cursibus errare faciam? sc. vt cum Troianis in Italia confidant. 548. 549. Quod ipsam sororem amantissimam accusat, summum affectum arguit, quo

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam 550
Degere, more ferae, talis nec tangere curas!
Non seruata fides, cineri promissa Sychaeo!
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.

550 *expertam* aliquot Pier. et Burm., sollenni errore. 551 *fere* in multis; sensum probabilem inde elicere studet Burmannus; Idem coni. *more meo*. Waddel. apud eund. *more fero;* sed omnia frustra. v. Not. Agnoscit ac tuetur lectionem librorum Quinctil. IX, 2, 64. Hoc illud est, quod toties in re critica bilem mouet, cum magno conatu multa mouent viri docti, vt sub finem subiiciendum sit: *sed sana vulgata*. Si tuo ipsius iudicio sana erat, cur operose tentabas? *ferae* Aproniani lectionem esse obseruat Pompon. Sab. *non tales* alter Mentel. 552 *Non cineri s. fides* Seru. sup. ad v. 52. *Sichaei* Medic. (hoc est, quod Pompon. Sab. habet: *Sic legit Apronianus)* cum aliis Pier. Heins. et vno Burm. Sed *Sychaeo* est pro *Sychaeio*, noto more poetarum, primitiuum pro deducto: vt *Romula tellus;* et apud Tragicos Graecos infinita. Sic *laticem Lyaeum* I, 686 vidimus; sic *Lenaeum honorem* sup. v. 207. De scriptura *Sychaeo* v. sup. ad I, 343. 553 *fundebat* pr. Hamb. pro var. lect., at recte *rumpebat* vt sup. II, 129, h. e. emittebat; proprie cum vi et impetu. Post hunc versum in Vratisl. legebatur: *Thuraque magnorum longe dat iussa deorum. Huic*

etiam in carissimos iniurii esse solemus: tu, o soror, permota lacrimis meis (v. sup. v. 30), tu prima me in haec mala impulisti et Aeneae obiecisti, homini in meum exitium facto. 551. *more ferae*, at quam paruum hoc, vt saltem ferino more seclusam a iucunda societatis coniunctione, solam et hominum adeoque et virorum commercia fugientem, viuere licuisset! Nihil amplius in sententiam est assumendum, quam abhorrens ab humaniore cum aliis consuetudine ac consortio natura. Seruius ad Lynces referebat, et ex Plinii H. N. locum laudabat: *Lyncas post amissas coniuges aliis non iungi*. Quinctil. l. c. IX, 2, 64 de matrimonio iusto acceperat, a quo alienae sunt ferae. *nec tangere*, attingere, sentire, *tales curas*, dolores animi! 552. *Non seruata* est, non seruare licuit fidem etc. *cineri Sychaeo* h. e. Sychaeio; vt *Dardana arma*. vid. Var. Lect.

Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.
Huic se forma dei voltu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est:
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crinis flauos, et membra decora iuuentae:
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?

se forma viri v. Idem versus insertus est Goth. sec., sed post v. 557 *rursusque ita visa monere est: Duraque m.* 554 *Aeneas iam c. in p. c. e.* Wall. 556 *Hinc* Ven. 557 *inssa m.* Franc. ex more librariorum. *est* deest binis Burm. et Goth. tert. a m. pr. *'st* Gud., vt solent veteriores codd. 558 *Mercurii* tert. Mentel. a m. pr. *que* post *colorem* abest a tribus Burm. 559 *inuenta* nonnulli Pieriani, Medic. cum duobus aliis Heins. Adde fragm. Vatic. Sane *membra decora iuuenta* communiorem formam habent. 560 *potis est sub c.* Oudart. *casu sub* alter Hamb.

554 sqq. Non tam Homeri imitatione, apud quem, rhapsodorum forte studio, bis a Ioue Mercurius mandata accipit, vt Calypso Vlyssem dimittere iuberetur; nec ea de caussa, vt inuitum discedere Aeneam significaret, denuo Mercurii nuntium induxisse videtur poeta, quam vt ex propiore hac caussa et noua hac Numinis monitione, ipse discessus aliquam dignitatem momentumque ac diversitatem a vulgari quoque discessu haberet. Vulgaris narratio ita instituenda fuisset: Et iam Aeneae classis satis erat instructa, vt vento secundo sub noctem exorto illa littore solueret. At quam tenue hoc! Sin vero metus a Carthaginiensium incursu erat memorandus, Mercurii monitu multo magis res egebat apud poetam.

556 — 559. Comparant Iliad. β, 20 sqq. 57 sq. Odyss. β, 268. Iliad. ψ, 69 sq., sed primo loco erat commemorandum Odyss. $\varkappa$, 277 seq. Ad 558 cf. inf. IX, 650. *colorem* oris, qualis est pulcrae iuuentae ex palaestrae sole et puluere. Mercurium e pulcerrimis diis esse, nota res, inprimis ex operibus veterum.

560 — 569. *hoc sub casu*, exquisite pro periculo ac

Nec, quae te circum ſtent deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis ſpirare ſecundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore verſat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat aeſtu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare poteſtas?
Iam mare turbari trabibus, ſaeuasque videbis
Conlucere faces, iam feruere litora flammis:

561 *quae te circum ſtent* Heinſ. e Medic. aliisque poſt Pierianos. Adde fragm. Vatic. At vulgg. *quae circumſtant* vel *ſtent te.* cf. ad 536. A multis abeſt *te*, *cernas* Leid. a m. pr. 563 *deos* tert. Mentel. a m. pr. *in pectora* alter Menag. *ſub pectore* Pieriani aliquot. 564 Lectio haec Medicei aliorumque eſt codd. elegantior haud dubie illa et poetae frequentata, cf. v. 532, quam altera, quam alii codd. ap. Heinſ. et Burm. (cuius Menag. alt. *ſuſcitat* habet) cum vno Pier. et fragm. Vatic. *variosque irarum concitat aeſtus.* Forte ipſe poeta meliorem lectionem alteri adſcripſerat. 565 *Num* tres Burm. *in praeceps* fragm. Vatic. a m. pr. 567 *litora feruere* Doruill.

discrimine. *ducere ſomnos*, Burm. vult eſſe h. l. producere per totam noctem. Sed in tanto periculo omnino dormire Aeneam, inſolens et mirum erat. *deinde* videtur otioſum eſſe; ſed lubenter eo vtitur poeta ad morem τῶν ἔπειτα in argumentatione vel conſequutione, vt inferatur aliquid: et cum haec ita ſint, *in tanto caſu, deinde*, tu non cernis pericula, quibus circumdatus es? εἶτ' ἂν αἰσθάνῃ; Sic v. c. XII, 889 *Quae nunc deinde mora eſt?* IX, 781 *quo deinde ſugam, quo tenditis?* Nec multum aliena haec ſunt a vulgari vſu pro porro, aut pro in poſterum, ab hoc inde tempore. v. c. inf. V, 14. *te circumſtent*, iam Hom. περὶ γὰρ κακὰ πάντοθεν ἔσῃ, Odyſſ. ξ, 270. *Zephyros* ſimpliciter pro ventis dicit; vt ſolet in ventorum nominibus parum accurate verſari Virgilius. Haerebat hic Holdsworthus. 564. *Certa mori*, vide v. 475. 566. 567. Ornati verſus! *turbari trabibus*, impleri nauibus ſc. Carthaginienſ. cf. inf. 592 ſq.;

Si te his adtigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper
Femina. Sic fatus nocti se inmiscuit atrae.
Tum vero Aeneas, subitis exterritus vmbris,
Conripit e somno corpus, sociosque fatigat:
Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;
Soluite vela citi. Deus, aethere missus ab alto,
Festinare fugam, tortosque incidere funis,

569 *Heia* in fragm. Vatic. et in multis. *Ergo age* Pier. aliquot codd. *ac mut.* Wall. 570 *fatis* Gud. a m. pr. *iam misc.* fragm. Vatic. a m. pr. *noctique imm.* Wall. *se miscuit* Leid. et Goth. tert. 571 *subitus* alter Menag. 572 *a somno* duo Burm. *e somnis* Leid. *e strato* aliquot Pier. et sup. III, 176. *socios corpusque* Wall. 573 *Praecipitans, v. v.* emendabat Io. Schrader. in schedis. Offendebat scilicet *praecipites* cum *vigilate* iunctum, quod poeticus sermo in festinatione bene fert. *Praeuigilate viri, moneo* sec. Rottend. ludibrium, puto, librarii. *et* deest alteri Hamb., non male. 574 *iussus* Oudart. pro Var. Lect. 575 *F. iubet* Venet. Mox *que* abest a duobus Burm.

male Cerda *turbari* tempestate. 568. *Si te his.* Comparant Iliad. σ, 268. 269. 569. *Varium et m.* h. l. tantum eo pertinet, quod in muliebri animo summus amor in summam saeuitiam et immanitatem verti potest, vt adeo Aeneae de salute cogitandum sit. 570. *nocti se i. a.* euanuit. sup. v. 278. *tali Cyllenius ore loquutus Mortalis visus medio sermone reliquit.*

571—575. *subitis vmbris,* potest forte accipi pro imagine, viso. Melius tamen in poeta pro caligine subito exorta abeunte deo, qui, vt mos est, in multa luce apparuerat: vt sup. v. 358. *deum manifesto in lumine vidi. Fulsit ab inuita numen procul,* ait Valer. Fl. VI, 480. At nunc ille 570 *nocti se* immiscuerat *atrae. Corripit e somno corpus,* Lucretiana oratio, lib. III, 164, h. e. leuat, mouet. *sociosque fatigat,* hortatibus h. l., vt omnino de saepius tentato motu dicitur poetis.

Ecce iterum ſtimulat. Sequimur te, ſancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ouantes.
Adſis o, placidusque iuues, et ſidera coelo
Dextra feras. Dixit; vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro. 580
Idem omnis ſimul ardor habet; rapiuntque, ruuntque;
Litora deſeruere; latet ſub claſſibus aequor;
Adnixi torquent ſpumas, et caerula verrunt.

576 *inſtimulat* aliquot Heinſiani; quod numeroſius videri poteſt; ſed v. Heinſ. et Burm. 577 *imperioque tuo* Parrhaſ. cum pleriſque Pierianis. 578 *Adſis en* Ven. *Aſſis* Menag. alt. cum codd. Pierii, quem vide. *coeli* Doruill. 579 *Inquit, v.* Parrhaſ. *liberat enſem* pr. Hamb. v. ad Ouid. VI Met. 551 et al. 582 *Litore* Mentel. pr. *ſub clauſibus* Reg. ſec., vulgari lapſu. 583 *Annexi* et *vertunt* Goth.

cf. ad I, 280. VIII, 94. *funes*, retinacula, v. 580. cf. III, 639. 640. 667.

576. 577. Iam Seruius ſecundum Ennium dixit: *Reſpondit Iuno Saturnia ſancta dearum*, ὅτι θεάων. In *quisquis es* argutatur Seruius et cum ipſo alii. Atqui *forma dei — Mercurio ſimilis* ſupra erat; ipſum Mercurium eſſe, nihil erat, quod Aeneam certum redderet. 578. *ſidera dextra*, proprie quorum exortu venti ſecundi flant ac proſpera nauigatio fit.

580. Vid. Odyſſ. ν, 127. cf. Cerda. 581—583. Vt in toto loco, ita inprimis in his verſibus, vel verborum dilectu, vel aſyndetis, vel ipſis verborum temporibus ipſoque numero feſtinatio exprimitur, vt facile obſerues. *latet ſub claſſibus aequor*. Bona rei imago, qua et alii poetae paſſim vtuntur. Loca apud Cerdam. Adſpectui ſubducitur mare per naves aequatis proris procedentes. *ſpumas*, mare ſpumans, *et caerula verrunt*, remis.

Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Regina, e ſpeculis vt primum albeſcere lucem
Vidit, et aequatis claſſem procedere velis,
Litoraque et vacuos ſenſit ſine remige portus;
Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flauentisque abſciſſa comas, Pro Iuppiter! ibit

585 *ſpargebant* Sprot. 586 *et ſp.* ſec. Rottend. *tum primum* Ven. *cum pr.* aliquot codd. ap. Burm. et Goth. tert. *primam* Gud. a m. pr. et Mentel., eleganter, iudice Heinſio. De quo nemo dubitet. At Maro non minus frequentat *vt primum* pro *cum primum* Aen. I, 306. *Vt primum lux alma data eſt.* et ſic multis locis: quorſum ergo contemta codicum fide mutabimus! 587 *producere* ſec. Moreti, ſolita varietate. 590 *abſciſa* multi praeſtantiores. v. Heinſ., qui recipere debebat, ſi ſibi conſtare volebat, et cf. II Georg. 23. *flauentis abſciſa* Reg. *ſl. que comas abſciſſa* Wall. *adſciſſa* aliquot ap. Pier. *pro I. inquit* Montalb.

584. 585. Homerici verſus Iliad. λ, 1. ω, 695 et alibi, verbis fere Lucretii lib. II, 143. Caeterum locum hunc de Didonis nouiſſimis ſatis variare voluit Silius VIII, 84 ſqq., quae comparet, qui Virgilianum πάθος adcuratius cognoſcere vult.

586—588. Seruius: „et bene hanc primum inducit vidiſſe crepuſculum, quae, quaſi amatrix, tota vigilauerat nocte.“ cf. Ecl. VIII, 17-20. Forte ante oculos fuit Apollon. Rh. III, 818 ſqq. — *e ſpeculis*, ex edita aedium parte. — *vt primum albeſcere lucem vidit.* Creditur ex antiquo poeta Ennio adumbratum eſſe: *Vt primum tenebreis abiecteis inalbebat dies.* Vrſin. ac Cerda h. l. Columna ad Enn. p. 65 e princ. libri VII. Apuleii Metam. *aequatis velis*, aequalibus ordinibus; ſed declarauit hoc a velis non obliquo vento, ſed aequaliter plenis, leni ac ſecundo vento a tergo impellente. cf. inf. V, 844 et 232. Homeri νῆες ἐΐσαι comparantur: quae tamen alio modo aequales dicuntur.

590—594. Magna eſt legentis expectatio, quae, deſperata iam ſalute omnique

Hic, ait, et noſtris inluſerit aduena regnis!
Non arma expedient, totaque ex vrbe ſequentur,
Deripientque rates alii naualibus? Ite,
Ferte citi flammas, date vela, inpellite remos. —
Quid loquor? aut vbi ſum? Quae mentem inſa-
nia mutat? —
Infelix Dido! nunc te facta inpia tangunt?

591 *Hinc, ait* Menag. Hamb. pr. Erf. *i. a. terris* Leid. vn. 592 *Nunc a.* Montalb. *Nonne* Zulich. *expediam* ed. Ven. 593 *Diripiantque* Witt. Voſſ. alt. et Donat. de Schemat. Sed vſus et ratio poſtulat *Deripientque*, vti iam Heinſ. emendabat, quem miror hoc non repoſuiſſe, id quod nunc fecimus: expreſſerat iam Brunck. cf. ſup. I, 211. Porro codd. diſtinguunt poſt *rates*, male. 594 *F. c. ferrum* Gud. pro diu. lect. *date tela* Medic. cum aliis plerisque Heinſ. duobus ex Goth. Erf. Variant quoque Grammatici. v. Heinſ., qui recte nil mouit. *impendite remos* Leid. 595 *loquar* Leid. vn. *vbi ſunt* Zulich., non inuenuſte, iudice Burm. Nihil tamen ad vulgatam: *vbi ſum?* Mox *quae m. i. verſat* tres ap. Burm., non male; ex gloſſa tamen. 596 *nunc te* Heinſ. tuetur e Medic. aliisque cum Pier. alii *num te;* etiam Grammatici ap. Heinſ. *nam* Clidonius. *iam te f.* Reg. et Parrhaſ. Porro *facta i.* e Medic. aliisque praeſtantioribus recepit: Vulgo *fata*, cf. Not., quod bene poterat exponi: *fata impia*, fatum crudele, iniquum,

meliore ſpe ſublata, futura ſit miſerae reginae oratio. Et pathos verbis ineſt ſummum; furit, minatur, ſe accuſat, imprecatur. *abſciſſa* ſimpl. euulſa, h. e. euellens. *illuſerit* poſt *ibit*. vt I Georg. 157 *Falce premes — vocaveris*. cf. Burm. *noſtris regnis*, mihi, tamquam reginae. Illuſit autem diſceſſu tuto et impune facto poſt tantas in me iniurias. *arma*, inſtrumenta naualia et h. l. alii *expedient* — alii *deripient*, rapient, rapide educent.

596. 597. Variis modis, vt plerumque fit in ſententiis acutis, haec accipi poſſunt et vario cum affectu, ſiue *fata* ſiue *facta* legas; quoniam haec et Aeneae et Didonis eſſe poſſunt, et quia *Tum decuit* ſuppleri poteſt vel: facere haec ſc. quae v. 592— 594 memorauerat, vel: *facta impia tangere te. Tangunt* porro, καθικνοῦνταί σε,

Tum decuit, quum sceptra dabas: — En dextra fidesque!
Quem secum patrios aiunt portare Penatis!
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem! —
Non potui abreptum diuellere corpus, et vndis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro

infaustum. Nunc fato tuo moueris? debebas tum moueri, adeoque de illo sollicita esse et de eo, quod futurum esset, cogitare, tum cum Aeneam in regni societatem admitteres. Variant etiam Grammatici ap. Heins. item Gothani. 597 *Tunc* Gud. cum al. Heins. *Tunc licuit* Parrhas., sed in eo interpolationes plurimas obseruies. 598 *Qui* hoc et seq. v. pro *quem* olim fuit lectum, teste Seruio. *portasse* Medic. et Doruill. 600 *arreptum, areptum, abruptum, deuellere*, librariorum ludibria. *auulsum* apud Donat. in Terent. Andr. IV, 3, 3, memoriae lapsu. *corpus diuellere* Menag. pr.

cum ea, quae attingunt, vrgent, adsunt, tum, quae animum mouent, percellunt vel concitant, metu, terrore, odio, quocunque alio vehemente affectu. Ex pluribus hanc rationem probem: Exhorruerat illa modo ac damnauerat v. 595 atrocitatem consilii; silet, et mox: quasi vero nunc demum nefas ac scelus exhorrescendum mihi sit! tum debebam exhorrescere, cum, defuncti mariti memoria animo expulsa, in thalami ac regni societatem perfidum hospitem recipiebam. Sic v. 214 ac *dominum Aenean in regna recepit;* adde Ouid. Epist. VII, 12. 90. Ad sententiam comparare licet Medeae conditionem ap. Apollon. IV, 1080 sqq.

597—599. Vt sup. 307. *Nec te noster amor, nec te data dextera quondam — tenet. En dextra fidesque* sc. eius, *quem*, h. e. ita fidem seruat is, *quem aiunt portare* (pro portasse) *secum Penates.* Non male Vrsinus laudat Iliad. β, 341. Ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε γενοίατο μήδεά τ' ἀνδρῶν, Σπονδαί τ' ἄκρητοι τε καὶ δεξιαί, αἷς ἐπέπιθμεν.

Aſcanium, patriisque epulandum ponere menſis? —
Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuiſſet;
Quem metui moritura? Faces in caſtra tuliſſem,
Inpleſſemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exſtinxem, memet ſuper ipſa dediſſem. —
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum interpres curarum et conſcia Iuno,

602 *patrisque* ed. Iunt. Doruill. et Lutat. apud Burm. *ponere* Burmannus primus recepit, vt ſcripti fere omnes, etiam duo Goth. habent, etiam Pierii, praeter vnum eius Mediceum, qui diuerſus a Fogginiano eſt. In hoc vt in vulgg. edd. legebatur *apponere*; duo ap. Burm. *opponere*, alter Hamb. *imponere*. Sed *ponere*, pro *apponere*, frequens poetis. 603 *fuerat pugnae* Menag. pr. 604 *Quem timui* Goth. tert. Heinſ. coni. *in tranſtra*. Sed *caſtra* plus poeticae audaciae habet. v. Not. 605 *foxas*, *fores*, *feros*, aberrationes librariorum. 606 *extinctum* pr. Moret. *extinguam* Lutat. ad Stat. V Theb. 128. *exſtinxiſſem*, quod eſt interpretis, Burm. *extinſem* duo Goth. *et memet* quaedam edd. Seruii ſup. ad v. 508. 608 *et* abeſt a pr. Hamb.

600 — 602. *abreptum divellere corpus*, ornate, dilaniare eum. *patriisque epulandum ponere menſis?* reſpicit Thyeſtae vel Terei coenam.

603 — 606. En affectum, qui altius adſurgere aut procedere nequit. Itaque verſ. 607 bene ad diras conuertit ſe, at quanta cum arte illas ad religioſum ac ſacrum aliquem horrorem attemperavit! *Quem metui m.* praeclare, pro vulgari: quid mihi metuendum fuiſſet, cum mori decreuerim! *in caſtra*, h. l. claſſem. III, 519. *Dat clarum e puppi ſignum; nos caſtra monemus. foros*, tabulatum, pro ipſis nauibus. *Cum genere*, int. Troianos. *dediſſem* in ignem. cf. furorem Medeae apud Apollon. IV, 392 — 394.

607 — 612. Solis, tamquam dei πανδερκές, adeoque et iniuriae inſpectoris,

Nocturnisque Hecate triuiis vlulata per vrbis,
Et Dirae vltrices, et di morientis Eliſſae,
Adcipite haec, meritumque malis aduertite numen,

609 *per vmbras* Leid. vn. pro var. lect. 611 *auertite* multi; ſed alienum a loci ſententia. *Accipite haec: animumque malis excludite tantis* ed. Ven. ab interpolatore.

vt in ſoederibus (v. Iliad. γ, 277, et inf. XII, 176) ita in diris ſollennis mentio. Cerda laudat Sophoclis locum Aiac. 860 ſqq. conf. ibid. 839 ſq. 850 ſqq. Adde Ennii locum ex Medea Euripidea vſ. 1251 ſqq. conuerſum in Fragment. pag. 208. *luſtras* de curſu, vt ſup. v. 6. Burmannus pro *illuſtras* accipere malebat; minus poetice. *terrarum opera* vt ἔργα, proprie de cultis locis. *Iuno* (vt ſup. v. 59 in ſacris mactabat bidentes *Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae*) γαμήλιος (*pronuba* v. 166), h. l. eſt *interpres et conſcia curarum harum*, huius amoris aut coniugii, adeoque teſtis periurii et iniuriae. *Interpres* etiam alias, cuius interuentu aliquid efficitur, h. l. nuptiarum, quibus dea praeeſt. 609. *Hecate*, cui noctu ſacra celebrantur cum vlulatu, h. e. carmine, precibus, in triuiis: Notus vſus vocis *vlulare*, ὀλολύζειν, in ſacris. *Hecate vlulata*, vt *bacchata Naxos* ſup. II, 125. *Dirae*, h. l. Furiae, vt XII, 845 ſq., vbi cf. Notam. *Deos morientis Eliſſae*, Genios Didonis, mox Manes futuros, intellexeram: cf. XII, 646, et ſic fere Seruius primo loco. At Pompon. Sab. *Manes Sichaei vocat.* Nec tamen video, quid vetet, *deos vltores Eliſſae* accipere. 611. *Adcipite, aduertite, audite* de eadem re. *numen* veſtrum, h. e. vim ac poteſtatem deorum inferorum vlciſcendi malos, *aduertite malis*, contra improbos et impios Troianos, *meritum*, quippe qui meruerunt veſtrum numen, h. e. poenam, a diis malorum vltoribus infligendam. Exquiſitior ratio quam illa, *aduertere vultus, aures, animos*, vt Ouid. VIII Met. 482.

Et noſtras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt;
Et ſic fata Iouis poſcunt; hic terminus haeret:
At bello audacis populi vexatus et armis, 615

613 *I. corpus* Menag. pr. e gloſſa. *et t.* Parrhaſ. 614 *Et ſic* bene Heinſ. repoſuit, optimis codd. etiam Pierianis auctoribus, etiam Nonio et Macrobio: Vulgo *Et ſi*. Heinſ. coni. *Id ſi*. In pr. Rottend. pro var. lect. erat: *Et ſi fata petunt Iouis; hic et t.* 615 *Et bello* Medic. a m. pr.

612 ſqq. Eximiam poetae artem in ſubiungendis diris his, quibus Aeneae fata, poſt aduentum in Italiam, mox temporum ſeriorum euentus bellaque inter Poenos et Romanos geſta, ingenioſe intexuit, vt tanto magis popularium ſuorum animos aduerteret et delectaret, iam alii viderunt. Dirarum vero et imprecationum omnino inventum et vſum a poetis Graecis accepit, in quibus frequens eſt, vtpote vehementibus affectibus bene inſeruiens. Exempla vide ap. Cerdam.

612 — 614. Ante oculos fuere ex Odyſſ. ι, 532 ſeqq. dirae Polyphemi in Vlyſſem: Ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστὶ etc. Gravitatem orationis nota in verbis ſingulis, vt, *Infandum caput* pro eum, *terris adnare*, pro peruenire ad Italiam. ſup. I, 538. *huc pauci veſtris adnauimus oris. hic terminus haeret*, eſt. Seru. „*Si hoc eſt immutabile;* quoniam agrorum termini moueri nequeunt.“ Melius ſic conſtitues: et ſi eo, h. e. in Italiam, fatorum et errorum Aeneae terminum ac finem, peruenire Aeneam fatale eſt; *haeret*, fixum et deſtinatum eſt. Saltem hoc ab agrorum terminis petitum; verbo Lucretiano lib. VI, 65. *finita poteſtas denique cuique Quanam ſit ratione atque alte terminus haerens.*

615—621. Reuocata ſunt ad has diras ea, quae lib. VII ſeqq. memorantur, bellum cum Latinis et ſociis Rutulis, Aeneae profectio ad Euandrum, auxilii petendi cauſſa, relicto in caſtris Aſcanio, quem interea oppugnat Turnus cum magna Troianorum ſtrage. Reliqua a v. 618 ad mortem Aeneae ſpectant;

Finibus extorris, conplexu auolsus Iuli,
Auxilium inploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, quum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Haec precor; hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunto.

616 *externis* Hugen. *conspectu auolsus* codd. ap. Nonium Marcellum. *que* post *complexu* duo Burm. *auolsus* scriptum cum Medic. et Gud. 617 *que* abest a Mentel. pr. et sic bona codd. pars ap. Pierium eo caret. 618 *leges sub p.* Hamb. pr. 619 *fruetur* Goth. sec. 622 *et* deest Zulich. a m. pr.

namque is quarto, vt plerique tradunt, a foedere cum Latinis anno, pugna cum Tyrrhenis facta, in Numicio flumine periit. conf. sup. I, 261 sq. et Excurs. III ad lib. XII. *audacis populi*, Servius: „id est, Rutulorum, sicut semper inducuntur.“ Sic VII, 409. *Audacis Rutuli ad muros. Audax* poetis est bellicosus, fortis. *Finibus extorris*, profectus ex castris in Latio positis. *indigna*, miseranda, *suorum Funera* inprimis Pallantis Lib. X. *pacis iniquae* v. lib. XII, 823 sqq. cf. Serv. Sed res in maius aucta. *ante diem*; non obstat lib. VI, 764. *Quem tibi longaeuo serum Lauinia coniux Educet silvis regem.* Paucos saltem annos regnauit. *inhumatus*, quoniam eius corpus nusquam inuentum est, vt adeo inter deos receptus diceretur, vt ex Liuii I pr. notum. 621. *cum sanguine*, cum vita, sed multo maiore cum vi. Seruius: „quasi imprecationes ipsas suo consecraret sanguine.“

622 — 629. Odia inter Poenos et Romanos, et bella perpetua de imperio. *stir-*

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus vndas
Inprecor, arma armis; pugnent ipſique nepotesque.

626 *ſequere* alter Hamb. 627 *quaecunque* Parrhaſ. 629 *Iam precor* duo Burm. *arma viris* pr. Hamb. *p. ipſique nepotesque* Heinſ. repoſuit e Medic. aliisque potioribus codd. Vulgo leg. *ipſique nepotes;* et ſic Grammatici paſſim laudant; ſic quoque omnes Goth. *(ipſi pugnentque nepotes* Moret. qu. ex interpolatione). In quo facile intelligi poſſit, alterum *que* librarii culpa extritum eſſe. Videtur tamen mihi *que* illud in clauſula totius ſententiae et orationis redundans vix locum tueri poſſe, vel aurium iudicio. Tum *ipſique* non habet, quod commode huc aduoces. Nam debent eſſe aut ipſi *Tyrii:* tum vero languet poſt ſuperiora multo grauiora: *pugnent ipſi* et nepotes; aut *populi:* atqui quinam ſunt *populorum nepotes?* Heumannus et Trappius et Io. Schrader. in ſchedis, totum hemiſtichium reſcindendum eſſe iudicabant, tamquam aſſutum; ſcilicet viris doctis non ſuccurrebat, qui illi Carthaginienſium nepotes eſſe poſſent. Holdsworthus Iubam huc vocabat, et laudabat Lucani locum lib. VIII, 283 ſqq. Dicas potuiſſe poetam latius ipſum Bocchum ac Iugurtham, Afros certe, etſi non proprie Carthaginienſi ſtirpe oriundos, intelligere. Parum tamen hoc quoque ſatis facit. Alterutrum tenendum eſſe arbitror: aut, quod malim, ne clauſula tenuior ſit reliqua oratione, in ſuſpicionem adducendum hemiſtichium; aut, ſi malis, cum excuſatione poetae, retinere, ſimpliciter *nepotes* ſunt poſteri, ſera poſteritas, ſc. reſpectu eorum, qui tum erant, et tollendum importunum *que*.

pem exercete odiis, vexate. Niſi eſt exquiſitior ratio pro vulgari, exercere odia in poſteros; nihil amplius. *Munera* int. inferias, quae proprie *mitti* dicuntur. *nec foedera ſunto*, quippe tertio rupta, vt Seru. 625. *vltor*, Hannibalem oſtendit (vt quoque Seru.), qui Italiam ferro ignique vaſtauit. *ex oſſibus* pro vulgari, ex cinere meo, h. e. poſt me veniat aliquis, qui perſequatur etc. *dabunt ſe*, exquiſitius quam, erunt. Occurrit et alibi: Georg. I, 287 *Multa adeo gelida melius ſe nocte dederunt*. Bella ſcilicet ominatur ſaepius renouata. 628. 629. Seruius ad foederis conditiones ſuper limitibus inter Poenos et

Haec ait, et partis animum verſabat in omnis;
Inuiſam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breuiter Barcen nutricem adſata Sychaei:
Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem;
Dic, corpus properet fluuiali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum et monſtrata piacula ducat.
Sic veniat; tuque ipſa pia tege tempora vitta.

632 *Cum br.* Wall. *Hinc B. breuiter* Hamb. alter. Porro *Barcem, Bachem, Bachen, Braccen, Barchen* aberrationes. *Sichei eſt* duo Burm. cum Goth. ſec. 633 Hunc verſum ſuſpectum Britanno docto ac vindicatum vide in Miſcell. Obſſ. Vol. I, p. 13. Suſpectum haberi video et aliis, vt Iac. Bryant., et Io. Schradero, acutis viris. Sane ſi vitio datur poetae, quod rem tam parui aut nullius momenti interpoſuit, excuſandi facultas eſſet: cum fidem faciant narratis hoc ipſo poetae, quod certis nominibus, rebus, locis, res definiunt; ſed ſunt in ipſo verſu plura, quae diſpliceant: *ſuam* pro eius; *cinis* in *patria* nutricem *habebat*. Eſt itaque haud dubie ab interpolatore profectus. 635 *aſpergere* Ven., quod eſt commune. *mergere* alter Menag. 636 *ducet* Mentel. pr. 637 *Sic veniet* nonnulli e Pierianis. *tuaque* ſec. Rottend. a m. pr. *tege corpora* Sprot.

Romanos ſubtiliter ſatis refert. Enimuero eſt poetica amplificatione odii et inimicitiae; vt vulgo ſolemus dicere: omnia inter Romanos et Poenos fuiſſe infeſta et contraria.

632. Vt ſola et ſine arbitro eſſet, cum mortem ſibi inferre decreuiſſet, Barcen, quae cum ipſa erat, foras ablegat. — 633. Suam propriam nutricem Dido iam olim apud Tyrum ſepeliuerat. Vt alias *tumulo, ſepulcro, vrna, haberi, teneri* dicuntur defuncti: ſic nunc *cinis patria* (terra) habetur.

636. *monſtrata* a ſacerdote, puto, *piacula*, piamina, h. l. purgamina, quibus in ſacris magicis vtebatur ſuperſtitio, h. l. ad mentem amore exſoluendam. cf. Ecl. VIII,

Sacra Ioui Stygio, quae rite incepta paraui,
Perficere est animus, finemque inponere curis;
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anili.
At trepida et coeptis inmanibus effera Dido,
Sanguineam voluens aciem, maculisque trementis
Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus inrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.

638 *parabam* vet. cod. apud Macrob. III Sat. 3. 640 *Dardanidique* Wall. pro *Dardanidae*, subiicit Burm. *praemittere* Ven. *flammis* Medic. 641 *Dixerat, illa* Parrhas. *celebrabat* a pr. m. Medic. cum aliis, frequenti lapsu. *accelerabat* Goth. sec. *anilem* Burmanno inuito in contextum venisse suspicor. Nam Heinsianae edd. *anili* retinent, et Burmannus ita rectius legi pronuntiat. Atque ita Mediceus cum praestantissimis aliis; item Goth. pr. et sec. a m. sec. Non male sane dictum alterum quoque: expuli tamen codicum iussu, quod fors intulerat. 642 *Et tr.* Montalb. *et* ante *coeptis* abest a pr. Moret. *At rapidi c.* Exc. Burm. 643 *involuens* alter Voss. 645 *irrupit, perrumpit, prorumpit, abrumpit*, aberrant codd. ap. Burm. 646 *moribunda* Ven. *thoros* Parrhas. *recluſit* Gud. a m. pr. Doruill. et Donatus ad Terent. Adelph. II, 1. *refringit* vn. Heins. 647 *non hosce relictum* ex v. 507 emend. Tan. Faber. Sed v. Burmann. et not.

73 et 80 sq. 638—640. *incepta* inde a v. 504 sqq. vid. notam ad v. 480 sq. cf. ad seqq. Silium VIII, 116 sqq., qui sua ex h. l. duxit: *Nigro forte Ioui* etc. sc. Plutoni. 640. *rogum permittere flammae*, lignorum struem, pyram, incendere: hoc quidem expeditum est. Verum ambiguum esse potest, sitne *flamma Dardanii capitis* an *rogus Dardanii capitis*. Video nunc hoc mollius esse: rogum, cui imposuerat effigiem Aeneae, (sup. 508) quasi caput ac vitam eius devotura.

642—647. Notas extremi furoris observa. *morte fu-*

Hic, postquam Iliacas vestis notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque nouissima verba: 650
Dulces exuuiae, dum fata deusque sinebant,

649 *parum* duo e glossa. *lacrimas* Goth. pr. *mente remota* Sprot. 651 *si fata* alter Hamb. *sinebat* Medic. cum codd. parte,

tura, iamiam cummaxime constituta; male enim Seruius aliter. *Sanguineam aciem*, ὄμμα ὑφαιμον. *interiora domus limina*, limen interioris aedium partis; *penetrali in sede* sup. 504 sq. *tecto interiore* 494 sq. *quaesitum*, paratum, acceptum, adeoque etiam datum; sup. 507 dixerat *ensem relictum* scil. dono ac munere. *Arma viri, thalamo quae fixa reliquit* sup. 495.

648—650. *Iliacas vestes notumque cubile* rogo imposuerat. cf. sup. 507. 508. Erant autem vestes inter munera e nauibus allata. cf. lib. I, 647 sqq. Magnum ac nouum πάθος in conspectu earum rerum, quae magnopere animum percellere debuere; magnum quoque artificium in dilectu rerum ac verborum. Expende singula. *mente*, defixa in pristini amoris ac consuetudinis cogitatione. *Incubuit toro*. Comparant intpp. loca Sophoclis (Trachin. v. 916 sqq.) et Euripidis (Alcest. 173—186), vbi Alcestis moribunda in torum coniugalem se proiicit; at in altero Deianira se ipsam super Herculis toro interficit; qui locus maiorem cum nostro similitudinem habet. Saltem praeiuerunt illi aut alii tragici poetae in hoc ad mouendum affectum egregie comparato spectaculo. Vult autem Dido expiare culpam morte in eo ipso toro, in quo eam commiserat. At oratione, quae modo sequitur, nihil puto dici posse aut personae ac tempori accommodatius aut ad animum mouendum potentius; illa vero v. 653—656 quam sublimia sententiis! Et tamen Silius se putauit cum poeta in certamen descendere posse, lib. VIII, 141 sqq.

651 sq. *Exuuiae — Accipite hanc animam* — quia

Adcipite hanc animam, meque his exſoluite curis.
Vixi, et, quem dederat curſum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei ſub terras ibit Imago.
Vrbem praeclaram ſtatui; mea moenia vidi; 655

etiam Pierianorum, doctius: vt mirer id a viris doctis dimiſſum manibus eſſe. At *ſinebant* tuetur inter alios fragm. Vatic. 652 *abſoluite* tres cum Seruio apud Burmann. *his* deeſt Zulich. *exſ. poenis* ed. Ven. 654 *mea* tert. Rottend. Quod vulgare eſſet, etiamſi metrum ferret.

iis incubans animam eſt exſpiratura. 653. Male arguntur in *fortuna* et ante in *fata deusque*, iam inde a Seruio. Eſt eadem notio bis, ter, iterata. Magni animi hoc eſſe puta, vt in nouiſſimis rebus ſeſe erigat, et ſuae laudis conſcientia ac rerum geſtarum claritate fato ac diis inuidiam faciat. Ingloria morior; at non vixi ingloria. *quem dederat curſum fortuna, peregi:* ſup. lib. III, 493. dixerat: *Viuite felices, quibus eſt fortuna peracta iam ſua.* 654. *imago*, εἴδωλον, Vmbra, magna rerum geſtarum nomine ac fama. Male aliter Intpp. Splendidum et illud: *ſub terras ibit*, moriar; petitum ab Ennio et Lucretio. *vlta virum*, vid. ſup. I, 360—364. *poenas recepi*, noue forte, nec tamen inſolenter pro, cepi, ſumſi. Bene Pompon. Sab. *recepi*, ad debitum refertur. *Felix heu!* Comparat Seruius Catull. 64, 171 ſqq., et de imitatione Statii III Silu. 3, 25 vide Burmann. Etiam Apollon. IV, 33, ſed minus ornate *).

*) „Perlato ad nos, dum haec in manibus ſunt, grauiſſimo nuntio de morte *Munchhuſii*, immortalis viri, cum perculſus ingenti luctu animus vix vlterius progredi in opere poteſt, dolori noſtro vel alieno loco paullum indulgere liceat. *Vixit* et Is, *vixit*, et *curſum*, at quam glorioſum! quam ad omnem poſteritatis memoriam memorabilem! *peregit*. Poterat et *Munchhuſius* ſuo iure Didonis verbis vti: *Et nunc magna mei ſub terras ibit imago*; quam enim maiorem Vmbram inueniat inter eos, *qui vitam excoluere per artes*, *Quique ſui memores alios fecere merendo* (VI, 663, 664)? *Vrbem praeclaram ſtatui; mea moenia vidi.* Quid enim? vidit Georgiam Auguſtam

Vlta virum, poenas inimico a fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!
Dixit; et, os inpressa toro, Moriemur inultae!
Sed moriamur, ait. Sic, sic iuuat ire sub vmbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.

656 *a* abest a multis Pier. et Heins., male. *e fratre* Hugen. Porro Burm. coni. *Poenos inimico a fratre recepi*, ingeniose quidem; sed nimis forte. vid. Not. Tandem tres ap. Burm. v. 656 antecedenti praeponunt. 660 *Sed moriemur* quatuor ap. Burm. *Si sic* Gud. a m. pr. *Sic? sic i.* Fabric. legebat. Sed recte Burm. docet esse, *vel sic quoque.* 661 *ignem oculis* alter Hamburg. 662 *et miserae* Leid. vn. *omnia*, male multi.

659—662. Iterum animi magni et superbi hoc; vt, ingloriam et inultam se mori, hoc vel maxime pungat. Tandem pro vltione habetur saltem hoc, quod conspectum suae mortis, et cum hoc spectaculo perfidiae poenitentiam, obiectum iri Aeneae cogitat. *os impressa toro*, scil. percita furore, salute desperata, et morte vicina. Non enim is erat iam mentis habitus, vt exosculari illas exuuias velle videri posset, neque verba, quae effatur, tale quid arguunt; sed ore impresso, prae animi dolore in torum, cui incubat, immisso, haec eloquitur. 660. 661. Inulta moriar; modo sic moriar, vt saltem ille hauriat etc. Inter haec verba ensem ab illa pectori applicari puta. *Dardanus* paullo insolentius pro Dardanius, sed et Homerus: Δάρδανος ἀνήρ; et sic alia. 662. Splendide:

suam.“ Relinquo hunc locum a. LXX perscriptum in altera hac recensione intactum, vt, quantum per me fieri possit, *Munchhusii* nominis caritate etiam tenelli animi imbuantur. Si quid fructus et vtilitatis ex hac poetae interpretatione ad vos redit, o boni, etiam eius partem aliquam isti viro vos debere putate. Nunc — (vt cum Statio loquar) *Inferior volat Vmbra deo!*

Dixerat. Atque illam media inter talia ferro
Conlapsam adspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria; concussam bacchatur fama per vrbem.
Lamentis, gemituque, et femineo vlulatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether:

663 *medio* Doruill. a m. sec. *mediam* legi testatur Taubm., ex Pompon. Sab. puto. Etsi enim e Mediceo Fogginii nihil occurrit, ait tamen ille: „*mediam* legit Apronianus; nam, qui se transfodit, medius videtur esse gladii.“ Silius I, 307 *Concidit exacti medius per viscera teli.* Recepit Brunck. correctionem Aproniani. *media inter ilia* ed. Ven. Aen. XII, 318 *media inter talia verba*, h. e. in medio horum dictorum; inter haec dicta. 664 *accipiunt* duo Burmann. *cruorem* Doruill. cum aliquot Pier. 665 *et alta* alter Menag. 668 *tremunt* fragm. Vatic. *clangori-*

ex meae mortis indicio ac nuntio infaustum omen nauigans ille secum auferat! Sit illi ferale hoc spectaculum pro sinistro viae omine.

663—665. Vide facinus declaratum ab iis rebus, quae maxime legentis animum impellant, et verbis ornatissimis. Non vident illam se transadigentem ferro, sed *ferro collapsam*, et hoc quanto plus quam *transfixam!* et *spumantem* plus, quam *tinctum cruore ensem*. Bene etiam Seruius: *Non induxit occidentem se, sed ostendit occisam:* addit ille: *et hoc tragico fecit exemplo, apud quos* (tragicos) *non videtur, quemadmodum fit caedes, sed facta narratur. Comites* sunt familiares, famulae, quae in impluuium irrumpunt. Etiam hoc iudicium poetae declarat, quod de rogo incenso nil memorat; quem tamen incensum esse e lib. V pr. apparet. Scilicet vix commodo loco id inter caetera narrari poterat.

666. *bacchatur* grauissimum pro discurrit, differtur. Mox 668. *Tecta fremunt*, vt iam alias monitum, pro vulgari, lamenta fremunt in tectis.

Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammaeque furentes
Culmina perque hominum voluantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Vnguibus ora soror foedans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?

bus pr. Menag. et Montalb. *clamoribus* Witt. et Wall. cum parte codd. Pierianorum, Goth. duobus, Erf. Aberrationes sollennes. 669 *missis* aliquot Pier. et ed. Mediol. Sed bene *immissis* defendit Pierius. 670 *Tyrus* multi Pier. et Heins. et amat latinas enuntiationes Maro. Vid. Heins., qui tot alias aliis locis reduxit. *flammaeque ruentes* Zulich. 671 *voluuntur* duo Burm. *volitantur* Exc. Burm. *voluentur* Goth. sec. 672 *casu* eadem Exc. 673 *ac p.* alter Hamb. 675 *hocc'* ed. Brunck. *quod fr. p.* Bigot. 676 *haec ignes* Parrhas. *ignesque* Leid. vn. *ignis* Exc. Burm.

669 — 671. Comparatio haec et alibi obuia, accommodata tamen, et h. l. bene ornata, primo loco apud Homerum occurrit Iliad. χ, 410. 411, vt iam Macrobio notatum IV Sat. 6. Euripidem laudat Cerda (Phoeniss. 1046 — 1049). Ad v. 671, quo ciuium aedes priuatae, ac publicae deorum, incendio correptae narrantur, Burmann. confert Val. Fl. II, 176 — 180, ex h. l. expressum, apud quem ordo verborum hic est: *vel vidisse, patriae per culmen ignes agi.*

672 sqq. Egregie affectus veritas seruata in Annae luctu et verbis. Praeiuisse creditur Briseis Homeri in Patrocli funere Iliad. τ, 282 sqq. Haec autem omnia, quae effatur, ne a tempore et loco aliena sint, dum illa incedit, prolata esse cogita: nam *trepido cursu ruit per medios.* Vnde v. 685 *sic fata gradus*

Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Spreuisti moriens? Eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora, tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocaui
Voce deos, sic te vt posita crudelis abessem?
Exstinxisti me teque, soror, populumque, patresque

677 *Quod pr.* Hugen. *germana querar* Menag. pr. *comitemque* Gud. a m. pr. *ve* Menag. pr. 678 *facta* Mentel. pr. a m. pr. *eadem me fata vocassent* alt. Hamb. 679 *ferret* Oudart. *eadem* abest a Witt. *ora* Gud. ed. Iunt. *fuisset* aliquot Pier. 680 *manibus struxi* Parrhas. *exstruxi* Goth. tert. 681 *positam* Medic. a m. pr. *abissem* Wall. possis scribere: *sic te vt posita, crudelis! abessem:* vt ad Didonem referatur. Si ad Annam: retrahes; *ego crudelis struxi.* Nec tamen male: *vt crudelis abessem,* crudeliter seiungerer. 682 *Exstinxsti* scripturam ex Pieriano exemplari retinuisse videtur Heinsius; vulgaris eademque mollior scribendi ratio est *exstinxti.* Hoc etiam Probus Art. Grammat. producit ex Marone et Diomedes Grammat. pro *exstinxisti,* vt *exstinxem* sup. v. 606 pro *exstinxissem.* Atqui duriorem pronuntiandi morem in aliis praetulisse creditur poeta, tamquam epica grauitate digniorem. *Exstincti, exstixi,* eo alludunt, illud in Witt., hoc in binis Heins. cum glossa *exstinxisti. Exstinxti* etiam in fragm. Vatic. diserte legitur, item in Donato. v. Bened. At est Aldd. pr. lectio: *exstinxi,* vel *extinxi,* quam in omnibus fere exemplaribus repererat Pierius, et sic Moret. Dorvill. Puget. Erf. cum tribus Goth. Ita ipsa Anna se accusat, sua

euaserat omnes, 679. *Idem dolor;* vulgare erat, vulnus. 680. 681. *struxi,* rogum, pete ex v. 676; eum iussu Didonis parauerat sup. 494 sq. *patriosque vocaui Voce deos,* h. e. ipsa sacrum iussu tuo paraui et rite auspicata sum, sollenni sc. precum carmine decantato: Nam: *ergo iussa parat* sup. v. 503. *sic vt abessem,* seiungerer a te, auellerer ac te carerem, *te posita,* mortua, vt II, 644 et saepe. — 682. Grauissima sunt haec, quibus morte sua

Sidonios, vrbemque tuam. Date volnera lymphis,
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus euaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fouebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, grauis oculos conata adtollere, rursus
Deficit. Infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese adtollens cubitoque adnixa leuauit:
Ter reuoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quaesiuit coelo lucem, ingemuitque reperta.

opera factum, sua culpa commissum esse, vt communi clade ruant omnia. Graue et hoc; et difficile est alterutram lectionem praeferre. Quomodo in Mediceo legatur, ex Fogginiano exemplari vix assequare. Videtur tamen *extinxsti* in *extinxi* esse refictum; et ex sensu et iudicio animi si pronuntiandum est, *Extinxti* de Didone est praeferendum; nam si soror Anna se accusabat: satis erant illa: *Extinxi me teque, soror.* At reliqua: *populumque patresque Sidonios vrbemque*, nimii acuminis, nisi de Didone ipsa pronuntientur. *te meque* quatuor apud Burmann. et Erf. Sed amant Veteres se priori loco memorare. Burm. 683 *data* Menag. pr. 684 *erret* quatuor Heins. et Erf. *esset* duo alii. *exstat* Wall. 686 *S. suam* ed. Ven. *germana* Wall. 687 *s. v. furores* Menag. pr. *colores* Goth. pr. 688 *rursum* Doruill. 689 *stridit* Heins. e Medic. et melioribus, etiam Pierianis, forma exquisitiore. Vulgo *stridet. stridens* pr. Rottend. 690 *cubituque* multi ap. Pier. et Burm. *adnixa* castigationi Heinsianae debetur, e codd. etiam Pier. Vulgo *innixa.* Sed *innititur*, etiam qui iacet, *annititur*, qui tentat exsurgere. vid. Heins. 691 *est* deest Gud. *que* abest ab ed. Ven. 692 *Quaerebat* alter Hamb. *repertam* multi

Dido omnia in commune exitium traxisse dicitur: quippe in vrbe recens condita.

688. Est hoc mirum in modum ad affectum comparatum. Non iniucundum fuerit comparare, vt faciunt Intpp., Euripid. Phoeniss. 1438 sqq. inpr. 1446 sq. de Eteocle; et de Pyramo Ouid. Met. IV, 137 sqq. 145. 146. Adde de Alcestide Eurip. 203 — 206.

689. *stridit vulnus*, sanguis ex vulnere erumpens. conf. Ouid. Met. IV, 120. 124.

691. 692. Oculi iam morte

Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem

codd. ap. Pier. et Burm. cum Seruio: quod et ipsum ferri possit: et recepit Brunck. tamquam exquisitius: verum sensum habet paullo diuersum: quasi *propter lucem repertam* ingemuisset. In Medic. *reperta* in litura est, vt adeo haec Aproniana lectio videri debeat; doctior vtique illa et commodior. 693 *long. mis. laborem* Montalb. alter Hamb. et tert. Rottend. pro var. lect. voce magis poetica et h. l. accommodatiore.

natantes et caligine obscurati diem recipere laborant, sed aegre colligunt solis radios. *ingemiscit*, vt moribunda. quod est inf. XII extr. *Vita cum gemitu fugit indignata sub vmbras.* Et nunc puta oculos iterum claudi.

693 sqq. Noua haec et insolens videri potest religio, quod Iris mittitur, ad expediendam miserae Didonis animam. Sed Iridi tribuit poeta, quod Mercurio supra tributum vidimus vers. 244, quandoquidem a Iunone illa mandata fert, et eius ministerio plerumque Iuno vtitur, vt inf. V, 606. IX, 2. Iliad. σ, 166. Communiter tamen, ex poetae religione, v. 698. 699 Proserpinae eae partes esse debebant. Sequuti sunt Virgilium alii, a Cerda iam laudati, Statius II Silu. I, 147. Martial. III epigr. 43. Adde Horat. I Carm. 28, 19. 20. Orco (Θάνατον appellat) iam ante idem tribuerat Euripides in loco iam a Macrobio V, 19 notato, Alcest. 74—77 (ex qua fabula plura ad Mortis imaginem illustrandam peti possunt. Vide v. 261. 438. 844. 1140. 1141. add. Hemsterh. ad Lucian. T. I, p. 512). Iunonem hac de re sollicitam esse, nil mirum, cum ea Didonis et Poenorum causam susceperit. Vnde vero hoc dicemus petitum, quod *crinis abscinditur?* non enim satis est cum Macrobio l. l. dicere, ex Euripide Alc. 75 id ductum esse. E re sacra puto ductum; nam victima consecratur deo, pilis in fronte euulsis et in ignem iniectis (cf. v. c. inf. VI, 245; est id proprie κατάρχεσθαι); ab hoc momento victima deo dicta et sacra. Itaque et is, qui moritur, crine abscisso, diis inferis, tamquam victima, consecratur, Iouique infero

Difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,
Quae luctantem animam nexosque resolueret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnauerat Orco.
Ergo Iris croceis per coelum roscida pennis,

694 *Difficilemque obitum* Zulich. *dimisit* vulgo scriptum. *dimittit* Franc. *remittit* Parrhas. *ab alto* quinque ap. Burmann. 695 *animum* tert. Rottend. *resoluerat* Sprot. et Wall. *absoluerat* Leid. et Erf. *dissoluerat* Franc. 698 *Necdum* Gud. cum quatuor aliis Heins. et Goth. sec. 700 *ad roscida* Bigot. *rosida* Franc. *pinnis* Medic. et Gud.

sacer est. Ornauit adeo poeta vulgare illud: quia morti haud matura erat, aegre anima a corpore seiuncta est. Res itaque numinis interuentu egebat. Imitatione expressit Statius Theb. VIII, 9 *Necdum illum aut trunca lustrauerat obuia taxo Eumenis, aut furuo Proserpina poste notarat Coetibus adsumtum furuis.* Reuocavit ille rem ad lustrationem et expiationem Vmbrae, tum ad tabulam in atrio Plutonis propositam, qua inscriberentur defuncti.

693—695. *dolorem*, ἀγωνίαν. *artus nexos*, corporis cum anima nexum, bene Cerda vidit, a palaestra et lucta esse petitum. Corpus quasi implicat et circumstringit animam, ne elabi illa possit.

696—699. Vid. ad v. 693. *merita nec morte*, nullo immani crimine commisso. Seru. opp. *subito accensa furore*; vti *non fato* et *ante diem*, ὑπέρμορα Iliad. β, 155. conf. Guell. *Accendimur* autem non modo *ira*, sed et dolore, et *furore*, ex indignatione et ira orto. *caput damnauerat Orco*, h. e. vitam eius, vel ipsam, morti deuouerat. cf. ad v. 693.

700—703. Στῆ δ' ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς, Iliad. β, 20 de Som-

Mille trahens varios aduerso sole colores,
Deuolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teque isto corpore soluo.
Sic ait, et dextra crinem secat. Omnis et vna
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit. 705

701 *auerso* Bigot., vt semper variatur in his vocibus. *aduersa luce* multi Pieriani, tres Burm. cum Hamb. sec., qui a m. sec. habet: *percusso sole*. Idem versus V, 89. 702 *Aduolat* Bigot. *atque super* alter Hamb. *Huic* et *Hinc* aberratt. librarr. *Hunc ego Orco* Exc. Burm. 704 *crinem tulit* Longob. Pierii. 705 *Delapsus* duo Burmann. *color* Sprot.

no, (adde Odyss. ζ, 21) omnes laudant. Sed talia delectant forte, at nihil illustrant.

704. 705. Sane Georg. IV, 223 sq. de anima mundi, e qua vita petitur; et: *Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri Omnia.* Nunc tamen vix illa doctrina locum habet; exspiratur anima adeoque in aerem abit.





EXCVRSVS I

De Didone eiusque amoribus et aetate.

Cum, si historicam fidem sequaris, Didonis aetas plus quam CCC annis a Troiae excidio Aeneaeque erroribus abfuisse vulgo narretur (quod iam a Seruio obseruatum videas ad v. 459.); modo in accusando modo in excusando poeta, qui Didonis amoribus Aeneam implicuit, multi docti viri passim operam suam posuerunt. Sed hanc disputationem antequam attingamus, alia, eaque nostro quidem iudicio grauior, quaestio est expedienda, quam intactam fere relinqui videas, quid tandem poetam ad hanc cogitationem ac consilium adduxisse videri possit, vt Didonis amores in carmen suum inferret? casune an ratione an exemplo hoc potissimum episodio vsus sit, cum alia forte cum temporum ratione magis consentanea ad manum essent?

Iam quid poeta in tota hac ratione sequutus sit, dum Aeneam ad Africae littus tempestate atrocissima actum ad-

mouit, et supra est expositum, et iis, qui Odysseam animo tenent, obscurum esse nequit. Cum enim Vlyssis errores cum ex aliis periculis ac casibus tum ex naufragio maxime et eiectione Vlyssis in ignotam terram, multum habere suauitatis variarique narrationem videret, cum is alia loca tantum attigisse, aliis aliquamdiu immoratus esse diceretur; nisi ieiunam et parum suauem suam vellet esse narrationem de Aeneae nauigatione, hoc idem sibi vidit esse sequendum, vt Aeneam ventis ac procellis a cursu deiectum in remotam terram, de qua noua ac mira quaedam narrari possent, expelleret. Cum autem in mari mediterraneo, a Troade versus Italiam, nauigatio fieret, si omnes animo littorales plagas percenseas, nulla facile opportunior terra cogitari potest, quam, qua vsus est poeta, Carthaginiensis. Iam primum quod australe potissimum littus adire tempestas coegit Aeneam, factum partim poetarum exemplo partim ventorum natura. Nam in maris huius plagis australibus, infra Cycladas saltem ac Cretam, grauissimae ab aquilone vento excitantur tempestates, durantque certo anni tempore flatus eius continui per plures dies, ob hoc ipsum dicti etesiae. Videntur hi iidem fuisse, qui Menelaum XX dies ad Pharum retinebant Odyss. δ, 360. His ventis quis miretur eos, qui a Troade Graeciam vel Italiam peterent, versus Africae littora propelli! Itaque Graecos a Troia reduces, cum Maleas circumuecti tempestate a cursu deiecti essent, omnes fere ad has partes actos esse videas. Menelaus quidem Aegyptum adiit, l. c. et Odyss. γ, 300; Paris et hanc et Phoenicen, Vlysses Lotophagorum insulam in Libyae littore, Meningem, v. Odyss. ι, 80 sqq. Apud Apollonium etiam Argo ex Ionio mari versus Africae littora proripitur. Si itaque Virgilius ventorum naturas, poetarum exemplum caeterasque rationes sequi volebat, ad Africae littus classis Troiana erat deferenda. Cum vero reliquae passim partes, Aegyptus ac Libya, essent ab Homero et Apollonio occupatae, feliciter poeta in Carthaginiensem oram incidit. Quae enim opportunior terra commemorari poterat, quam Carthago, cum Romanis suis Aeneidem

scriberet, quibus iucundissimum auditu esse debuit, si belli grauissimi, quo primum populus Rom. aditum ac viam ad terrarum imperium sibi parauerat, semina ac caussas in ipsis olim Aeneae fatis ac casibus iacta esse videret.

Vt autem Didonis potissimum amore vteretur, cum Calypsus vel Circes aut Medeae amores exempli auctoritate adducere poetam poterant, tum feminae huius claritas ac fama, tum ipsa rei ratio ac necessitas. Quodsi enim semel appulsum Troianorum ad Carthaginiense littus praeferendum esse videbat, in tam antiqua de Aeneae erroribus historia, quae Carthaginis incunabula anteuertebat, quid de hac vrbe aliud memorari poterat, quam ipsa eius primordia? Quam opportunum autem ad poeticam tractationem vel in epico carmine argumentum esset amor, Apollonii exemplo intelligere poterat, qui hunc quidem locum in Medeae et Iasonis amoribus egregie tractasse videri debet. Sed Virgilius et illum et ipsum Homerum longe posi se reliquisse dicendus; quod quidem, si recte iudico, duobus potissimum modis assequutus est, partim *quod Tragicorum grauitatem et amoris atrocitatem sequi*, partim *quod ab heroici moris simplicitate ad elaboratiorem ac cultiorem vitam deflectere maluit*, qua decoris et honestatis alicuius exquisitioris famaeque laudem propositam sibi habent feminae. In toto enim Homero et ex Homerici temporis sensu amor parum idoneus est ad pathos inferendum.

Quae a nobis commemorata si quis animo consideret, nae is, puto, Segraesii aliorumque rationes ad poetam, tamquam qui tempora consuderit turbaritque, defendendum allatas, vanas fere aut infirmas, non magnopere desiderabit. Delectationis sane potior habenda est poetae ratio quam historicae veritatis; et, si doctrinae laus poetam decet, non tamen illa ex temporum subtili ratione est expectanda, nec in poeta vllum peccatum habet reprehensionem, nisi quoties audientium animos seu rerum seu numerorum illecebris tenere nequiit: hoc vnum est, quo adversus praescripta artis suae peccasse videri debet; ad hoc

enim redeunt ea, quae Aristoteles de Poetica disputat c. 25 distinguendo inter ἁμαρτίας, τὴν μὲν καθ' αὑτὴν, τὴν δὲ κατὰ τὸ συμβεβηκός.

Si tamen in ipsas Carthaginis origines variasque super iis veterum narrationes accuratius inquirere voluissent viri docti, totum hoc poetae peccatum et accusatione et defensione vacare omninoque esse nullum facile intellexissent. Tam diuerse enim de condita Carthagine traditur et in tam diuersa tempora eius incunabula reiiciuntur, vt vel historico minus subtili liberum fuisset eligere, quod maxime sequi vellet. Quamquam ea narrationis varietas facile ad certam rationem reuocari potest, si memineris condi vrbes dici non vno sensu, nec modo primis iactis fundamentis, sed et moenibus ductis, colonia noua adscripta, aucta denique et amplificata quocunque modo ciuitate. Certis etiam temporum interuallis a Phoenicibus Africam occupatam, a Sallustio quoque proditum, bello Iug. 22. Saepius itaque haud dubie condita est Carthago, et possunt varie traditae eius origines commode ad certas epochas reuocari. Iam *primum* L. ante Troiam captam annis Carthago condita esse dicitur a *Tzoro* et *Carchedone*, apud Appian. Punic. pr., quod idem ex Philisto repetit Hieronymus in Eusebio latine facto ad Num. 805 in ed. Scalig. p. 91 et ad Num. 798 in ed. Pontani et Vallars., h. e. ante Chr. 1198 (ad Euseb. computum 1217) et ante Troiae excidium, ex eadem Euseb. computatione, a. 37. Graeca Eusebii seruata sunt a Syncello p. 172 ed. Par., vnde Scaliger transtulit in Graeca Eusebii p. 33 I. 31. Adde Chronicon lib. I, p. 18 et p. 126. Tzori quidem et Carchedonis, quippe vrbium, nomina imperite, ex antiquo tamen more, ad virorum personas designandas esse traducta, ab aliis Didonis nomen temere in hoc tempus referri, facile apparet; manet tamen illud, paullo ante belli Troiani tempora, L vel adeo XXXVII annos, Carthaginis prima exordia in veteri historia memorari solita fuisse. *Altera* Carthaginis conditae epocha est CLXXIII a. post priorem illam, paullo ante Coloniam Ionicam, secundum Chron. Euseb. Hieronymi ad Num. 971,

aut (vt verius apud Syncellum legitur, qui Graeca Eusebii seruauit p. 181 A), CXXXIII annis post Troiam captam, h. e. a. C. 1025 (sec. Euseb. 1044). Hac quoque epocha Didonis opera celebratur, quae amplificanda ac munienda vrbe Cartha, et Byrsa arce condenda, maxime fuit conspecta. Ἐπεκτίσθη Καρχηδὼν ait Syncellus: accepit etiam illo tempore suum nomen, cum antea Origo esset dicta; si modo vera tradit Syncellus (XXXI annis serius ab aliis hanc epocham definitam fuisse, ex Eusebio Hieronymi discas ad Num. 1002 sec. Scalig. 1000, quod in ipsa Salomonis tempora incidit). *Tandem* CXC annos vbi descenderis, *tertio* loco Carthaginis conditae memoriam fieri videas a Iosepho in Apion. lib. I, 18, p. 1042, et ex eo ap. Syncell. p. 182, post Salomonis templum conditum anno CXXXXIII mense octauo; qui est ante C. N. 861, a Troia capta CCCXXIII, ante V. C. 108 Varr. Et ad has fere epochas alludunt caeteri numeri, qui passim apud alios leguntur, vel ex annis, quibus Carthago stetisse dicitur, eliciuntur. Iocc anni vulgo hac in re memorati sunt: sed termino a quo et ad quem illi pertingerent parum exacto. Auctorem satis diligentem Appianus ante oculos habebat, cum ἑπτακοσίοις δ' αὐτοὺς ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ Ῥωμαῖοι Σικελίαν ἀφείλοντο. Factum hoc ante C. N. 242, quibus si annos 700 addideris, habes annos 942, qui a Troiae excidio 242 annis absunt, adeoque ad mediam fere epocham supra memoratam assurgunt. At mox alii parum diligenter annos 700 ad excidium Carthaginis deduxere, vt in Epitome Liuii LI habetur: cui indiligentiae locum feciſſe putandum hoc, quod *per 700 annos floruiſſe Carthago* vulgo ferebatur: vt in locis Appiani habetur Pun. p. 366, 55 et 493, 35. Ita enim paucis haec expedias. Pluribus aliam rationem ibi exposuit editor doctiss., verum ea, quae super Carthaginis originibus dicta sunt, sigillatim h. l. repetere vel excutere, a consilio alienum est. Vid. viros doctos inprimis Scalig. ad Euseb. et in App. de Emend. Tempp. p. 31. Ioseph. l. c. Vellei. I, 6, 4. Iustin. XVIII, 4. Salmas. ad Solin. c. 27, p. 228, et, si ad manum est, vel

Notata ad Guthrium consulas Tom. III, p. 253 sq., vel Simson. A. M. 3132 cum Wesseling. Nott. Non enim nisi eadem fere recocta passim videas. Est sane tertia haec epocha, paullo maturius forte et illa constituenda, vera Didonis aetas, siquidem illa Pygmalionis fuit soror, Mutgonis seu Mettini filia. Fuisse tamen communem veterum errorem, vt ad Didonem prima Carthaginis exordia referrent, non modo ex iis, qui vetustiores exscripsere, Cedreno p. 140, et Io. Malela p. 68, verum etiam ex Appiano Punic. pr. constat, qui, memorata ista prima vrbis origine L. ante b. Troi. annis, addit: „conditores fuere Zorus et Carchedon; vt vero Romani et ipsi Carthaginienses opinantur, Dido, mulier Tyria." In tanto itaque scriptorum optimorum dissensu tantaque rei obscuritate, et quidem non in patriis historiis, sed exteri populi, quis hoc a poeta postulet vel expectet, vt temporum rationes subtilius, quam ipsi historici nonnulli fecerunt, subducere sustineat? Vltimo loco et illud monendum, iam ante Virgilium amores Didonis et Aeneae videri celebratos fuisse ab historicis Rom. Nam ad lib. IV, 682 Seruius: „Varro ait, non Didonem, sed Annam, amore Aeneae impulsam se super rogum interemisse." Cf. eund. ad V, 4. Nullam igitur in Didone ad Aeneae aetatem reuocanda reprehensionis materiam subesse, ex iis, quae disputata sunt, satis intelligi puto. Egit de hoc episodio Abbas *Andres* in singulari libello: de quo v. iudicium nostrum (in *Götting. gelehrt. Anzeigen* 1789. p. 1166 sq.) De Didone autem nonnulla minus nota vide in Tr. Anonymi *de mulieribus, quae bello claruerunt* (ab Heeren nostro vulgato in *Bibliothek der alten Litteratur* 6s Stück p. 15.) Est illa ibi appellata Θειοσσώ; reliqua fere conueniunt cum Etymologo in Διδώ.



EXCVRSVS II

Apollinis acceſſus ad Delum.

IV, 143 — 149 *Qualis, vbi hibernam Lyciam Xanthique fluenta Deſerit, ac Delum maternam inuiſit Apollo, Inſtauratque choros, mixtique altaria circum Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrſi; Ipſe iugis Cynthi graditur, mollique fluentem Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro; Tela ſonant humeris.* Inſignis phatasmatum et verborum dignitate locus, cuius pars ex Apollonio, ſed multum ornatius, adumbrata, lib. I, 307 — 309 Οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων, Δῆλον ἀν' ἠγαθέην ἠὲ Κλάρον ἢ ὅγε Πυθὼ, Ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσι. (confer etiam verſus lib. I, 536 — 539, et lib. II, 677 ſqq. item Callim. in Dian. 241 ſqq.), reliqua forte ex alio Graeco poeta. Ante oculos locum Maronis habuit Auienus Orb. Terr. 705 ſq. vbi compara Wernsdorfii Notam p. 1036 ſq. De Neptuni inceſſu ſimili ornatu elaboratus eſt apud Apoll. III, 1239 ſq. Sicut Dido cum Diana lib. I, 498 ſqq. ita Aeneas incedens comparatur cum Apolline incedente. Iam, vt ornatum intelligas, deum

non simpliciter incedentem, sed festo die, vt sacris suis interfit, prodeuntem fistit; et sacris quidem celeberrimis, in insula Delo: inde ornamenta petiit cum ex his sacris et dei accessu, tum ex loco, vnde decesserat. *Lyciam* memorat, eamque *hibernam* appellat, quoniam hiemem Apollo Pataris Lyciae exigit: etsi vel δυσχείμερον vel εὐχείμερον explicant viri docti. Non videtur alienum a re esse, quod Seruius narrat; grauior enim auctoritas non occurrit; *nam constat Apollinem sex mensibus hiemalibus apud Pataram, Lyciae ciuitatem, dare responsa — et sex aestiuis apud Delum.* Certe et Herodot. I, 182 de Pataraeo oraculo: ἐ γὰρ ὧν αἰεί ἐστι χρηστήριον αὐτόθι. ἀποδημίαι et ἐπιδημίαι deorum res notissima inprimis post Spanhem. in Callim. *Delum maternam* matri Latonae sacram, seu quod matris caussa mari emerserat. Certe et aliis est *Latonia Delos.* Iam in sacris nihil est augustius *choro*, qui ducitur, nihil in poetis memoratu iucundius. *instauraat*, cum dilectu, quandoquidem est voc. sacrum; habet autem plus dignitatis, quod ipse deus parat choros, quam choros in eius honorem duci. Chori inter rem sacram instituuntur ab iis, qui sacra curant, partim qui primitias frugum in insulam apportant; v. Callim. in Del. v. 279 sqq.; hos designat poeta per *Cretes*, *Dryopes* et *Agathyrsos.* Simplicius Iones memorauerat Hymnus Homericus in Apoll. 147 sq. Facit etiam nominum antiquitas ad maiorem carminis dignitatem. *Cretes* memorari videntur secundum Hymnum Homericum in Apoll. v. 388 sqq. 535 sqq., vbi Apollo apud Delphos sacrorum ministros sibi adsciscit Cretenses naui Pylum petentes; quem locum etiam Tibullus respicit IV, 1, 8 et 9. *Dryopes*, Troianis temporibus Thessaliae circa Spercheum habitatores, inde Parnassi accolae, qua ille versus Oetam procurrit, ea regione, quae Doris appellata est. Ab Hercule fuere victi, cum ille Trachine versaretur. Res copiose ac diuerse tractata esse videtur ab iis, qui Heracleas condiderunt; diuersa enim inter se narrantur apud Herodot. VIII, 31. 73. Apollodor. II, 7. 7. Strab. VIII, p. 373 C. Apollon. I, 1213 sqq. et Schol.

et alios. cf. ad Apollod. Not. p. 475 sq. Sed ex iis vnum est, quod Virgilius ex parte sequitur, apud Pausan. IV, 34, Dryopas victos ab Hercule Delphos abductos et Apollini deuotos fuisse, τῷ Ἀπόλλωνι ἀνάθημα ἤχθησαν ἐς Δελφούς. Hoc et Seruius habet: *Hi populi, ab Hercule victi, Apollini donati esse dicuntur.* Ex dei tamen responso ab Hercule in Peloponnesum deducti primum Asinen Argolidis, mox Asinen Messeniae occuparunt, et Apollini ac Dryopi Apollinis f. templa dicarunt insigni religione. Videtur igitur ab aliquo poeta traditum forte et hoc, mansisse apud Delphos Dryopes nonnullos inter eos, qui sacra curarent, vt modo de Cretensibus vidimus. Traduxit autem et hos et illos ad Delum suam poeta paullo licentius. At *Agathyrsi* proprie Delum spectant. Nam vti Callimachus Arimaspos, ita Maro Agathyrsos pro *Hyperboreis* posuit, quorum θεωρία seu legatio sacra ad Delios res est satis nota. Vide vel Gesneri Praelect. II de nauigat. extra column. Herc. et loc. class. Callimach. in Del. 281 sqq. Ad Scythicum nomen retulit adeo Hyperboreos Virgilius cum Callimacho et aliis, etsi a Graecorum ad Borysthenem et Tanaim coloniis θεωρίας istas venisse probabile sit. *Altaria circum* sunt chori κύκλιοι, de quibus v. Intp. ad Callim. l. c. v. 313. περὶ βωμὸν etiam Apollon. l. c. lib. I, 538. Quos Seruius ex Melisso Grammatico *Achabas* memorat, Ἀβίας emenda. Versus 147. 148. 149 inprimis ornati de corona laurea, vitta aurea et pharetra. Argutatur et in h. l. Spencius Dial. VIII et poetam modo ad Apollinis Vaticanum signum modo ad Augustum respicere vult. Quod Quinctil. VIII, 3, 73 circa hanc comparationem monet, a poeticae visionis genio alienum est. *Debet enim, quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat. Quare sane poetis quidem permittamus huiusmodi exempla:* Qualis vbi hibernam L. *Non idem decebit oratorem, vt occultis aperta demonstret.* Enimuero, ad poeticam rationem, phantasma illud Apollinis Delum adeuntis est inter notiora, et saepe in hymnis aliisque carminibus frequentata. *Tela sonant hu-*


meris vim adiunctam non habent, quae erat in Iliad. α, 46, pertinere tamen ad concitatum et celerem ingressum videntur propter v. 149 *haud illo segnior ibat Aeneas*. Sic de pyrrhicha Amazonum Callim. in Dian. 247 ἐπεψόφεον δὲ Φάρετραι.

EXCVRSVS III

De Famae specie.

IV, 173 sqq. *Fama malum, quo non aliud velocius vllum* etc. Etiam episodium hoc de Fama, nec, si absit, desiderari, et aliis locis aeque bene interponi posse statuebat Ill. Homius. Videtur tamen Famae h. l. memorabile esse momentum ad rerum euentum luctuosiorem. Excitatus enim ea Iarbas Iouem precibus mouet, vt Aeneam ille Carthagine euocet. Paullo longius, quam par erat, poetam huic loco esse immoratum, iudicabat Addisonus cum aliis. In his tamen taedium vix suboritur, nisi talibus descriptionibus nimis saepe, et alieno loco, inculcatis. Poeta vero non in specie Famae declaranda ad fastidium vsque substitit, sed et facta eius et mores et originem adeo narrando descriptionis taedium temperauit. Fatendum tamen, esse alia, quae subtiliori iudicio vix satis se probent, a viris doctis non animaduersa. Primo v. 176 male interpositum est *metu*, quod a Fama in deam mutata nos reuocat ad abstractum, quod dicimus, ad ipsum rumorem; debebat esse parua primo motu, cursu, volatu. Nec verborum positus admittit, vt *metu* sit ad metum, vt metum iniiciat. In v. 180 *pedibus celerem et pernicibus alis* otiose appositа sunt, illo quidem loco, et resecari debebant. Tandem ad speciem, quam mente animoque tibi reddere et exhibere possis, illa quidem sunt praeclara, esse monstrum plumis oculisque consitum; at *linguis, oribus, auribusque*, toto corpore *inductum* quomodo illud esse possit: *tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures:* hoc vix assequaris. Quae in extremis posita sunt: *Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri;* excusari possunt; est enim monstrum vocale et loquax, vt Harpyiae, Sirenes et alia. Cae-

terum in Famae specie monstrosa exemplum habemus satis manifestum diuersae poeseos et picturae indolis; picta enim illa haud placere possit. In comparatione Homericae Eridos cum Virgiliana Fama admodum argutari videtur Macrobius V, 13. Incrementa rumoris ex ipso progressu melius exprimi vix poterant; et v. 177 praestantissimus secundum illud iam a Longino s. 9 laudatum: Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει. Deam fecerat Famam iam Hesiod. Ἔργ. sub s. Φήμη — θεός νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτή. Alia loca dabit Cerda inf. ad 195. Athenis *ara* fuit *Famae*, non signum: Pausan. I, 17. βωμὸς τῆς Φήμης, et Aeschines in loco, in quo plura de Fama e poetis afferuntur, in Timarchum p. 18 (p. 140 R.) ὡς δ' εὑρήσετε καὶ τὴν πόλιν ὑμῶν καὶ τοὺς προγόνους Φήμης, ὡς θεοῦ μεγίστης, βωμὸν ἱδρυμένους. de signo deae nec ipse memorat. Est tamen numus Demetrii regis apud Eckhel Num. anecd. T. I, p. 84. tab. VI, 9. de quo iterum egit in Doctrina Numor. T. II, p. 120. In eo deam alatam tuba canentem, ingeniose Famam interpretatus est.



EXCVRSVS IV

Templum Hesperidum.

IV, 483—485. *Hinc mihi Massylae gentis monstrata Sacerdos, Hesperidum templi custos, epulasque draconi Quae dabat et sacros seruabat in arbore ramos.* Iure suo ab interprete Virgilii expectet lector, vt clariorem huius loci notionem animo suo informet. Potest itaque poeta videri fingere, hortos Hesperidum, quos per *templum Hesperidum* designet, quosque ab Hercule spoliatos communis ratio ferebat, adhuc Didonis tempore superesse. Non facile tamen poetae, nisi forte tragicos excipias, mythicam fidem ita deserunt, nec veteres notasque fabulas vltra mythicum aeuum in verae historiae tempora demittunt. Malim itaque statuere id, quod cum multorum populorum multarumque Graeciae vrbium religionibus consentaneum est, vt Virgilius ponat, templum Hesperidibus sacrum in his terris fuisse, in quo, id quod in multis sacris ac religionibus vsu receptum fuit, antiqua fabula repraesentabatur, arbore aurea et dracone in ea constituto, cuius aeditua vel sacerdos anus erat ex indigenis loci. Serpens ille, quem poeta memorat, pascebatur offa mellita; mazam, μελιττοῦταν eam appellant; quemadmodum in templis Aesculapii mos fuit serpentes ali et pasci e patera; vnde tot signa Aesculapii et Hygieae serpentem pascentium e patella extant. Procliue esset, e sequentibus coniicere, vsum nunc aliquem *magicum* draconis fuisse anui; Quemadmodum in nonnullis templis diuinationis genus fuit e serpente sacro captum; variis quidem modis, interdum casu et euentu, vt in eo, quod ab Herodoto commemoratur, VIII, 41. cum Athenas deserendas esse pronuntiaret Themistocles ex eo, quod draco euanuerat ἐκ τοῦ σηκοῦ, cum tamen ille alioqui nihil commune haberet cum diuinatione, et haberetur in Parthenone tanquam custos et οἰκουρός: vt omnino causae huius religionis seruandorum in locis sacris draconum fuere variae, cum ipsi dracones tam multarum rerum symbola

essent. In hortis Hesperidum, non minus quam in Martis luco apud Colchos pro custodia tantum fuisse traduntur; in istis quidem seruabat draco aurea mala Iunonis; quod ex Pherecydis fragmento et ex Apollodoro satis constat. Seruatos legimus passim in templis dracones, v. c. Lanuuii, quibus dapes apponebantur; augurium ex iis cibo vescentibus captum esse, coniiciebat nuper ingeniosus vir, Böttiger, in eandem sententiam augurium Salutis interpretando. De Hesperidibus post ea, quae ad Apollodorum disputata sunt, plura commemorare nihil attinet.



LIPSIAE MDCCXCVII

EX OFFICINA DVRRIA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0834-0

W 8570

(2)
Vo 18

ULB Halle
006 587 755
3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0837-7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0838-3



P. VIRGILIVS MARO

VARIETATE LECTIONIS

ET

PERPETVA ADNOTATIONE

ILLVSTRATVS

A

CHR. GOTTL. HEYNE

EDITIO TERTIA

NOVIS CVRIS EMENDATA ET AVCTA



VOLVMEN SECVNDVM

AENEIDIS LIBRI I—IV

LIPSIAE

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721487-p0841-9